ES· BARONII

. E. PRESBYTERI

ARD. TIT. SS. NEREI

ET ACHILLEI

dis Apoſtolicæ Bibliothecarij

PARÆNESIS

Ad Rempubicam Venetam.

VSTÆ VINDELICORVM,
Apud Dauidem Francum,
M.DCVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CÆS. BARONII

S.R.E. PRESBYTERI CARD. TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI

Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarij

PARÆNESIS

Ad Rempublicam Venetam.

DOLEO vehementer, quod hortaturus vos, quos plurimum diligo, nullis tamen ſalutationibus, quæ cōmunicatoriis ac pacificis (Auguſt. ep. 192.) litteris inter Catholicos, Catholica communicatione coniunctos, in concordiæ ſymbolum præfigi conſueuere, more maiorum, permulcere liceat: ſed ſalutationibus intercifis, non aliter, quàm ſi ad homines extra Chriſtianam religionem errantes Gentiles ipſos ſcribendum foret, vobiſcum agere fas ſit: iubente id potiſſimum Domino noſtro IESV, (Matt. 18.) vt qui Eccleſiam non audierit, ſit nobis tanquam Ethni-

cus,& Publicanus. cum tamen his infelicibus vos ipſos reddideritis infeliciores, ſiquidem non ſolum Eccleſiam non audiſtis,ſed ſpreuiſtis,contempſiſtis, ignominia ſumma affeciſtis publicis datis litteris, omni execratione digniſſimis, quas tanquam oſtentum Eccleſia vniuerſalis exhorruit, & vt monſtrum excuſſit. Quis Orthodoxorum, timens Deum,qui legat veſtras litteras contemptu plenas,non ſtatim offenſi numinis zelo exæſtuans, ex intimis præcordiis in propheticum(Ierem.2.)illud erumpat:Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer] cum portæ inferi (Matth.16.)adeo extolluntur cõtra Regnum cœlorum, quod eſt Eccleſia, ac ipſum Dominum? At ſicut omnium in Deum bellum gerentium certus eſt caſus, ita nec dubia ruina,ſecundum illud ſacrarum ſententiarum:Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet.Eccle.27.

Cum igitur ea ſit communis vox exclamantium in vos Orthodoxorum: ſilere ne potuerunt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ad quos non ſolum ſui capitis, ipſius Romani Pontificis defenſio ſpectat,ſed qui cuiuſcũque, pro Eccleſiaſtica libertate tuenda laborantis, ſuſcipere patrocinium teneantur, ita ad eos martyrij candidato ſcribente, & iam ſanguinis voce clamante S. Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo: (Cod.Vat.in app.ep.S.Tho.) Qua conſcientia diſſimulatis iniuriam Chriſto illatam in me,immò & in vobis, qui Chriſti vicem gerere debetis in terra? Nonne cauſa mea ſimul veſtra eſt? immo penitus veſtra, tueri videlicet tuentes Eccleſiaſticam immunitatem?] Tanto igitur claſſico

claſſico excitari,hortationē aggredimur,ſed quę me priùs doloris iaculis feriat,& vos pungat reprehenſionis aculeis ad ſalutē paratis. ita enim dictat exuberās dilectionis affectio,quia ſitio ſalutem veſtram in viſceribus Chriſti. Vnde & huius ſeries exhortationis emanat, nempe de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta,1.Tim.1.

Quamobrem occurrentes veſtræ manifeſtæ perditioni, hiſce vos (vt in re valde ſeria) diuinis oraculis compellare compellimur: Quare auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa? (Ierem.8.) Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi & auſcultaui,nemo quod bonum eſt loquitur: nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prœlium.] vt viſus ſit optaſſe, quod fugiendum eſſet maximum omnium malum. Auerſio plane illa contentioſa eſt, qua diluenda peccata, ad pœnitentiam patefacta, atque damnata verbis ac ſcriptis,mira animi firmitate, immo dura obſtinatione, ac furenti pertinacia defendi dicuntur ab omnibus,dum omnium nomine Senatorum literæ aduerſariæ promulgantur: cum tamen probe nouerimus,ſtudia iſta haud ab omnibus Senatorib' comprobari, immo prudentiorum ſententiis condemnari, atque lacrymis deplorari. Et quamuis aduerſantes dicant (quod ibidem ſubiicitur à Ieremia) Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt: in eos ipſe iſta retorquet, dicens: Vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarū.] Vt merito illis, quos eadē peccata perſtringunt,vr-

gent, & damnant, timendum ſit, ne eadem quæ ibi ſubiicitur diuinitus immiſſa vindicta in exterminium gentis illius, vos maneat, vt feriat, perdat, atque conſumat, quod Deus à vobis auertat. Contingat enim me prius vita fungi, quam ideò iſta adeo funeſta videre. Sumus , ſumus, ſicut & fuimus ſemper (teſtis eſt Deus) omnium veſtrum amantiſſimi & ſtudioſiſſimi, ſemper memores charitatis veſtræ qua nos excepiſtis, cum Venetias veniſſemus, vt quantumlibet immeritus, & peccator, de vobis tamen mihi ſit propemodum prędicandum, quod Apoſtolus ait de Galatis: (Galat. 4.) Sicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Iesvm,] memores & frequentis per dies ſingulos concurſus & accurſus ampliſſimorum Senatorum, atque illuſtriſſimorum magiſtratuum, nos conuenientium, & (ſecundum illud Ioannis (ep. 3). deducentium digne Deo.] cum & quadam amoris exuberantia coegiſtis, & extorſiſtis importunè impertiri vobis aliquid gratiæ ſpiritualis in miniſterio verbi Dei, vt ſic penes vos noſtri apoſtolatus licet indigne perfuncti remanſerint qualiacúnque impreſſa veſtigia. Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire? (Galat. 5. ſpiritualis ſic vos arguam verbis Apoſtoli.) Vtinam abſcindantur qui conturbant vos,] & mergunt in profundum abyſſi, ipſum imum barathrum peccatorum, quod eſt diſciplinæ contemptus. ſic enim in ſacris oraculis ſcriptum eſt: Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.] Prou. 18.

Ad quod puniendum ſiue expiandum delictum, quo ipſe peccans perpurgari nolit inuitus, quod nõ accuſet, magis autem defendat, opus fuerit eccle-

ſiaſtico

ſiaſtico conflatorio cenſurarum (Eſt enim ignis in Sion, (Iſai.31.) & caminus eius in Ieruſalem, ad combuſtionem peccatorum. In qua quidem fornace ſic ardet ignis, vt purget, non autem conſumat niſi peccatum. Nam & Corinthius ab Apoſtolo in hanc eſt fornacem immiſſus, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. ita plane vbi bono remedio vtitur bene patiens, accidit iuxta illud Prouerbiorum(Prou.25.) Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum:aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.]fiatque quod & per Iſaiam eſt pollicitus eidem populo ſuo, dicens: (Iſai.1.) Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum,& reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius & conſiliarios tuos, ſicut antiquitus. Poſt hæc vocaberis Ciuitas iuſti, Vrbs fidelis.] Ita quidem agitur res feliciter, ſi qui ad purgandum in conflatorium mittitur,non contradicat,nec augeat potius reſiſtendo peccatum. Eſt enim tantæ officinæ opifex Deus, idémque ignis Dominus noſter Ieſus Chriſtus,quod Malachiæ,(Malach.3.) diuinitus oſtenſum eſt, qui ait:Ipſe quaſi ignis conflans,] & quod ſubdit: Sedebit conflans & emundans argentum.]Qui & docuit iſta ſuos Apoſtolos, (Ioan. 15.)Omnia,inquiens,quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis]& collaborat vna cum ipſis. Nam hæc ad eos: vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.]Præficiens vero operi Petrum,hæc ad eum: (Matth.16.) Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolueris ſuper terram,

erit ſolutum & in cœlis.] & ſpondens affore iugiter præſentia ſua , ait : Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ego in medio eorum ſum.]& conteſtans, ſe etiam non ſolum cum ſuis, ſed & in ſuis eſſe, adiicit:(Luc.10.)Qui vos audit, me audit,& qui vos ſpernit, me ſpernit.]

Vnde ſumma fiducia, qui diuinitus ab eo ipſius ſucceſſor ſubrogatus eſt Paulus, Pauli his potuerit ac debuerit vti verbis:(2.Cor.13.)An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Quibus eſt vſus verbis Apoſtolus,cum comminatus eſt ſupplicium Corinthiis delinquentibus, vt ſciret Eccleſia , vltori ſcelerum aſſiſtere Deum Epiſcopo, eius honorare miniſterium,approbare auctoritatem.Hoc vniuerſorum ſanctorum Patrum concilium probat: quod denique ſcriptor ſuorum temporum luculentiſſimus Petrus ad Cœleſtinum Ponticem ſcribens, his verbis inſinuat: Petri.Bleſ. epiſ. 146.princeps Apoſtolorum adhuc in Apoſtolica Sede regnat & imperat, & in medio eſt conſtitutus iudiciarius rigor. Illudque reſtat, vt exeratis in maleficos, Pater,gladium Petri, quem ad hoc conſtituit ſuper gentes & regna. Chriſti Crux antecellit Cæſaris aquilas, gladius Petri gladio Conſtantini, & Apoſtolica Sedes præiudicat Imperatoriæ poteſtati. Veſtra poteſtas à Deo eſt,an ab hominibus? Nonne Deus deorum locutus eſt vobis in Petro Apoſtolo, dicens:(Matth.16.) Quodcumque ligaueris ſuper terram,erit ligatum & in cœlis : & quodcumque ſolueris ſuper terram,erit ſolutum & in cœlis?]Nõ ergo degenerat in hærede Petri dignitatis Apoſtolicæ reuerenda ſucceſſio.

Paulus igitur,idémque Petrus vicem Chriſti agens

gens in terris, ſuorum ſanctiſſimorum prædeceſſorum exemplo, ſalubre, idemque neceſſarium ad ſalutem remedium eſt operatus in vobis, iam in certum prolapſis interitum, quo Imperatores & Reges eodem morbo duræ pertinaciæ laborantes redditi ſunt priſtinæ ſanitati, & inter alios, qui penes vos curatus eſt, Fridericus Aenobarbus, diuturnus & obſtinatus hoſtis Eccleſiæ: cupidiſſimúſque idem Pontifex veſtræ ſalutis, ſalutaria vincula parauit, ad perpurgationem conflatorium amoris incendit, cum in vos tonitrui inſtar cælitus lapſi ad perterrendum, potius quam ad perdendum, ſalubrem ſententiam excommunicationis intorſit in ſacro illo eodémque pleno fratrum cõſeſſu, vniuſcuiuſque rogata ſententia ſententia. Tunc plane accidit ſecundum illud propheticum: (Dan. 4.) Commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis.] cũ nimirum ſacro ſuffragio reuerendiſſimorum S. R. E. Cardinaliũ, eadem ſententia diuerſis rationibus ſtabilita, diſertis verbis aſſerta, magna; animi conſtãtia confirmatur ab omnibus, & roboratur: quod ſcirent omnes, à Deo decretum, quod eſſet per eius Vicarium promulgatum ſumma prudentia, atque ſcientia. ſic namque ipſi, rem tantam agentes maiorum ſuorum exemplo, memores patriæ vocis, qua olim (Apud Cypr. epi.31.) Romanus Clerus ita litteris contra ingruentes ſchiſmaticos ſanctum allocutus eſt Cyprianum, Abſit ab Eccleſia Romana, vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere. & neruos ſeueritatis, euerſa Fidei maieſtate, diſſoluere &c.] Sícque priſtinũ retinuerunt cũ ſano capite coniuncta membra vigorem. Factum eſt igtur, vt quod maiorũ exẽplo fuerat faciendum, & facienti-

bus bene ceſſiſſe ſciretur.

At hic (quod lamentatus eſt Ieremias Ier. 6.) defecit ſufflatorium, in igne combuſtum eſt plumbũ. Fruſtra conflauit conflator, malitiæ enim eorum non ſunt conſũptæ.] & quod queritur Ezechiel 24. dicens: Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis. Ego Dominus locutus ſum.] Quibus ita peccantibus alterum de duobus euenire ſolet, & quod terribilius, illud, vt iſtiuſmodi à Deo penitus deſerantur, ſecundum illud diuinum oraculum: Ierem. 51. Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam.] Vt ſit maxima omnium illa comminatio, quam intulit in furore ſuo per Ezechielem 16. Requieſcet indignatio mea in te, & auferatur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius.] Vnde & deducta vulgata illa antiquorum ore ſententia, à priſcis etiam gentilibus tamquam axioma recepta. Senec. de diuin. pro. cap. 4. ex Demetrio.) Nihil eſſe infelicius felicitate peccantium,) ab antiquis etiam Chriſtianæ religionis (epiſtol. 53. Orig. in Periarc. Hieron.) tractatoribus pariter vſurpata. Alterum vero totum miſericors & peccantibus maximè vtile: nempe, vt qui in conflatorio Eccleſiæ ſancto pióque, ipſorum repugnante malitia, & aduerſante proteruia, mundari non meruerunt, in aliam longe ardentiorem, manibus hoſtium præparatam, incenſámque hoſtilibus flammis fornacem, comburendi mittantur, (vt factũ eſt populo Iudæorum, cùm eorum ciuitas cũ templo in direptionem, cõbuſtionem, & deſolationẽ, ipſi autem dati ſunt in capti-

captiuitatem Aſſyriorum, ad quos iſta declamauerat iuſſu Domini Propheta ſanctus: Ezech. 22. Eo quod verſi eſtis omnes in ſcoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Ieruſalem, vt ſuccendam in ea ignem ad conflandum, ſic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requieſcam: & conflabo vos: & congregabo vos & ſuccendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio eius, &c.] quæ hæc & alia ibi poſita immenſa mala! quæ tamen & exoptanda magis fuerint, quam relinqui miſeros obſtinate peccantes, maiori ira Dei in æternum plectendos.

At quid profuit, quod tu, confringens iugum Domini,& rumpens vincula ipſius,dixiſti:Ierem.1. Non ſeruiam?] cum iſta conuertantur in damnum tuum, ſicut populo illi, qui ligneas confringens catenas, expertus eſt ferreas. Ibid. 28. Sic (inquiens Dominus)malitia tua(Ierem.2.)arguet te,& auerſio tua increpabit te, & ſcito, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.] Vis ſcire quam malum? ex verbis Domini facile eſt ſubducere rationem,Qui conteſtatus,ne vel vnus ex puſillis qui in eum crederent, contemni deberet, eſt comminatus ſupplicium quam acerbiſſimum in eum, qui ſcandalizauerit(Matth.18.)vnum de puſillis: adeo vt ne in illud incurreret, expediret potius, vt ſuſpenderetur mola aſinaria de collo eius, & demergeretur in profundum maris. Quæ,rogo,pœna manebit peccantem in maximum, ſi ita horrenda atq; terribilis teneat eum, qui peccauerit in puſillum? vnde merito tunc illud Dominus exclamauit: Væ mundo à ſcandalis.

Vis adhuc ſcire quam amarum?Prophetica velu-

ti in te conuerſa oracula intuere. Eſt namque ſermo Dei gladius vtraque parte acutus ad feriendum, Apocal.1. ſicuti anteriora, etiam poſteriora; vt vbi par culpa, par feriat quoque vindicta. Ieremiam itaque (Ier.51.) audi & paueſce dicentem: Quæ habitas ſuper aquas multas, locuples in theſauris, venit finis tuus pedalis præciſionis tuæ:] Præciſam namque te pedali præciſione à trunco per excommunicationis ſententiam conſtat. Poſthac bona quænam ſperanda? & mala quæ non timenda? à radice præciſo ramo quis vlterius viror? Radix eſt námque, ex ſententia Cypriani epiſt. 15. ipſa Romana Eccleſia, quæ plurimo germine ſe diffundens in arborem, in Catholicam creſcat, è qua ſi præciditur ramus, areſcit ad ignem. Ipſa quippe omnium in terra mater, vt Deus in cœlo Pater. Adeo vt eiuſdem ſententia Martyris, habere non poſſit Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam matrem:] (Idem de Vnit. Eccl. Cath.) Romanam intelligens, dum ait, quod in Petro vna Chriſti Eccleſia, vna Cathedra demonſtratur. Vides igitur quam amarum, præciſam te ab Eccleſia, præciſam eſſe pariter à Domino Deo tuo? Hæc vero damna veſtra duplicantur menſura conferta & coagitata, ſi non ſentitis ea veſtra colla prementia; ſed ſi contemnitis, centuplicantur ipſa, immo creſcunt in infinitum quæ tanta mala vt caueatis, hortamur, rogamus magis, & exoramus.

Sed quoniam vos, vt olim auerſatrix Iſrael incredibili aduerſus Deum contendens pertinacia, adhuc inſane dicebat: Ierem. 2. 3. Abſque peccato, & innocens ego ſum. cum Deus ad eam: Ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccaui] vos inquam, excuſantes excuſationes in peccatis, immo defen-

defendentes, & redarguentes qui iuſte redarguunt, Deo pugnaciter & Eccleſiæ reſtitiſtis prouoco vos ad prima Chriſtianæ Fidei rudimenta, immo ad ipſius Naturæ cunabula, à quibus aberrantes, per deuia ferri, inferríque in abrupta præcipitia ſit neceſſe.

Iure namque diuino atque humano ſacra à profanis eſſe debere diſtincta, & diuerſæ cenſeri penitus rationis, norunt omnes; adeo vt de his nulla dubitatio eſſe poſſit. Sacra autem quam illæſa voluerit Deus in ſua Eccleſia conſeruari, cum plurima ſuppeditant ex diuinis Scripturis exempla, vnum vel alterum tãtummodo referemus, vt ſic breuiter cauſam abſoluamus. Quo enim iſta cuique hominum magis paterent ad ſenſum, voluit Deus altiſſimi parietis interſtitio ſacras ædes à profanis eſſe in tẽplo diuiſas, vſque adeo, vt nequaquam Regibus liceret illum à Deo conſtitutum terminum tranſilire, ſed neque eidem appropinquare abſque numinis offenſa grauiſſima. Hinc vehemens illa querela Domini in Ezechiele 43. aduerſus Reges Iuda: Fabricati ſunt, inquit, limen ſuum iuxta limen meum, & poſtes ſuos iuxta poſtes meos (& murus erat inter me & eos) & polluerunt nomen ſanctũ meum, &c. Si igitur non licuit Regibus appropinquaſſe termino præſtituto inter ſacra atque profana; quomodo in eum irrumpere, & ſuos intra ſacra ſepta erigere parietes licuiſſet? ita plane erudiens Principes, longe diuerſa eſſe inter ſe iura templorum, atque regnorum. Quod omnibus conſiderandum proponi volens Deus, ſic alloquitur Ezechielem: Tu autem, fili hominis, oſtende domui Iſrael templum; & cõfundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabri-

cam, & erubeſcant quæ fecerunt. Ita plane fiet, vt & vos iſta metiẽtes, erubeſcatis; vnde & magis pœniteat, non ſolũ limen & poſtes iuxta ſacrum parietem extruxiſſe, ſed ſacrum diſſipaſſe, & veſtrum erexiſſe, dum quæ ſunt Eccleſiæ iura peruaſiſtis. quamobrem in vos illud accipite dictum ab Iſaia 30. Erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubito, dum nõ ſperatur, veniet contritio eius, & comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida; & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Sed ne fiant iſta, hortamur, anteuertite precibus & pœnitentia.

Hæc de muro ex veteri Teſtamento, quæ in figura contingebant illis, in Nouum transferenda eſſe ſpirituali ſenſu monemur, ſed latiori menſura. Etenim in Chriſti Eccleſia non murum vnum tantummodo diuidentem inter ſacra atque profana poſitum eſſe ſcimus, ſed murum & antemurale, vt cecinit ſuo cantico Iſaias, dicens: Ibid. 26. Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem, nõ autem profanans ſacra, diuina conculcans, temerans ſancta, & diſſipans Sanctuarium, quę cum intus fuerit, iubetur proiici ab Eccleſia, ſecũdum illud Apocalypſis 22. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.] In quorum ſortem coniicit idem Iſaias Iſ. 10. qui leges iniquas ſtatuunt, dicens: Væ qui condunt leges iniquas; & ſcribentes, iniuſtitiam ſcripſerunt. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxi-

auxilium? & vbi derelinquetis gloriam veſtram, ne incuruemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis?] hæc tanta mala aggregata audiuimus, exigente diuina vindicta, in cōdentes leges iniquas. Sed quid ſi addatur, præſcribi eas & non ſubditis? plane tyrānicum eſſe, vno omnes ore clamabunt. Et ſi apponatur, & ſacris? nomen ſacrilegorum non effugient. Quod tantum crimen mox præcipuum ſenſit Petrum vltorem, Acto.5. cui non ſatis viſum in vltionem facinoris eiuſmodi delinquentes ſententia anathematis ab Eccleſia ſeparare; ſed in terrorem credentium voluit eos interfeciſſe ſpiritu oris ſui, ita horribili delinquentium pœna ſanciens in Eccleſia diſciplinam, ne dicata ſemel ſaltem mentis propoſito dona Deo, quis impiè auderet attingere. Quod plane eo redditur execrabilius ſcelus, ſi lege firmetur, vt iure fieri videatur, quod cōtra ius diuinum etiam vſurpatur. Stent igitur altiſſimi iidémque fortiſſimi diuidentes ſacra à profanis exaltati à Chriſto parietes, quibus imperia ſunt diuina lege diſtincta, vt quæ ſunt Cęſaris Cęſari, & quę ſunt Dei Deo reddantur, Matt.22. ne quid à Principibus aduerſus perſonas Deo dicatas, vel bona eidem oblata, aut iura ipſi debita vendicetur.

In quibus attendite quotupliciter deliquiſtis, cum primo leges ſancieritis in non vobis ſubditos homines Deo ſacros; deinde quod tuleritis eas aduerſus loca ſacra, & res ſacras, nempe bona Deo dicata; ac quod denique iura ſacra, vt veſtra ſtatueretis, penitus euerteritis, & quidem non ſine magno periculo lædendæ Catholicæ Fidei, in confundendo, immo euertendo ordinem hierarchicum, à Deo in ipſa Eccleſia Catholica antiquitus inſtitutū, à Chri-

ſto confirmatum, prædicatum ab Apoſtolis, aſſertum in Conciliis, roboratum traditione, cultúque receptum ab omnibus orthodoxis Principibus, & aliis cunctis inferioris ordinis Chriſtianis. Quæ enim (inquit Apoſtolus) Rom.13. ſunt à Deo, ordinata ſunt. interuertitur quidem ordo hierarchicus, ſi quæ ſunt alterius, alter ſibi perperam ſumat. De huiuſmodi enim idem Apoſtolus, Ibid. 10. qui fixos terminos ſacros tranſgrediuntur, hæc ait: Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, vtpote redditi malo opere iniuſtiſſimi.

Quid igitur vobis arrogatis de iuribus eccleſiaſticis ſancite leges, eaſdémque aduerſarias legibus eccleſiaſticis, quandoquidem laicis inconceſſum ſit etiam proficuas præſcribere de his leges? Audite quid in Romano Concilio ſub Simplicio Papa fuerit actitatum, vbi agens Baſilius vicem Odoacri Regis, legem tulit de non alienandis bonis eccleſiaſticis: cui vos contrariam promulgatis, vt alienari omnino debeant. Interceſſit enim tunc Maximus Bleranus Epiſcopus, qui conuerſus ad ſanctam Synodũ, dixit: De me licuit laico legem dare? Reſpondens ſancta Synodus, dixit: Non licuit: & recitata in Synodo ipſa lege, hæc de ea Eulalius Epiſcopus Syracuſanus: Scriptura, quæ in ſacro Concilio eſt recitata, nempe conſtitutio de non alienandis bonis eccleſiaſticis, euidentiſſimis documentis conſtat eſſe inualida. Primum, quod contra Patrum regulas à laicis, quamuis religioſis, quibus nulla de eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur vnquam attributa facultas, videtur. Deinde, quod nullius Præſulis Apoſtolicæ Sedis ſcriptione firmetur, &c.

Si iſtas

Si iſtas neruoſas adeo antiqui Patres noſtri in Romano Concilio aduerſus laicos legiſlatores dixere ſententias; tolerabimus nos latas à vobis leges iniuſtas, atque damnoſas, bona eccleſiaſtica diſſipantes? cum latas à Regibus pro eorundem conſeruatione proficuas, ea tantum ratione, quod non eſſet laicorum præſcribere ſacerdotibus leges, Patres cõtinuo abrogarunt.

Quam autem fuerint cauti poſteriores orthodoxi Imperatores Occidentales, ne quid inconſulto Romano Pontifice ſtatuerent in Eccleſia, etiamſi pro Eccleſia: deducantur in exemplum vertices illi ſæcularis potentiæ, toto orbe conſpicui, Chriſtianiſſimi Imperatores Carolus Magnus, & Ludouicus Pius, qui ſumma religione colligentes in vnum diligentia ſanctorum monachorum leges eccleſiaſticas ſuis admixtas: nonniſi eas prius recognitas ab Epiſcopis, probatas vero ab Eccleſiæ Romanæ Pōtificibus, edere præſumpſerunt, prout ex eorundem præfationibus conſtat. Qui plane nihil antiquius ſemper habuerunt, quàm eccleſiaſticam libertatem, in primis vero auctoritatem primariam Romanæ Eccleſiæ ſartam tectam poſteritati mandare. Hinc illud apud eos: Capitul. lib. 7. c. 265. 267. Conſtitutiones contra canones & decreta Præſulum Romanorum, ſeu reliquorum Pontificum, vel bonos mores, nullius ſint momenti. & inferius de auctoritate Papæ ſuper omnes Epiſcopos: Lib. 5. c. 33. Cū prouincialis Synodus retractetur per Vicarios Vrbis Romæ Epiſcopi, ſi ipſe decreuerit. Quod ſi quid crimi- noſum per clericos committi contingeret; quid in eos agendum, cenſet Carolus cum Epiſcopis Lib. 7. cp. 187. Romanum Pontificem conſulendū. itidem,

ne quid graue, inconſulto Romano Pontifice ageretur:&, Si maiores cauſæ in medio fuerint deuolutæ: ad Sedem Apoſtolicam (vt ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit) incunctanter referantur. Si hæc ergo, quæ in fauorem Eccleſiæ ſancita eſſent, non abſque cõfirmatione ſummi Patris Romani Pontificis edere præſumpſerunt Imperatores Chriſtianiſſimi: qua frõte alij, quorúmve exemplo, niſi Iuliani Apoſtatæ, vel aliorum tyrannorum, aduerſarias ſanctæ Eccleſiæ iuribus leges ſcribunt, & promulgant? Audite poſt alios ex Ioanne Damaſceno, de imag. orat. 2. quorumnam ſit iura eccleſiaſtica condere, cum poſt multa de eodẽ argumento tractata ſubiicit iſta: Regum eſt ciuilis adminiſtratio; eccleſiaſtica vero conſtitutio paſtorum atq; doctorum. & inferius: Non ſuſcipio Regem ſibi ſacerdotium per tyrannidem vendicantem: & poſt enumeratos Imperatores Orientales tyrannice rem agentes, ſubdit: Non regiis regulis, ſed Patrum inſtitutis tam ſcriptis, quàm nõ ſcriptis Eccleſiam cenſeo conſtitui, & gubernari debere.

Sed audite optimi Imperatoris Baſilij Macedonis verba, & exempla imitamini, ita in Octaua Synodo œcumenica Catholicos laicos alloquẽtis: De vobis autẽ laicis, tam qui in dignitatibus, quã qui abſolute conuerſamini, quid amplius dicã, quam quia nullo modo nobis licet de eccleſiaſticis cauſis ſermonẽ mouere, neq; penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari. Hos.n. inueſtigare & quærere, Patriarcharũ, Põtificũ, & Sacerdotũ eſt, qui regiminis officiũ ſortiti ſũt, qui ſanctificãdi, qui ſoluendi & litigãdi poteſtatem habẽt, qui eccleſiaſticas & cœleſtes adepti ſunt claues: non noſtrũ qui paſci debe-

debemus,qui ſanctificari,hoc eſt benedici, qui ligati,vel à ligamẽto ſolui egemus.Quantæcũque enim religionis & ſapientiæ laicus exiſtat, vel etiã ſi vniuerſa virtute intus polleat,donec laicus eſt, ouis vocari non deſinet. Rurſus Epiſcopus quantacũque ſit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antiſtes eſt, & veritatis verbũ recte prædicauerit, paſtoris vocationis & dignitatis damna nõ patitur. Quæ ergo nobis ratio eſt in ordine ouium cõſtitutis paſtores verborũ ſubtilitate diſcutiẽdi,& ea quæ ſuper nos ſunt,quærẽdi,& ambiendi? Oportet ergo nos cum timore & fide ſincera hos audire, & facies eorũ vereri, cũ ſint miniſtri Domini omnipotẽtis, & huius formã poſſideant,& nihil amplius,quã quę noſtri ordinis ſunt,requirere.Nũc autẽ,vt videmus, adeo multos malitia in inſaniam accendit, vt obliuiſcentes proprij ordinis, & quod pedes ſint, minime cogitãtes, legẽ ponere velint oculis, non vt natura ſe habet.& inferius: Itaque moneo & exhortor omnes qui tales ſunt,vt maledictum & alternum odium auertentes,& iudicare iudices deſinant,attendant ſibi,& ſecundũ diuinam voluntatem,cõuerſari contendant. Nam nõ quieſcit ſupremum iudicium, ſed contra diſſidentes diuinus furor ſtillabit, & iuſtam vltionem opere cunctis oſtẽdet. Hæc Baſilius. Quæ paulo fuſius ad verbũ retuliſſe voluimus,vt tãti Imperatoris exemplo intelligatis,quam reuerentiam & obedientiam rebus ac perſonis eccleſiaſticis exhibere debeatis. Sed alia innumerabilia eáque clariſſima in hoc genere exempla breuitatis cauſa recenſere prætermittimus.

Eſt autẽ illud omnino falſum,quod ad peccati excuſationẽ affertis;id ipſum ſcilicet factitatũ à veſtris

anteceſſoribus, qui ſe nemini ſubiicientes, quod proficuum Reipublicæ videretur, hoc ſtatuerent. At ſecus quidem illi, qui quod ſibi ſcirent legibus eccleſiaſticis inconceſſum, nequaquam audebāt decernere ſuis legibus,ſed extorquendum putabāt per Patriarcham,quod negandum ſibi ſcirent à Romano Pontifice. In hoc ſane vobis modeſtiores, quod non auderent condere leges de his, quæ noſſent ad forum eccleſiaſticum pertinere. Vt hæc autem euidentiori percipiatis exemplo, cum plures extent de his literæ, vnæ illæ, quæ & breuiores, recitandæ bierunt Innocentij Papæ III. datæ ad Patriarcham Conſtantinopolitanum,ciuem Venetū,nuper creatum, cum ab iiſdem Venetis ſimúlque Gallis ipſa Conſtantinopolitana ciuitas eſt capta anno Salutis milleſimo ducenteſimo quarto.Sic enim ſe habent, vti leguntur in codice Actorum eiuſdem Pontificis: qui ita incipit à miniſterio ſibi à Deo credito in regimine vniuerſalis Eccleſiæ:

Adhoc (inquit) Deus Apoſtolicæ Sedis antiſtitem,qui plenitudinem habet eccleſiaſticæ poteſtatis,ſuper(Ierem.1.)gentes & regna conſtituit,vt iuxta verbum Propheticum euellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, quæ in agro Dominico tuæ culturæ commiſſo inutilia reperit & nocius, iuxta quod alibi ſibi præcipitur à Domino per Prophetā:(Iſai. 58.)Diſſolue colligationes impietatis,ſolue faſciculos deprimentes. Nos igitur attendentes iuramentum illud, quia prorſus illicitum, non eſſe ſeruandū,quod à te Venetiis cōſtituto fuit à Venetis violenter exortū,ſicut tua nobis inſinuatio patefecit(vt videlicet neminē ſis facturus Canonicū in Eccleſia ſanctæ Sophiæ niſi Venetę nationis,vel qui cōtinue

per

per decennium Venetiis habitaſſet: quódque bona fide, modis omnibus, quibus poteris, laborabis, vt ſemper in eccleſia ſanctę Sophię ſit de Venetiis Patriarcha, ſaluis tamen in omnibus Apoſtolicæ Sedis iure, auctoritate, reuerētia, & honore. licet hæc conditio ſtaret adiecta, vt nō ſit in ſcriptis redacta) præſentiū tibi auctoritate mandamus, & in virtute Spiritus ſancti diſtricte præcipimus quatenus iuramētū illud nequaquā obſerues cū Sanctuariū Dei non ſit hereditario iure ab aliquibus poſſidēdum, ſed in omni gente, qui facit iuſtitiam, acceptus eſt Domino: præcauens diligenter, ne poſt hoc Apoſtolicæ Sedis præceptum in præmiſſis articulis iterū delinquas. Qui ſi de cetero ſolos Venetos in eccleſia ſanctæ Sophiæ Canonicos inſtitueris, aut ad hoc impēderis operā qualēcumq;, vt ſemper in eadē eccleſia ſit Venetus Patriarcha, in ipſa nō ponēdo Canonicū, niſi iuret, quod nūquā aliū de Venetiis eliget, aut recipiet Patriarchā: nulla deinceps ratione ſuper his poteris excuſari. Sed nec illud obſerues, quod abſq; iuramēto diceris promiſiſſe, vt neminem Archiepiſcopū prçter Venetū in tota facies Romania. Ne vero prętextu iurationis canonicę, aut cuiuſcūq; promiſſionis obtētu talia de cętero prçſumātur, aut ſi præſumpta ſint obſeruētur: nos obligationes huiuſmodi auctoritate Apoſtolica irritamus, ſub interpoſitione anathematis prohibentes, ne quis ea obſeruare præſumat: tibiq; præcipimus, vt id Canonicis ſanctæ Sophiæ nō ſolū inſtituas, ſed etiā inſtituendo caute denūties, quatenus hoc nefas valcant euitare. Licet autem plus debueris Dominū timere, quàm homines, ne iurares aliquid propter homines contra Deum: ſi tamen in illo iuramēto per vim &

metum extorto præſcriptam adhibuiſti cautelam, vt iuraueris, ſaluo in omnibus Apoſtolicæ Sedis iure, auctoritate, reuerentia, & honore: nos tibi delictum humiliter confitenti ex ſpeciali gratia indulgemus, vt huiuſmodi iuramentum nullum tibi poſſit præiudicium generare, dummodo præceptum, quod ſalubiter tibi facimus, ad ſaluandum ius, auctoritatem, reuerentiam & honorem Apoſtolicæ Sedis, contra cuius ſtatuta, ea quæ ſunt iurata, redundant, fideliter exequaris.

Cæterum & ſi præſcripta nobis à tuis Nuntiis ſecreto fuerint annuntiata: noueris tamen pro certo, quod quædam eorum certa relatione prius fuerant noſtris auribus patefacta.] Hactenus litteræ Innocentij, quibus etſi non laudanda de maioribus veſtris annuntiantur vobis, eos tamen reuerentiores fuiſſe, vt qui non auſi fuerint, vt vos facitis, de clericis leges ſancire, ſatis apparet. Nouerit ex iiſdem pariter, haud adeo nouum, vt inſurgant Romani Pontifices vindices aduerſus veſtros pro tuenda libertate eccleſiaſtica, ita quidem Innocentius.

Qui & ſi adeo redarguit Patriarchã pœnitentem, ad Romanã Eccleſiam ſupplicẽ confugientem, qua reprehenſione, quibus cõminationibus & cenſuris exagitaſſet veſtros Præſules, quos nõ dixerim Epiſcopos tãto nomine indignos, ſed mercenarios, immo nec hoc nomine honeſtandos, cum nec ſibi fuga, vt aſſolent mercenarij, cõſuluerint, ſed lupos potius nominandos, qui ſe lupo venienti cõiunxerint, atque in gregis totius internecionem miſcuerint. Quod nolim cõtumeliæ loco dictũ accipiant: mendax arguat, niſi hoc ipſum Euangelica auctoritate conſtiterit; nam cum præſtent ipſi, quod luporũ eſt, lupos

lupos dici debere non renuant: eſt nãque luporum oues diſpergere, vt teſtatur Euangeliſta: (Ioan.10.) omnes autem ſchiſmaticos diſpergere. Chriſti Ieſu ſententia illa firmatur, qua inquit: (Luc.11.) Qui non eſt mecũ, contra me eſt; & qui nõ colligit mecũ, diſpergit.] Quod iure in eius Vicariũ transferatur, vt diſpergere æque dicatur omnis, qui nõ colligit cum Romano Põtifice. nã audi Catholicæ Eccleſię tubã, S. Hieronymũ, (ep.57.) ſcribentẽ ad Damaſum Romanũ Pontificẽ: Quicumq; tecũ nõ colligit, ſpargit. hoc eſt: Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.] Paſtorum vero eſt, Chriſto collaborare, pro eius grege ex aduerſo conſurgere, Principibus plus æquo ſibi ſumentibus ſacerdotali vigore reſiſtere, conſtantia infracta reprehendere. quod & nauiter ab aliis omnibus Romanis Pontificibus actitatum ſcimus aduerſus quoſcumque Principes: vt continuo inſurgerent legum Principum abrogatores vel correctores. Vt feciſſe (Greg.lib.2.ep.62.& lib.7. ep.10.) S. Gregorius inuenitur, qui legem Mauritij Imperatoris, cogentem ad militiam monachos, nonniſi emendatam promulgandam curauit. Præſtiterunt & hoc ipſum alij inferiorum eccleſiarum Epiſcopi; & inter alios (Ambroſ.ep.32.33. vet.edit. S. Ambroſius acerrimus vindex eccleſiaſticæ libertatis, ne inuaderetur ea aliquatenus à laicis, quãuis Imperatoribus orbis dominis. Qui & legem trium Auguſtorum aduerſariam eccleſiaſticæ libertati Mediolani tunc promulgatam reuocari coegit, (Cod. Theod. lib. 27. de epiſ.) & edi omni errore purgatam.

Sed quid ſingulos memorẽ? iã ex ſacro œcumenico Cõcilio inſeram' hic teſtimoniũ; ne quid Principes

ſuis legibus ſibi arrogent contra leges eccleſiaſticas. In ſacroſan. Chalcedonenſi Concilio cum cauſa Epiſcoporum ageretur, Euſtathius Beryti Epiſcopus ſic compellauit iudices cognitores: Num ſecundum canones eccleſiaſticos, an ſecundum leges Imperatoris, cauſa dirimenda eſſet? Tunc iidem interlocuti iudices, iſta dixere: Sacratiſſimo domino orbis placuit, non iuxta ſacras Imperatoris litteras & pragmaticos, res ſanctiſſimorum Epiſcoporum procedere, ſed ſecundum canones à S. Patribus datos. Omni igitur ceſſante è ſacris pragmaticis definitione, canones de hoc capitulo editi legantur.] Hæc iudices cognitores, qui ad S. Synodum conuerſi, hoc ipſum rogarunt, Vtrum ei placeat ex regulis Patrum huius cauſæ quæſtionem examinari: an ex ſacris pragmaticis? ſancta Synodus dixit: Contra canones nihil pragmaticum valebit, regulæ Patrum teneant.] hæc ibi, atque modo ſatis de his quæ generatim ſpectant ad leges Principum, latas de rebus atque perſonis eccleſiaſticis. Nunc autem ſpeciatim (vt cominus rem agamus) deſcendamus ad eas quas vos ſanxiſtis aduerſus eccleſiaſticam libertatem, quarum cauſa ab Eccleſia Catholica ſententia excommunicationis iuſtiſſime exciſi eſtis.

Redarguimini in primis litteris Apoſtolicis ſanxiſſe legẽ, qua cauetur, ne perſonæ eccleſiaſticę ſæculares & regulares in bonis Eccleſiaſticis à laicis poſſeſſis ſub quouis titulo, aut colore, iure prælationis, ſeu conſolidationis directi cum vtili dominio, aut extinctionis lineæ, aut alia quauis cauſa bonorum prædictorum proprietatem ſibi vendicare vllo vnquam tempore poſſint. Hoc eſt decretum in conſilio veſtro firmatum, quo iura humana pariter ac diuina

diuina ſubuertere nitimini. nam cum & prædones ab iniuſta poſſeſſione exturbare ſit vetitum, quomodo Chriſto ius acquiſitum tollere præualetis? Verum caput hoc ad emphyteuſes ſpectans ſuperfluum fuerit attigiſſe, eo quod à vobis veluti cauſa cadentibus, in veſtris eſt literis prætermiſſum, iam euicta cauſa veſtro ſilentio: & quidem prudenter à male cœptis deſiſtentibus, manus dantibus. Quod ſi in reliquis id ipſum præſtitiſſetis, vere ſapientium ſpecimen numquam obliuione delendum poſteris edidiſſetis, quibus tantopere fruſtra laboratis præſcribere leges Deo penitus aduerſarias.

Exagitamini inſuper litteris Apoſtolicis, per vos ſtatutum, Ne quis eccleſias, monaſteria, hoſpitalia, atque alias religioſas domos Venetiis, & vbique locorum dominio veſtro ſubiectorum, ſine veſtra ſpeciali licentia fundet & erigat. Quã autem contra ius, faſque id præſumpſeritis, quæ dicturi ſumus, vos commonebunt. Clamat S. Ambroſius, (Amb. ep. 33.) cum vel vnam ſaltem eccleſiam in ampliſſima Mediolanenſi ciuitate, Valentinianus orthodoxus Imperator expoſceret, & in negatam irrumperet: inquiens: Domum priuati nullo potes iure temerare; domum Dei exiſtimas auferendam? allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Noli te grauare, imperator, vt putes in ea quæ diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt: (Matth. 22.) Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum. Iterum dicitur mandaſſe: Debeo & ego vnam baſilicam habere. Re-

ſpondi: Non tibi licet illam habere.] hæc S. Ambroſius ad Valentinianum orthodoxum & bene Catholicum Imperatorem, matris Iuſtinæ tamen inſtantia cauſam agentem Arianorum, qui eo quod vi ſibi vnam Eccleſiam vendicare tentauit, licet dimiſerit, cito citius expertus eſt, quod Sanctus fuerat comminatus, vt tyranni gladiis confoſſus deſierit imperare. Quod S. Ambroſius in Occidente, id ipſum præſtitit S. Ioannes Chryſoſtomus in Oriente. (Theod. hiſt. lib. 5. c. 32.) Cum Gaina tyrannus peteret dari Conſtantinopoli Eccleſiam vnam, & ad hanc concedendam Imperatori inclinaretur Arcadius: reſtitit vtrique Chryſoſtomus, Imperatori ſcilicet, quod promitteret, quod ſub iure ſuo non eſſet repoſitum; & tyranno, quod male peteret, quod non eſſet Imperatoris.

Sed non ſolum id tanti profeſſi ſunt ſacerdotes, ſed etiam ipſi modeſtiſſimi Imperatores. Nam illa Occidentalis Imperij culmina Auguſtiſſima, æque ac robore militari potentia, ſimúlque doctrina rerum ſacrarum conſpicua, Carolus & Ludouicus, cum faterétur ſuper eccleſias nullum ſibi vendicandum eſſe dominium, vere legitimi laudati ſunt Imperatores, vt qui lege ſcripta profeſſi ſunt, non tantum in Eccleſiarum conſtructione aliquod ius non eſſe conceſſum Imperatoribus, ſed neque abſque Epiſcopi licentia domi ſuæ Oratorij conſtruendi habere aliquam facultatem: quod probe cognitum pragmatica ſanctione ita relinquere voluere teſtatum, his verbis, (Lib. 5. c. 182.) Placuit nobis, vt (ſicut ab Epiſcopis & reliquis ſacerdotibus ac Dei ſeruis admoniti fuimus) ne capellæ in noſtro palatio, vel alicubi ſine permiſſu Epiſcopi, in cuius eſt paro-

parochia, fiant.) Si igitur nec capellam vnam & in ſuo palatio ædificandi abſque licentia Epiſcopi tanti Imperatores facultatem ſe habere teſtati ſunt; quomodo ædificandi eccleſias, & alia religioſa loca dandi licentiam, vel negandi, vos ita vobis arrogatis auctoritatem?

Verum habetis vos, quo magnopere gloriemini, habetis quem oſtendatis veſtræ legis auctorem Nicephorum Phocam Conſtantinopolitanum Imperat. qui reperitur veſtræ ſimilem condidiſſe legem, quam ob eius turpitudinem oportuit promulgaſſe elegantioribus fucatam coloribus. Ac plane talem vos imitatos eſſe hominem, eſt vt ex hoc magnopere erubeſcatis, vtpote monſtruoſum, fœdum, tam Græcorum quam Latinorum hiſtoricorum, & Luitprandi Epiſcopi Cremonenſis apud eũ legatione perfuncti, ſtylo exagitatũ, & ad ſummã turpitudinem denigratum, atque infamiſſimè deformatum. Huius Imperatoris, inquam, de his conſtitutio extat, ſed decurtata apud Theodorum Balſamonem, integra vero in codice Iuris Græcorum, libro ſecundo Nouellarum conſtitutionum Imperatorum, quam ob nimiam, deformem, & execrabilem prolixitatem hic deſcribere prætermiſimus. conſulat ipſe Lector, ſi libet, eximiæ turpitudinis monimentum, ſed è Græcorum fontibus per vos tamquam à Solone atque Lycurgo depromptum: quam quidem tot coloratam fucis ſanctionem quis ipſo primo eius intuitu, meretricio deceptus ornatu contẽnendã eſſe putarit? Sed mala quæ ſecũ plurima vexit, prudentiorẽ ſucceſſorẽ reddidit Imperatorẽ. Vtpote quæ primum quidem auctori ſuo peperit clades immenſas, parauerit Imperiũ funeſtiſſimum, & tandem eidem attulerit mortem acerbiſſimam.

Sed nec finis malorum in nece promulgatoris, verum quandiu factio illa, nō ſancta,ſed impia viguit (quod fuit ſpatium annorum vigintitrium) vigens iugiter ipſa fuerit peſtis totius Imperij, quod diſertis verbis teſtatus eſt,quiſ͏̨eam abrogauit Baſilius iunior Imperator,cuius conſtitutio à Theodoro Balſamone ſic breuiter recitatur.

Diuinitus conſtituta maieſtas noſtra, cùm & à monachis, quorum teſtata pietas ac virtus eſt, & aliis multis cognouerit, legem à domino Nicephoro vſurpatore Imperij de eccleſiis Dei, religioſiſque domibus latam cum præſentium malorum, tum vniuerſalis huius ſubuerſionis atque confuſionis cauſam & radicem extitiſſe, velut non ad iniuriā contumeliámque duntaxat eccleſiarū & religioſarū domuum,ſed ipſius quoque Dei cōditam; cumque adeo re ipſa ſic comparatum id eſſe compererit (nam ex quo lex iſta robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum vſque diem ætatis noſtræ contigit,ſed potius è contrario nullum omnino genus calamitatis intermiſit (ſtatuit per religioſam hanc auream bullam, cui ſubſcripſit, legem illam prius latam ab hoc præſenti die ceſſare debere, ac deinceps irritam,nulliúſque momenti manere :conditis ante ipſam legibus, tam de Eccleſiis Dei, quàm religioſis domibus vim & robur ſuum obtinentibus,quas & illuſtris auus maieſtatis noſtræ,& pater eiuſdem & abauus optimè ac religioſiſſimè promulgarunt. Vtque ſancta & immutabilis eſſet hæc conſtitutio: propria manu ſubnotatā,aureo quoque ſigillo ſignificari iuſſimus mēſe Aprilis,die quarta, Indictione prima,anno ab origine mundi ſex milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto.] eſt

Digitized by Google

annus ſalutis nongenteſimus octogeſimus ſeptimus. Augiſtis, maioris fuiſſe auctoritatis apud Imperator. Baſilium aliquot monachos petentes ab eo legis ſacrilegæ abrogationem, quam apud vos ſummam dignitatem tanti Pontificis, id ſæpius litteris rogantis, & comminationibus poſtulantis? Toleraturus ergo ne ipſe erat id genus legis veſtræ, quę etſi non aliunde, ex ſui antiqua origine magnam ſecum afferret infamiam: quam etiam vt omnium malorum fontem ſucceſſor pius Imperat. obſtruxit?

Vultis & de his in Occidentalibus oris exemplum audire lugubre, hiſtoriam audire tetram, quanta ſecum attulit damna vna edita ab Imperatore ſanctio aduerſaria eccleſiaſticæ libertati? Audire breuiter, quæ malorum atrocitate longiori ambitu circumducenda eſſet oratio. Valentinianus (Nouell. Valent. tit. 12. de Epiſc. iudicio 10.) eius nominis nouiſſimus Imperator, an. Redemptoris 452. vbi poſt proſtratum an. ſuperiori in Galliis Attilam, legem illam ignominioſiſſimam tulit, qua eccleſiaſticum tribunal penitus tolleretur: mox ſecundum illud Danielis: (Dan. 8.) Datum eſt illi robur propter peccata, eiuſdem Attilæ exciſa potentia adeo rurſum viruit & refloruit, vt eodem anno exciderit Aquileiam, aliáſque Galliæ ciſalpinæ nobiliſſimas ciuitates attriuerit, & niſi obicem paſſus eſſet Romanum Pontificem S. Leonem, eius ſemel accenſa flamma vniuerſa Italia conflagraſſet. Ita plane euidenti fuit demonſtratum exemplo, nihil aliud fuiſſe, præſcripſiſſe Imperatorem leges contra eccleſiaſtica iura, quam hoſtes erigere iam bello proſtratos in exterminium totius Imperij, quòd paulo

ante fuerat victoriis clariſſimis illuſtratum. Nam & poſt eandem latam legem, aliis & his maioribus, fuit cladibus labefactatum, Vrbe ipſa à Genſerico capta:nec deſiere mala,quouſque peſſima illa,fons malorum omnium,lex permanſit. Audiſtis quæ Oriens,quæ & Occidens clament de ſanctionibus aduerſus Eccleſiæ iura editis, tunc nimirum ruere Imperium,cum ipſæ vigeant.Et vos qui ex Aquileiæ cineribus orti eſtis:cauete ne ex eadem cauſa in cineres reuertamini.

Iam tranſeamus ad aliam legem per vos male ſancitam de non relinquendis eccleſiis,vel perſonis eccleſiaſticis bonis, immobilibus abſque Senatus veſtri licentia, cuius cauſa etiam commeruiſtis excommunicatione percelli. Ita plane vos eſtis in iis ſecuti eundem execrandum Nicephorum Imperatorem,in cuius conſtitutione verba iſta legiſtis:Itaque ab hoc tempore nemini liceat nec fundos, nec agros,nec loca,monaſteriis,aut gerocomiis, aut xenonibus quomodocumque tranſmittere, adeóque nec alicui metropoli,vel Epiſcopatui &c.] quam legem vt Imperio damnoſiſſimam,vt audiſtis, Baſilius Imperator ſummam deteſtatione penitus abrogauit.Cuius vel tantum originem oſtendiſſe,confutaſſe eſt, & abrogationem appoſuiſſe, eſt expoſuiſſe palam opprobrio.At ſcimus pariter, & antiquitus vetitum legibus Imperatorum, ne quid caperent clerici teſtamento viduarũ.Reperitur enim Valentinianus vna cum Valente & Gratiano Imperatoribus.(Lib.2.de Epiſc.& cleri.in C Theod.) ſanxiſſe eiuſmodi legem, ſed tamen non ſine Damaſi Papæ conniuentia,ad cohibendum ſcandalum & auaritiam clericorum,per(S. Hieronymum ep. 2.3.22.) ſæpe

22.)ſæpe declamatam,& per(S.Ambroſ. ep.31.32. & ſerm.7.)deploratam.Sed eam (Marcianus Nouell. 5.) Imperator ampliſſime reuocauit , cum capta Vrbs eſſet à Vuandalis,quaſi ob iniquas leges Imperatorum tanta clades ab irato numine inferretur.Illud demum ſic habeto(ne in his diutius immoremur) nullam hactenus promulgatam fuiſſe legem,eámque publicis tabulis indictam ad communem populi vſum,quæ contra iura eccleſiæ eſſet, quin fuerit contrariis legibus abrogata. Stabunt ne veſtræ?cum ſcriptum ſit:(Matth.15.)Omnis plantatio,quam non plantauit Pater meus, eradicabitur:] minime gentium.Vel ſtare non poterunt quæ ædificatæ ſunt ſupra(Luc.6.) petram leges eccleſiaſticæ,ſuper verbum Domini,ipſo cœlo etiam firmiores?ſiquidem ſcriptum eſt:(Matth.24.) Cœlum & terra tranſibunt,verba autem mea nõ pręteribunt?] Stabunt,ſtabunt,inquam,(Idem 16.)verbo Domini conſolidatæ , eo quod nec portæ inferi præualebunt aduerſus eas.Porro per inferi portas interpretati ſunt plures ſanctorum Patrum , potentiam ſæcularem Principum iniquorum.

His pro litteris Apoſtolicis præmiſſis , iam veſtras atque primum illas ad Eccleſiarum Præſules à Duce datas inſpiciamus.Quis exiſtimare potuiſſet, tantum Ducem tot tantorúmque beneficiorum recens à Sede Apoſtolica perceptorum adeo profunda teneri potuiſſe oblinione , quorum ſaltem vinculis contineri in officio debuiſſet, ne adeo ab ipſa pertinaciter reſiliret?Recẽs memoria eſt,cũ vobis oppreſſis tyrannide Ottomannica , iacturam paſſis inſulæ Cypri,amiſſuris proxime Cretam,inhiante tyranno ad extremã veſtri dominij euerſio-

nem; Sedis Apoſtolicæ Præſul ſanctiſſimus Pius Quintus ſacro fœdere ſumma potentia in ſumma difficultate diuinitus concinnato, adeo admirandæ victoriæ fuerit auctor, & retinendæ libertatis adiutor. Cuius erga vos adeo ingentis impenſæ beneficẽtiæ & munificæ largitatis tranſierunt onera ad ſucceſſores, relicta adeo Eccleſia obæratа, vt æris alieni diſſoluendi reliqua nulla ſit ſpes, oppignoratis redditibus eccleſiarum. Cuius beneficij ſi memores, ſi grati (quod & Ethnici faciunt) fuiſſetis, quæque grauiſſima ab eadem ſancta Sede vobis impoſita perpeti potius, quàm ab ea euerſione ſchiſmatica ſcindi debuiſſetis. Audite quæ vos immenſe redarguat vere ſummo Principe digna ipſo Carolo Magno ſententia, vnà cum aliis ſacris legibus promulgata: In memoriã, inquit, beati Petri Apoſtoli (Diſt.19.c.3.) honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, vt quę nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat eccleſiaſticæ magiſtrationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas. Et licet vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum: tamen feramus & pia deuotione toleremus.]hæc ipſe.

Dux autem veſter, quod ad ſalutem, non ad interitum promulgatum eſt in vos de illata excommunicatione decretum, nulla ſuæ ſalutis, vel ſuorum habita ratione, mox contumaciæ plenas, contemptu refertas eas ad Præſules litteras dedit, quarum ſola memoria veſtra poſteritas ſit ſuffundenda pudore. Sed quid erit? iuxta Sapientem: Id quod fuit: (Eccleſ.10.) quod & ita ſcriptum legitur in ſacris oraculis: Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis: Radices gen-

tium ſuperbarum arefecit Deus, & plantauit mites pro eis ex ipſis gentibus.] Quod fecit facturus eſt ſemper Deus, apud quem nulla eſt acceptatio perſonarum, vt par pari feriat vindicta delictum, niſi vincens Deum pœnitentia intercedat. Ad quam capeſſendam vt vos adeo reſilientes reddamus procliuiores prouocandum eſt ad maiorum exempla, quibus innoteſcat quantopere minorum quoque Epiſcoporum ſint reueriti ſummi Duces vtcúmque latas excommunicationis ſententias. Tempore Honorij Imperatoris Bonifacius Comes, dux totius exercitus tantæ erat auctoritatis, vt eius tantum nutu vniuerſum Imperium contremiſceret. Cum eſſet in Africa, atque Hippone ſceleſtiſſimum hominem confugiētem ad Eccleſiam è liminibus raptum detruſiſſet in carcerem: S. Auguſtinus (Aug. epiſt.6.in appen.) hæc audiens ad ipſum perbreues mox has litteras dedit, quibus abſque alia citatione, vel commonitione præmiſſa, ſententiam excommunicationis intorſit.

Miror quomodo tam ſubito fidei murum aries ruperit inimici. Noui enim qua religione ſemper ſis Eccleſiam Dei veneratus. Quo inſtigante, frater, hominem de eccleſia rapuiſti? Tuus ſi de tuo amico forte præſumeret fugitiuus, poſſet proculdubio interceſſoris cauſa veniam promereri. Ergo ſi amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed ſi de poteſtate præſumitur, Nabuchodonozor Regem intende, qui cauſa ſuperbiæ in bouem eſt ex homine commutatus. Non vt cōfundam te, hæc ſcribo, ſed vt filium meum chariſſimum moneo. Eccleſiæ igitur illæſum reuoca, quem vt irreligioſiſſimum rapuiſti. Oblatio vero domus tuæ à clericis ne ſuſcipiatur

indixi, communionémque tibi interdico, donec peracta pro auſibus vel errore à me definita tibimet pœnitentia & tempore condonato,pro hoc facto corde contrito & humiliato dignum offeras ſacrificium Deo.]hæc ad Bonifacium Comitem Auguſtinus,erectus ad vltionem ſceleris vigore ſacerdotali.Quid ad hæc reſpondiſſe putas tantum Comitem,ducem exercitus, ſic ab Auguſtino flagris cenſuræ eccleſiaſticæ verberatum? Audi redditam ad eum epiſtolam his ipſis verbis.

Humilis ſaluto,quod primum eſt.Suſcepi autem tremens ſanctitatis tuæ verba verberibus plena. Scio quod veniæ præparatur,qui ab Auguſtino perfectiſſimo ſacerdote corripitur: nec debet Eiſcopo denegare quod voluntas facit aut caſus. Ipſe enim ſibi denegat curam,qui ſuam medico non publicat cauſam.Hominem ergo,piiſſime Pater, è luminibus eccleſiæ raptum tuis ſanctis aſpectibus iuſſio mea,furórque ſubduxit. Alieno non ſunt facta iſta conſilio,Dei & Sanctorum eius regimine viuo. Illum itaque virum morte digniſſimum,quē(vt dixi) meus de eccleſiæ foribus furor abſtraxit, vitæ tuis iuſſionibus donamus illæſum. Agnoſco culpas,indignæ meæ lacrymæ iungantur tuis fletibus iuſtis, quo poſſit hæc nota,nigro inſcripta titione, deleri. Eccleſiæ mihi introitus non negetur: illic ſpero veniam,vbi admiſi culpam.Oblatio vero domus meæ (vt tua ſanctitas iuſſit)ad cæleſtis Regis menſam eius manib.offeretur.]hæc Bonifacius, deferens in omnibus ſacerdoti;ſicut & Stylico ſancto Ambroſio,æque petenti reddi ſibi delinquentem ab altari euulſum Creſconium,qui timore percitus ob vindictam militibus diuinitus illatam, qui ſuo iuſſu ſacri-

ſacrilegium perpetrarant,per multos dies per pœnitentiam(vt Paulinus in vita S. Ambroſij ait)eidem S.Epiſcopo ſatisfaciendum curauit. Addimus his & tertium exemplum de Andronico Præſide Pentapolis in Aegypto, qui eo quod ſuum edictum conuiciis plenum in eccleſia ſuſpendiſſet, à Syneſio Ptolemaidis Epiſcopo,collecta ibi Synodo, nulla prçuia citatione commonitus,terribili anathematis ſententia perculſus & magiſtratu abdicatus,magna animi ſubmiſſione pœnitentia præuia admitti ab Eccleſia,à qua excluſus fuerat,multum rogauit.hæcque cum Arcadius imperaret in Oriente.

At quid ex plurimis paucos memorē clariſſimos præfectos prouinciarum, cum & ipſi Imperatores & Reges magnam inde ſibi gloriam compararit, quod à Pontificibus perculſi ſentętia anathematis,haud contumaces ſunt eiſdem aduerſati, ſed obſequentes eorum mandatis,vt ex qua pulſi erant, in eccleſiam admitterentur,nihil prætermiſerunt humilitatis officij, atque pœnitentiæ impoſitæ diſciplinę,vt qui primus inter eos initiatus eſt Chriſtiana religione(Euſeb.hiſt.lib.6.c.27.) Philippus Auguſtus,Theodoſius Imperat. & poſt alios multos, quos breuitatis cauſa prætermittimusrecenſere,qui apud vos veniam ab Alexandro Papa humili obſequio promeruit Fridericus: vnde ſummam peperit ſibi laudem,& conciliauit honorem. Sicut è contra illi ingentem cōtraxerunt infamiam, & ignominioſum adepti ſunt nomen ſchiſmaticum, aut hæreticum,qui contra ſtimulum calcitrãtes,reluctati ſunt diſciplinæ,exulantes ab Eccleſia,redditi etiam cœleſtis gloriæ exheredes, excuſantes excuſationes in peccatis,& reiicientes culpam in Pontificis auſteri-

tatem: vt feciſſe reperitur, & ſuis ipſe Dux veſter teſtatus eſt litteris.

Quibus quidem primum de S.D. N. vehementer expoſtulans queritur, quòd miſſus ad eũ à ſe Legatus ipſius aures reperiſſet occluſas. At quid? Num quia exauditus non eſt, auditus non fuit? Hoc certè nemo negarit, cũ alioquin nec audiri meruerit, qui non obediturus aduenerat, ſed contradicturus Pontifici, vt exitus declarauit, ſecundum illud Oſeæ 4. Vnuſquiſque nõ iudicet, & nõ arguatur vir: populus enim tuus ſicut hi, qui contradicunt ſacerdoti,] profundum id malorum eſſe ſignificans, cum non obeditur, ſed contradicitur ſacerdoti. vbi in eãdem ſententiam ſanctus Hieronym. in Oſe. c. 4. Nunc quia in ſceleribus perſeuerant, & impudenti Deum fronte contemnunt, audiunt: Non eſt neceſſe, vt veniatis ad iudicium, vt in veſtris flagitijs arguamini, qui tantæ eſtis impudentiæ, vt nec conuicti quidem pudorẽ habeatis & verecundiã.] hæc & alia S. Hieronymus. Secundũ iſta & Nicolaus (ep. 27. & 55.) ſanctiſſimus Pontifex prohibuit Lotharium Regem venire Romam ad dicendam cauſam, vt quod non meretur audiri, qui hactenus ſæpe monitus, mandatis Pontificiis obedire contempſiſſet, licet promiſiſſet ſæpius, ſe omnibus præcepis Pontificiis pariturum. Nam in epiſtola ipſius (Nicolai epiſt. 9.) ad Ludouicum & Carolum Francorum Reges hæc poſt multa: Ipſe quidem Lotharius nobis & vobis per Imperiales Legatos mãdauit, quòd Romam vellet venire. Cui interdiximus, & omnino interdicimus, vt iter talis, qualis nũc eſt, nõ arripiat, eo quod S. R. E. talem reſpuat, & cõtemnat, & in hoc perſeueret, quod late in toto diffuſum eſt orbe.] quod ſcilicet

vxore

vxore abiecta, pellicem introduxit. At quid æquius videri poſſet, quam ſi Rex reus ſuam præſentiam iudici exhiberet? Sed quia admonitionibus Pontificiis non obtemperaſſet: reiicitur vt indignus qui ſe conferat audiendus ad Apoſtolicum thronum. ſubdit demum: Quod ſi inquit, contra propoſitum noſtrum forte præſumpſerit venire Romam: minimè cum qua cupit honeſtate vel hic ſuſcipietur, vel hinc profecto regredietur.] Quid igitur expoſtulat Dux miſſum à ſe Legatum occluſas reperiſſe Pontificis aures, cum ob ſpretas tot antea præcedentes admonitiones eiuſdem ſummi Pontificis, nec ipſe Dux, exemplo Lotharij Regis, admitti debuiſſet in vrbem ne dum ad ipſius Pontificis audientiam? Ita quidem, ſi tanti prædeceſſoris exemplo ſanctitate atque ſcientia eminentiſſimi res tractanda fuiſſet: vt nihil ſit penitus, quod queri poſſitis. etiam ſi Legatus veſter nullatenus fuiſſet auditus. Vel ſi agendum fuiſſet exemplo Alexandri Tertij Romani Pontificis, qui Legatos Regis Angliæ miſſos, excuſaturos Regem ipſum, quod mandatum non dediſſet de inferēda nece S. Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo (quod reuera non fecerat) negatus eſt tamen illis ab ipſo Papa auditus, quouſque iuratoria cautione adhibita ex parte Regis promiſiſſent, Regē ipſum omni obſeruantia & obedientia ſubiturum iudicium in omnibus Apoſtolicæ Sedis, eiuſdémque in omnibus ſententiæ pariturum. Qua ratione neque veſter Legatus admitti debuiſſet ad audientiam, quem ſciret Pontifex non ad parendum & iurandum obedientiam, ſed ad refragandum, & contradicendum à vobis miſſum fuiſſe.

Quoniam verò peculiare eſt malis Principibus,

qui Apoſtolicæ Sedis iudicium vitare conantur, aliquid excipere, quo vel ſaltem contemptum pariant iudicanti, vt illud maximè, quod nimia celeritate præcipitauerit ſententiam, potius quam ex præſcripto canonum ſeruato ordine iudiciario, tulerit. Fuit olim iſta querela Michaelis Imperatoris aduerſus eundem, de quo ſupra, Nicolaum Pontificẽ, qui redarguens ipſum oſtendit, ſatis eſſe, abſque aliquo ſeruato iuris ordine, ſummo Pontifici, ſi quomodocumque rem cõpertam habuerit, & quomodolibet delinquentes Principes cõmonuerit, & ſi nõ parerent, abſq; alio ordine iudiciario in cõtemptores vel contumaces excommunicationis ſentẽtiam ferat: idque factitari ſolitũ ab ipſis, ſi quid aduerſus Principes emerſerit contentionis. Adeo vt nulla poſſit legitima eſſe querela aduerſus Sanctiſſ. D. N. Paulum V. qui in eos commonendo multus fuerit, & nihil omnino profecerit. His itaque dilutis obiectionibus, iam quæ poſt hæc in iiſdem Ducis litteris ad Præſules ſubiiciantur, videamus.

Sunt plane huiuſmodi, quòd ab exordio naſcentis Eccleſiæ ab his qui ſe Catholicos profiterentur, contumaciores eſſe datas nullus inueniet: quippe quæ acerbiſſimo ſint referræ contemptu. Sed quæin execrabiles contemptores Paulus Apoſt. (Acto. 13.) ingerat, & vos pertingant, audire: Videte, inquit, ne ſuperueniat vobis quod dictum eſt in Prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & diſperdimini: quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis narrauerit vobis.] Nempe quod deſinetis eſſe quod eſtis, dum male quæritis eſſe ſuper Eccleſiam, quod efficere non poteſtis. De vobis namque eadem pertractantibus il-

lud diuinitus ſcriptum oraculumeſſe ſciatis:(Pſal.2.) Qui habitat in cœlis irridebit eos,& Dominus ſubſannabit eos, hi namque,vti vos, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtumeius,nempe præſidentes ipſis Sacerdotes illa dicebant: Dirũpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.]

Quid aduerſus ſummum ſacerdotem ſibi arrogat quiſque quantumlibet ſummus Princeps? Etenim cum reuera laicus tantum ſit, ouis eſt ex grege Petri, ſeu potius ouis fœtus. Siquidem quod Chriſtus dixit,(Io.21.)ad Petrum:Paſce oues,paſce agnos: per oues rectores eccleſiarum interpretati ſunt Patres, per agnos ex eis in Chriſto genitos reliquos Chriſtianos. Audi compellantem te quiſquis es tranſgre diens terminos tuos) Apoſtolum Paulum, (Rom. 14.)& dominium tuum iuſtis limitibus adeo coarctantem,vt extra eos qui ſunt tibi ſubditi,nullam in reliquis te habere ſentias poteſtatem ; vt eos iudices. Tu quis es, inquit, qui iudicas alienum ſeruum? domino ſuo ſtat,aut cadit.] Si alieni ſerui abripitur tibi Apoſtolica denuntiatione iudicium: quomodo præſumere poteris alterius fori non tibi ſubiectum ſaltem iudicare clericulum ? quomodo diaconum, vel ſacerdotem? quomodo Epiſcopum ? & (quod horrẽdum dictu quomodo tua ſententia condemnabis & non horreſces Archiepiſcoporum,vel Patriarcharum ſententias iudicare, ac denique quod & monſtrum atque portentum Luciferi eſt, dices: (Iſai.14.) In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, iudicabo iudicia Chriſti Vicarij, latas ab ipſo ſententias nullas eſſe propria denuntians auctoritate definiam, quod & feciſti. Sed ſic eleuatus certum caſum expaueſce, qui

ſubditur: Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci:]adeo vt magno te ſcias periculo, ſicut magno piaculo diuina tentaſſe, tribunálque diuinitus conſtitutum ſuper cœlum exaltatum,eius retractando ſententiam perùaſiſſe. Sed audi te abſterrentem Apoſtolum (1. Cor. 6.) Neſcitis quia Angelos iudicabimus:quanto magis ſæcularia? Venerandum quod eſt Angelis, quomodo Principibus non reuerendum, quod contempſiſti tribunal, & contumeliis affeciſti? thronum circumſtabant Angeli vindices:(Danielis 13.) Petri Cathedram deſeret cuſtodia Angelorum vlciſcentium quidquid peccatur in eam?

Sed nulla grauior pœna peccati ipſo peccato,quo & nullum grauius impietate quam parit contemptus,& alit.Nam audi ſanctum Martyrem Cyprianum(epiſt.65.) vbi redarguit diaconum contemnentem Epiſcopum:Hæc ſunt,inquit,initia hæreticorum,ortus atque conatus ſchiſmaticorum, male cogitantium,vt ſibi placeant,vt præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia reciditur, ſic altare profanum foris collocatur,ſic contra pacem Chriſti & ordinationem, atque vnitatem Dei rebellatur]porta igitur eſt hæc,quam aperit falſa iuſtitia,ex qua progreſſus patet in hæreſes ex contemptu,de quo alibi(idem ep.69.) Inde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt,& oriuntur,dum Epiſcopus,qui vnus eſt,& eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi?&c.]

Sed quantum te deſerat, & procul abhorreat iu-

ſtitia

ſtitia,quam præſumis,vt omnes intelligant, quæ ſunt abs te poſita contra ſententiam Apoſtolicæ Sedis,hic reddamus:Ais imprimis, contra omnem rationis formam,litteras Apoſtolicas eſſe cõceptas, & aduerſus id quod diuina Scriptura Patrũ Doctrina,& ſacri canones docent,eſſe conſcriptas.Sententiam vero excommunicationis iiſdem Apoſtolicis litteris promulgatam,non ſolùm iniuſtam eſſe, & indebitam, ſed etiam nullam, nulliuſque momenti illegitime fulminatam, nullo iuris ordine ſeruato.]iſta leguntur in illis totidem verbis expreſſa,ſed ſingula percurramus. Contra omnem rationis formam,& ſcita ſacrarum legum litteras aduerſus vos ab Apoſtolica Sede datas affirmas. Hic cogimur inuiti in memoriam reuocare,quę per vos & veſtros miniſtros perperam perpetrata, diu multúmque diſſimulata ſunt ab Apoſtolica Sede;deplorata tamen ſemper,dum nulla penitus emendatio ſequeretur:quæ,ſi ex ſacrorum præſcripto canonũ res agendæ fuiſſent, guttas pluuiæ fulmina anathematis ſuperaſſent. Quot vidimus Romæ miſeros exulantes Epiſcopos,vobis ſubditis ciuitatibus præfectos,dira perſecutione vexatos,cum obrutam reuocare in lucem tentarent eccleſiaſticam libertatem? Quot clericorum inferioris ordinis perlatæ ſunt iugiter querelæ,de foro eccleſiaſtico intercepto,& expilatis bonis eccleſiarum,ſublatis iuribus, inuaſis eccleſiis, violato ſacro aſylo frequenter? Quia annuntiatus frequentior Apoſtolicarum litterarum contemptus,ipſius vero in primis Bullæ in Cœna Domini promulgari ſolitæ,violatio, & cum violatione deſpectio?Prætermittimus verba contumelioſa,ſalſa dicteria,arguta ſcommata, irriſiones

& inuectiuas, quibus iugiter exagitare conſueuerũt veſtri S.R.E.Clerum,iſthæc iugiter perpeti aſſuetũ, non parcentes ei,qui Chriſti loco,ipſius voluntate, primarium thronum obtinet,ſummo Pontifici : vt pudeat nos iſta referre , quæ vos inferre delectet. Hæc & alia id genus plurima ſæpe ingeſta, & audita frequenter ſunt pacifice,& æquo animo adeo tolerata à prædeceſſoribus clementiſſimis, vt ipſis iam ſua ipſorum patientia verteretur opprobrio, cum à nonnullis aduerſus eos zelo Dei æſtuantibus illud Dominicum iactaretur: Simon dormis(Mar. 14.)Attamen paſſi ſunt potius inſimulari torporis, quam periclitat ; in Sede Apoſtolica tolerantiam, expectans cum Apoſtolo,(2.Tim.) ſi quando daret vobis Deus pœnitentiã ad cognoſcendam veritatem,& reſipiſcentiam à laqueis diaboli.] Vbi verò cognitum eſt,etiam firmitate legum per vos veſtra obfirmata eſſe peccata:haud amplius tolerantiæ tempus viſum eſt,ſed diuiſionis & combuſtionis,dicente meſſoribus patrefamilias illud Euangelicum:(Matth.15.)Colligite zizania,& alligate ea in faſciculos ad comburendum.

Hic perpendite,an contra omnem rationis formam:(quod obtenditis) diuinámque Scripturam, ac doctrinam Patrum,& ſacros Canones cuſtos ſacrarum legum Romanus Pontifex,poſt diu diſſimulatum patientiæ ſomnum, tandem vindex euigilauerit:cum eidem omnes militent rationes , diuina aſpirent oracula,Patres faueant , conſentiant ſacri canones,quorum vos omnium contẽptores, omni deſtituti ſacrarum legum præſidio,in illud abſurdũ impegiſtis;dixerim & monſtruoſum , vt pote hactenus à Catholicis intẽtatum , à ſchiſmaticis tantũ modo,

modo, & ab hæreticis vſurpatum, vt laici cum ſitis (quod neque ſibi Epiſcopi in Conciliis arrogarunt) pronuntiare audeatis, ipſam in vos promulgatam excommunicationis ſententiam à ſummo Pontifice eſſe iniuſtam, indebitam, nulliuſque momēti, atque illegitimam, vtpote (quod ſubiicitis) nullo ſeruato iuris ordine latam. Vnde tanta vobis auctoritas, vt iudicetis Iudicem vniuerſorū, quem nullum hactenus Concilium legitime congregatum auſum eſt iudicare, cum ab eo omnia œcumenica Concilia accepere auctoritatem, vt abſque eius ſententia ipſa nec œcumenica dici, aut indici potuerint; nec in eis ſanciri canones alicuius fuerint firmitatis, in quibus & frequenter ſit conclamatum: Prima Sedes à nemine iudicatur: & Pontifici dictum: Tua te ſententia purga, vel damna?] Iſta cum fuerint hactenus ſumma religione cuſtodita: quomodo laici hominis ſentētia labefactātur, ac penitus infringūtur? Quis audiens iſta, non cum (Iſai.37.) Ezechia mox illud exclamet: Blaſphemiæ dies hæc?] & ſicut ille Rabſacis literas impias attulit in templum, & expādit eas coram Domino (4. Reg.19. 2. Paral.32.) ita quicumque fidelis, in cuius manus eædem ipſius Ducis litteræ contumaces atque proteruæ peruenerint, legeritque horrendas blaſphemias effuſas in contumeliam Apoſtolicæ Sedis, & contemptum eius, qui in ea à Chriſto per Spiritum S. magno miraculo poſitus ſedet Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius Paulus V. inferat eas in baſilicam Petri, admoueat Cōfeſſioni ipſius, ibidémq; expandens eas, illatā tantā contumeliam eius Cathedræ clamet, & deploret iniurias, ipſúmq; inuocet ſuæ ipſius, quam à Chriſto regendam accepit, Eccleſiæ defenſorem?

vltores inſuper appellet ſanctiſſimos conditores canonum,& defenſores ipſorum Eccleſiæ Romanę Pontifices, & Sanctos omnes, in quorum omnium deſpectum præſumpta tanta abs te eſſe noſcuntur? Qui cum adeo contempſeris thronum, in quo habita ratione connexionis membrorum cum capite, ipſe Chriſtus inſedit: noueris ſummo damno tuo in petram impegiſſe; de qua primum ſit dictum in Pſalmo: (Pſal. 140.) Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.] & à Domino de eadem: Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem vero ceciderit,conteret eum,(Matth.21.) ea nimirũ confractione atque contritione, de qua iam dixerat ibidem verbis illis apertiſſimis: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gẽti facienti fructum eius.] Petra autem ipſa, quouis impetu agitetur, verbo Domini confirmata, nullam ſit vnquam paſſura iacturam. Vera ne ſint iſta, periodus millenorum ac ſexcentorum annorum Chriſti regnantis edocet, qua innumeris impetita contrariis petra iſta, ferro & igne tentata ſæpiſſime, nullam ipſa ſenſerit, ſed plurimam intulerit laceſſentibus læſionem.

Quomodo autem auſus es pronuntiare illegitimam,iniuſtam, ac dicere excommunicationem eſſe nullam, quæ auctoritate non caruerit pronuntiantis, cui nec alia neceſſaria defuerint ad actum legitimum conducentia: vnde omnes iſtæ tuæ de nullitate exceptiones neceſſe ſit euaneſcere? cum inducatur pariter neceſſario ex præmiſſis, nullo pacto dici poſſe eandem eſſe ſententiam excommunicationis nullam vel iniuſtam, ſed omnibus eſſe conſentientem Eccleſiæ iuribus, & exemplis:quam neque indebitã (vt iniquè aſſeris) illegitimámve (vel vt ma-

le inſers) aut nullius eſſe momenti (vt manifeſtiſſime erras) aſſerere quiſquam poterit, niſi cui Fides Catholica male oleat, & ſit Primatus ipſe Petri cōtemptui, exiſtimétque cum hæreticis recentioribus Romanæ Eccleſiæ priuilegia non eſſe à Chriſto, ſed ab Imperatoribus, cum Patres & ſanctiſſimi martyres Irenæus, (Ir.l.3.c.3.) & Cyprianus, (Cypri. de vnit.eccleſ.) qui Fabiani locum, Petri locum appellat, (Idem ep.52.) Optatus Mileuitanus, (Optat. contra Par.lib.2.) ſanctus Hieronymus, (Hier.ep.57.58.85.) ſanctus Auguſtinus, (Aug.ep.165.& contr.ep.Mar.c.4.& contr.partes Donati.) Fulgentius, ſanctus Leo Magnus, (Leo epi.55.89. & in homiliis frequenter.) Gelaſius, Ioannes Papa & Martyr. in epiſtola ad Iuſtinianum, (C.de ſum. Trinit.& Fid. cath.4.) Vigilius ad eundem, Gregorius Magnus, (Greg. M.lib.4. ep.32.) & denique omnes, quorū faſtidio eſt immenſum numerum recenſere, omnes inquam tam Occidentales, quam Orientales confeſſi ſint Patres, auctoritatem à Chriſto acceptā ad Romanos Pontifices per Petrum eſſe transfuſam: eorumdémque omniū vna eadémq; ſit ſentētia, Primatū Romanæ Eccleſiæ per Petrum à Chriſto deſcendere. Vnde omnes ſemper negarint ipſi Romani Pontifices, præſertim vero Gelaſius, Bonifacius, Nicolaus, & alij poſteriores, neque per Synodos, neque per Imperatores Romanam Eccleſiam eſſe, quod eſt, caput omnium Eccleſiarum, & ſuper omnes auctoritate pollentem: ſed tantum Chriſti promiſſione, quod & omnes ſunt profeſſi ſucceſſores ipſius, ac denique omnes, quotquot nomen Catholicum meruerunt: vt iſta negaſſe, ſit omnino ab Eccleſia Catholica exulaſſe & cum hæreticis Nouatoribus

collegiſſe; quorum mentis obtuſæ argumenta reperis abũdãter in Annalibus Eccleſiaſticis cõfutata.

Chriſti igitur priuilegio roborato Petri Apoſtolatu, eadem promiſſione vniuerſa eiuſdem eſt roborata ſucceſſio, de qua ad Anaſtaſium Imperatorem Gelaſius poſt alia, de iiſdem digniſſime ſicut iuſtiſſime prædicata: Impeti inquit, poſſunt humanis præſumptionibus quæ diuino ſunt iudicio conſtituta, vinci tamẽ quarumlibet poteſtate non poſſunt.] præfatus hæc antea: Et ſi cunctis generaliter ſacerdotibus, & recte diuina tractantibus Fidelium conuenit corda ſubmitti: quanto potius Sedis illius Præſuli conſenſus eſt adhibendus, quem cunctis ſacerdotibus Diuinitas ſumma voluit præeminere?] Cuius deſpectus quanti ſit criminis, inde inferas, quod etiam minimorũ Epiſcoporũ, cenſuris eccleſiaſticis rem agentium contemptus, ſic afficit contemptores, vt indignos eos reddat, ipſo nomine Chriſtiano. Nã accipe quæ Gregorius Magnus ait, (Greg.lib.9.ep.29.prope fin.) quẽ & citat Nicolaus Papa: (Nicol. ep. 9.) Si vero ſunt qui dicunt: quia compulſus quiſpiam neceſſitate, ſi anathematizatus fuerit, anathematis vinculo non tenetur: ipſi ſibi teſtes ſunt, quia Chriſtiani non ſunt, quia ligamenta ſanctæ Eccleſiæ variis exiſtimant conatibus ſoluere, &c.] Quod ſi obtentus neceſſitatis nec ſufficit, vt quis inualidam, vel nullam fuiſſe excommunicationem dicere poſſit, quo eam contemnat: vtique multo minus, ſi iniuſta fuerit, ſponte ſua contemnere aliquis debet.

Eſt plane vulgata illa ſcriptorum omnium recepta ſententia, excommunicationem ſiue iuſtam ſiue iniuſtam eſſe timendam, ac minime contemnendam

dam, quod velut firmiſſimum axioma eccleſiaſtica cuſtodiuit antiquitas. Vt quod iam ab omnibus vbique & ſemper probari poſſit aſſertũ, nulla prorſus habenda ſit ratio, ſi quiuis magni nominis homo his quidpiam contrarium viſus ſit aſſeruiſſe: quem penitus contemnendum eſſe, his verbis docet Vincentius Lirinenſis (Vincent. Lirin. contra hæreſ.) magnæ exiſtimationis antiquis Theologus, dicens: Ille eſt verus & germanus Catholicus qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ Fidei nihil præponit: non hominis cuiuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, ſed hæc cuncta diſpiciens & in Fide fixus & ſtabilis permanens, quidquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendum, credendúmque, decernit: quidquid vero ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contra omnes Sanctos nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem ſed ad tentationem potius intelligat pertinere.

Via hæc regia, ambulandum per eam: declinans vero per contemptum ad dexteram, vel ſiniſtram, magnam ſibi, in quam incidat, foueam, parat. Inobedientia enim pariens contemptum, reatum contrahit quouis alio grauiorem. ſiquidem diuina Scriptura teſtatur: (1. Reg. 15.) Quoniam quaſi peccatũ ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.] Contra vero ſumma eſt laude digna ſimplicitas iuſti, qui timens culpam, vbi non eſt culpa, innocentiam integram ſeruat, & gratia auget. Hinc laudatur pietas Theodoſij iunioris Auguſti, qui nõ iniuſtã tãtũ, ſed quæ nulla penitus erat,

vtpote excommunicatio lata ab homine petulante, cuius nulla erat prorſus excommunicandi auctoritas, ita exhorruit, vt neque cibum ſumere vmquam ſuſtinuerit, quouſque ab eodem, à quo eiuſmodi nulla excommunicatio progreſſa eſſet, benedictionem conſequeretur. Sed audi breuem ipſam hiſtoriam memoria dignam, quam Theodoretus (Th. hiſt.lib.5.c.37.) recitat his verbis: Vir quidam excolens vitam monaſticã, animo paulo audaciore præditus, ad Imperatorem rei cuiuſdam petendæ gratia, accedit. Quod cum ſæpius feciſſet, Imperatori eccleſiaſtica interdicit communione, vinculóque Eccleſiæ ei iniecto decedit. Imperator autem fide cum primis excellens, ad palatium veniens, cũ tempus inſtaret conuiuij, & omnes conuiuæ adeſſent, dixit ſe non prius capturum cibum, quam Eccleſiæ vinculo ſolueretur. Proinde vnum ex familiariſſimis ad Epiſcopum mittit, vt poteſtatem faciat ei, qui ipſum ligauerat, vinculo ſoluendi. Cum autem Epiſcopus reſpondiſſet, non debere cuiuſque vinculum admittere, ſignificaſſétque eum ſolutum eſſe, non tamen ſolutione illa contentus fuit, donec ille, qui eum ligauerat, magno cum labore conquiſitus, communioni illum reſtituiſſet. huiuſmodi erat Imperatoris erga leges diuinas fides.] hactenus Theodoretus, & quidem factum repræſentans laude digniſſimum: ſiquidem totum impenſum eſt pietati, quidquid ex nimia ſcrupuloſitate videri poterat eſſe progreſſum. Odoratus eſt autẽ in ſacrificio Dominus odorem ſuauitatis, qui pro ipſo aduerſus barbaros atque tyrannos pugnans, ipſi integrum atque floridum conſeruauit Imperium, atque feliciter propagauit. At iam, quod ad Ducis litteras ſpectat, ſatis.

Quod autem pertinet ad litteras Senatus, contra eandem excommunicationem publice datas ad populum: quod in eodem argumento verſentur, eadem remaneant confutatæ reſponſione. Cæterum ſimillimum plane id genus litterarum eſſe ſcias illi, quod male vſurpatum à Michaele Imperatore, à Nicolao epiſt.9.ſummo Pontifice ita deſcribitur,& condemnatur: Tantis erat epiſtola verbis contumelioſis, immo blaſphemiis reſperſa, vt ſcriptor eius nonniſi in gutture colubri calamum tinxiſſe putetur, & dictatoris labia pro dictionibus venena fudiſſe videātur,adeo vt ſi cuiuſpiam ſimpliciorum cor penetrent (non enim hæc aures prudentium ſuſcipiunt) hunc continuo necent, nimirum tanto miſerabilius,quanto mors animæ magis quam corporis per illum virulentum hauſtum admittitur.] Ex quibus vt aliqua promamus,ac ſimul promendo eadem confutemus,antidoto necando, quod poſſit necare, venenum: habetur in eis in primis quod mordeat Clerum, & ſugillet pios, nimirum querela, quod (vt aiunt) ſagacitate eccleſiaſticorum, & ſimplicitate piorum, quarta iam pars eſſet alienata Veneti dominij bonorum immobilium. Sententiam plane dignam non religioſiſſimo veſtro Senatu Veneto, ſed Anglicano conuentu, qui apud vos eſt,vbi in odium Catholicorum Fidelium eiuſmodi ſolent effutiri dicteria. Vnde dicere cogar: Anathema in medio tui eſt Iſrael. (Ioſ. 7.) nec eſt quod parere aliquid boni poſſit,immo non eſt malum, quod ex ea malorum fecunda propagine germinari non valeat. Quis aliquando orthodoxorum detraxit concionatori ſuadenti Fidelibus eleemoſynas frequentare? Manichæum hunc fuiſſe

oportuit, eiuſmodi impietate reſperſum, qui nolit ſuaderi debere fidelibus, quod diuinis Scripturis faciendum, frequentioribus ſententiis ſermo diuinus inculcat. Sed & quis Catholicorum inuentus hactenus, qui bona ſua erogantes, ſiue in reſtitutionem collabentium eccleſiarum, ſiue in æditnorum alimoniam, quod factum liquet à quamplurimis viris ſanctis, hos, vt vos, ſimplices nominarit, quos Redemptor noſter, eo quod negotiari vtiliter ſciuerint, prudentes appellat? (Matth.24. Luc.12.) vt qui didicerint pecunia traiecticia cœlum emere, & redimere temporariis æternitatem, & transferre theſauros in cœlos: (Matth.6. Marc.10. Luc.12. & 18.) vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, atque facere ſibi amicos de mãmona iniquitatis: (Idem 16.) à quibus in æterna tabernacula recipiantur. Quibus & competat nomen non adulterinæ, ſed veræ ſimplicitatis, qua Iob (Iob 1.) ſimplex & rectus, ac timẽs Deum, laudaturi & Daniel, (1. Mach.2.) quod in ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum; & Pauli Apoſtoli, (Rom.12.) admonitione doceamur, dicẽtis: Qui tribuit, tribuat in ſimplicitate. Sancta plane ſimplicitas, nõ quæ penes vos ſonat fatuitatem, qua ſugillatis omnes, qui bona ſua reliquerunt eccleſiis: qua contumelia ſuo damno Mauritius Imp. S. Gregorium legitur perſtrinxiſſe.

Additis inſuper de viris eccleſiaſticis, quod otioſe fruantur bonis eccleſiarum, partis populi totius ſudoribus: ſed cum neminem excipiatis, cum ſint ex iis complures, quos certum eſt digne in Euangelio laborare; ad Deum pro populo puras leuare manus; ſatis apparet, oculum eſſe nequam, (Matth.6.) ante

quem

quem totum corpus appareat tenebroſum, cum nec intueri poſſit, nec diſtinguere filios lucis à filiis tenebrarum. Sed pœniteat vos hac in re eſſe imitatos Iulianum Apoſtatam, qui iiſdem inceſſebat calumniis ſeruos Dei; qui & ſicut eſt ipſe Deum expertus vltorem, vos pariter ſentietis execrandi ſceleris vindicem, qui lædentibus ſeruos ſuos acerbiſſime comminatus eſt, dicens: Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. (Zach. 2.) Sed hæc leuiſſima ſunt, & nullius fere momenti, reſpectu eorum quæ mox inferius aduerſus omnes eccleſiaſticos euomuiſtis, quæ etſi vera fuiſſent, veſtris publicis litteris nequaquam ſpargenda erant in vulgus, ſed omni reuerentia contegenda, cum noueritis filios Noe (Gen. 9.) retrorſum incedentes, & caute obtegentes verenda patris, benedictionem eſſe conſecutos; Cham autem perpetuo maledictum. cuius vos exemplum ſectatos par pœna condemnet, niſi vera pœnitentia crimen diluat, quod faciendum hortamur.

Quod ſi vos adeo ſeueri exactores, paucorum delicta conuertitis in vniuerſos: plane grauiſſime inde peccatis, cum vno faſce iuſtos comprehendatis cum iniuſtis, eoſdémque pari affectos ignominia pari cenſeatis dignos eſſe ſupplicio: vt omnes quidem in vos exclament tantæ arbitros iniquitatis. Si vero adeo ſancti videri vultis, vt pati non poſſitis quempiam Eccleſiaſticorum extra diſciplinam ſacrorum canonum euagari: laudare zelum, ſi eſſet ſecundum ſcientiam, quæ docet naturæ exemplis, admixta ſegeti zizania creſcere, & donec ventiletur, grano paleam eſſe cõmixtã, monetq; ex aliis innumeris Scripturæ diuinæ ſententiis: & quod potiſſimũ eſt docet

exemplo Chriſti ſummæ ſapientiæ Patris, qui in numero duodecim Apoſtolorum paſſus eſt vnum ex iis forem eſſe, & proditorem atque ſacrilegum: inſigniorem cæteris peccatorem, qui fuerint aliquando, vel in æternum futuri eſſent: ne quis adeo miraretur, vel ſcandalum pateretur, ſi forte contingeret in eius Eccleſia quemlibet duodecimum ſacrorum miniſtrorum inſtar Iudæ reperiri omnium ſceleſtiſſimum; quod abſit, vt poſſit aſſerere quiſpiam. Sed & ſi vere abſque calumnia diceretur: ad Chriſti exemplum, quo tuto contineremur aſylo, eſſet legitime prouocandum. Non tamen iſta dicimus, vt eius modi delinquentes ſaluos eſſe velimus, ſed acerrime puniri per ſuos iudices, veſtros conciues, præfectos eccleſiis ſub veſtro dominio conſtitutos Epiſcopos, ad hoc ab ipſis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus veſtrates electos, vt cum non per alienos, ſed per voſmetipſos cuncta adminiſtrari videretis, ſineretis cuicumque foro iura habenti diſtincta, eidem eſſe ſalua.

Sed his omiſſis, iam illæ ipſæ litteræ, quibus adeo multipliciter & enormiter peccatum eſt, tamquam è portis inferi proditæ, in vltionem expanſæ ad Petri Confeſſionem, in obliuionem perpetuo ſilentio complicatæ, ſciſſæ in redargutionem audaciſſimæ ſciſſionis, vti mendaces & contumaces, calumnioſæ atque proteruæ, quibus ita ignominioſe Romanam Eccleſiam impetiſtis: eandem excipiant digne ſententiam, qua his ſimiles litteras Michaelis Imperatoris blaſphemas & calumnioſas Nicolaus Pontifex condemnauit igni tradendas, (Nicol. ep. 9.) his pronuntiatam ab ipſo verbis: Decernentibus nobiſcum & ſimul conſiderantibus (al. confidentibus.)

iiſdem

iiſdem ſanctiſſimis fratribus & Coepiſcopis noſtris, ipſam epiſtolam (ſeu potius ipſas epiſtolas) in ſtipite videntibus cunctis ſuſpenſas, vaſto ſuppoſito foco, ad vituperium veſtrum coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam S. Petri multiplices inueniũtur, extremę perditioni donabim⁹. Quatenus his rite patratis, diſcat pius quod amet, & crudelis quod timeat.] hæc Nicolaus. quæ & facta ſunt ſub eiuſdem Nicolai Pontificis ſucceſſore Hadriano Pontifice tam de litteris Imperatoris, quam de Photij Patriarchæ. Maneat ergo ſuo robore conſtãs ſententia Nicolai, qua in contumaces & calumnioſas litteras Michaelis Imperatoris eſt iudicatum & præiudicatum in veſtras illis ſimiles, & alias quaſcumque eiuſdem generis litteras contigerit exarari; quas ſuper reſpuit, nec lectione quidem dignas exiſtimauit antiquitas veneranda. hinc de his ad Cornelium Cyprianus: (Cyprian. epiſt. 42.) Viderint qui vel furori ſuo, vel libidini ſeruientes, & diuinæ legis, & ſanctitatis immemores, iactitare interim geſtiunt, quæ probare non poſſunt; & cum innocentiam deſtruere ac expugnare non valeant: ſatis habent, fama mendaci, & falſo rumore maculas inſpergere. Certe quod Præpoſitis & ſacerdotibus congruit, danda eſt opera, vt talia cum à quibuſdam ſcribuntur, per nos reſpuantur. Porro hæc fieri debere oſtendimus, ſi quando talia quorumdam calumnioſa temeritate conſcripta ſunt, legi apud nos non patimur.] hæc acerrimus vindex exiſtimationis Apoſtolicæ Sedis, & qui ſederet in ea Romani Pontificis, martyr glorioſiſſimus Cyprianus. ac de veſtris litteris hactenus.

Quoniam autem fortaſſe contigerit, vt aculeata

Parænesi vos queramini à nobis eſſe perſtrictos: ad illam prouoco vos ſacrorum Prouerbiornm ſententiam: Prou.27. Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis:] in memoriam reuocando, quod ſcripſit lacrymans Ieremias, inde videlicet populo florentiſſimo, & ciuitati ampliſſimæ excidium proueniſſe, quod (vt ipſe inquit) Prophetæ non aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.] Vnde maximi loco emolumenti ducere debeatis, ſi hortando, monendo, rogando & arguendo, veſtra ad curationem peccata detegimus, quorum, dum latent, ſit prorſus deſperanda ſanatio. Quamobrem vt dicam cum Apoſtolo: Philip.3. Eadem ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.] Nempe cauete hæreticos, quos & habetis inter vos habitantes, & eiſdem conniuentes prauos Catholicos, conciſionem ſuadentes, nimirum ab Eccleſia Catholica ſciſſionem. Qui ſcindit, ſcindatur ipſe, acclamatum eſt ſæpe in Conciliis œcumenicis, ſecundum illud propheticum: Ier. 50. Quæ fecit, facite illi.] nempe vt qui ſcidiſtis Eccleſiam Dei, patiamini ipſi in Republica veſtra ſciſſuram. Admoneat vos periculum veſtrum: exterreat perditio veſtra. Periculum, inquam, quod Deus, ob leuiorem populi in ſacerdotem contemptum, conuertit iratus in regnum, ſanctam ipſamque quam inſtituerat Rempublicam inter Hebræos. Audite ſcribentem ad Rogatianum Epiſcopum, S. Cyprianum glorioſiſſimum martyrem, (Cyprian. ep.65.) & iſta ex diuino oraculo ſic deducentem: Cum Samuel ſacerdos à Iudæorum populo ob ſenectu-

nectutem,ſicut tu modo,contemneretur: exclamauit iratus Dominus, & dixit: Non te ſpreuerunt, ſed me ſpreuerunt.1.Reg.8. Et vt hoc vlciſceretur, excitauit eis Saul Regẽ, qui cũ iniuriis grauibus affligeret,& per omnes cõtumelias & pœnas ſuperbũ populũ calcaret,& premeret,vt contẽptus ſacerdos de ſuperbo populo vltione diuina vindicaretur.] dũ ipſorum Rempublicã ſua Deus plantatã manu mutauit in regnum.hæc vos pericula vitanda moneo.

Exterreat vero vos magis, quam dixi timendam, perditio veſtra. Nam cum grauius peccatum, grauius ſupplicium iure exigat; & vtique cum inſolentius & contumelioſius agitur in ſacerdotem, grauiorem conſueuerit Deus inferre vindictã:quæ igitur manere putatis vos damna, qui adeo enormiter peccaſtis in eum, qui loco Petri ſedet in Apoſtolica Sede, Chriſti Vicarium? immò in Chriſtum ipſum peccaſtis, dum eius tunicam inconſutilem (quæ eſt Eccleſia)ſchiſmate conſcidiſtis. Sit vobis in exemplum Saul, cum contempto Samuele, eius ſpretis iuſſis, vendicauit ſibi quod ſacerdotalis muneris eſſet;quem & paſſus redarguentem, vt abeuntem retineret inuitum, ipſius ſcidit pallium recedentis, 1.Reg.15. cum & de vltione mox accepit oraculum, Samuele ad ipſum dicente: Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie.] Et quod ea ſententia non eſſet quauis pœnitẽtia reuocabilis, iſta horrore plena verba ſubintulit: Porro Triumphator in Iſrael non parcet,& pœnitudine non flectetur:neq; enim homo eſt,vt agat pœnitentiam.]& quantumlibet dixerit Saul ipſe: Peccaui, non fuit dignus audire,vt Dauid reprehenſus à Nathan: (2.Reg.12.) Et Deus tranſtulit peccatum tuum.] nec vidit poſt

Digitized by Google

hæc amplius Samuelem perditionem ipſius fruſtra lugentem. Quæ ipſa in exemplum perfidorum Principum iura Eccleſiæ inuadentium Damaſcenus (Orat. ſecunda) aduerſus Iconomachos agens inducit, atque ait: Regum eſt ciuilis adminiſtratio: eccleſiaſtica vero conſtitutio Paſtorum atque Doctorum. Impetus iſte latronum eſt, fratres. Saul ſcidit palliũ Samuelis. Et quid ei contigit? Abſcidit regnum eius Deus.] Abſcidiſtis vos, & conſcidiſtis in fruſta tot ſciſſionibus, quot inobedientiis contumacibus Chriſti tunicã in Rom. Pontif. Quid non timendũ? vel non pauendum? Fiat, rogo, Deus ipſe miſericors & placabilis vobis, in omnibúſque propitius, ſicut cum per Ieremiam comminatus eſt populo, dicens: Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua:] & tamẽ eodem contextu inferius ſubdit: Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis ſanabo te, dicit Dominus.] Non enim obliuiſcetur miſereri Deus. Expiate igitur culpam, crimen abluite lacrymis pœnitentiæ.

Erigite inſuper animos, rememoramini priſtinos dies (Hebr. 10.) in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis, quando non commiſcuiſtis vos ſchiſmaticis, ſed arctiſſimo glutino vnitatis Romanæ inhæſiſtis Eccleſiæ; ob idque paſſi grauiſſima à Longobardis, & à contribulibus veſtris, quo nomine ab Honorio Romano Pontifice datis ad com prouinciales Epiſcopos literis, (Habetur 8. Tom. Annalium hoc Anno 630. prope fin.) Veneta Reſpublica, Chriſtianiſſima ab eodem fuerit appellata, inſigni gloriæ titulo, nonniſi de Romana Eccleſia bene merenti conferri ſolito. Sed & præter egregium titulum quid præterea fuerit eadem Reſpublica Ve-

ca Veneta virtutis merito ab eadem Sede Apoſtoli ca conſecuta, glorioſe prædicat Gregorius Septimus, (Lib.2. ep. 39.) ſic ſcribens ad Dominicum Ducem, & populum Venetiarum: Scitis enim, quoniam præ multis terrarum partibus diuina diſpenſatio terram veſtram Patriarchatus honore ſublimauit, cuius dignitatis eminentia ex ſui ipſius nominis & officij prærogatiua adeo auguſta & rara eſt, cũ non amplius quam quatuor in toto mundo reperiantur.] & inferius: Poſt Apoſtolicam Sedem, omnibus, quæ ſunt in Occidente, gentibus clariores extitiſtis.] Vnde autem tanta vobis gloria, Pontificiis monimentis adeo celebrata, niſi ex ſchiſmatis odio implacabili, & Romanæ Eccleſiæ pace & vnitate tenaciſſima comparata? Propagata vero felicioribus, ſicut & maioribus incrementis, cum itidem maiores veſtri, veſtræ Reipublicæ decus & ornamentum, in ſummo diſcrimine conſtituti, cum dubia lance ſuſpenſus penderet orbis, & Principatus illi viderentur penitus interituri omnes, qui audaciſſimo Principi ſchiſmatico, Imperatori Friderico Ænobarbo aduerſus Romanam Eccleſiã cõtra Alexandrũ Pontificẽ non iungerentur: iidem veſtri generoſiſſimi prædeceſſores vere Chriſti fideles, in ſpẽ contra ſpem credentes, (Ro.4.) elegerunt affligi cum populo Dei potius (Hebr. 11.) quam regnare cum Eccleſiæ Romanæ hoſte obſtinatiſſimo Pharaone. Sicque iuncti tunc fœdere cum Longobardis, facti ſunt omnes ſimul Romanæ Eccleſiæ defenſores, ſchiſmatis vero fortiſſimi euerſores, honeſtiſſimo patefacto aditu ad ſuam ipſorum Rempublicam Chriſtianiſſimam augendam, conſeruandam, ac ſolidandam. Quibus à Domino tunc datum eſt,

vt in ipſorum primariam Venetam ciuitatem trophæa inferrentur partæ victoriæ: quomodo & facti ſunt ipſi nobiliſſimi ciues tanti Pontificis exceptores,exhibitores,etiam triumphi omnium pręſtantiſſimi,ſed & munificētiſſimi in expenſis,promptiſſimi in obſequiis, in cuſtodiis ſolertiſſimi. Vnde ſibi celeberrimam à mortalibùscūctis immortalémque gloriam compararūt,illuſtrata tunc mirifice eadem ciuitate manubiis Auguſtalibus, magis vero Pontificiis aucta fulgoribus, & ſacris locupletata muneribus,è penu cœleſti largiſſime,Deo manū ſuā aperiente, profuſis:honoris inſuper titulis conſignata perennibus,illis vero præcipuis, ex quibus præſtantiſſimi ciues eius iure nominati ſunt, ſchiſmatis euerſores,vnitatis Catholicæ defenſores, pacis conciliatores,fundatores quietis, atque Romanæ Eccleſiæ ſuſceptores,ac protectatores.

At quinam modo audent inſurgere eiuſdem Reipublicæ hoſtes audaciſſimi,tantæ gloriæ euerſores, vt contrariis factis tenebroſa obducant iſta caligine,aſpergántque ignominiis, quæ tot tantiſq ſudoribus parta,ſanguine comparata eſt, auitam gloriā? Cum autem conſueuerint in quauis bene inſtituta Republica iuniores æmuli eſſe maiorum, nec pati ab antiquioribus ſuis eſſe degeneres, quos & factis egregiis ſuperare contenderint: quinam modo (Iſai. 18.) ſpiritus vertiginis exagitauit Principes ſapientes,vt ab Eccleſia Romana(quod pro monſtro habendū)adeo pudenda cōtradictione defecerint?] Potuitne iſtud fieri,vt à Petro ſcinderetur ſchiſmate Marcus,à patre filius à magiſtro diſcipulus,ac miniſter aſſiduus, & vbique fidelis? Qui enim olim maximo lucro veſtro,nonniſi odio ſchiſmaticorū,reliquit

quit à ſe fundatam eccleſiam Alexandrinam, maximo quidem damno veſtro, ſi ſic perſtiteritis (quod Deus auertat) vos relinquet, & Petro fixus inhærens, eius Vicario aſſidebit, & aſſurget in opus contra ſchiſmaticos & hæreticos collaborans.

Aliena vos pericula moneant conſueuit poſt ſciſcionem deſolatio ſequi. Donatus in Africa ſchiſma conflauit, à quo Donatiſtæ denominati fuere, qui vbi incurabiles redditi frequentiori lapſu, dati ſunt omnes iuſto Dei iudicio vna cum Africana prouincia, Vuandalis primum, atque demum in excidium ſempiternum Arabibus. In Oriente non ſolum quam diximus, Alexandrina, ſed & reliquæ ſedes Patriarchales, vbi ſchiſmate ſe ab Eccleſia Romana ſciderunt, ſciſſæ ſunt pariter à protectione diuina, datæ omnes in captiuitatem, & ignominioſiſſimam ſeruitutem nefandæ Turcarum genti, ſub cuius iugo ferreo hactenus in dies magis magíſque teruntur: in primis vero Græci ipſi auctores ſchiſmatis, exigente pœnas diuini acerbitate iudicij, vt palea ſub plauſtro ferrato teruntur, & conterentur quouſque deſinet eſſe (Iſai. 48.) neruus ferreus ceruix eorum. Ad quod tam grande malum anteuertendum, egregie laborauit ſuo tempore, quo ſumpſit exordium Photianum ſchiſma. Baſilius Imperator, qui in diuino illo conſeſſu Octauæ œoumenicæ Synodi, Spiritus ſancti gratia congregatæ, ad præſentes ibi ſchiſmaticos egregiam habuit orationē, quā adhuc integrā conſeruant Acta ſynodica: ex qua aliqua ſaltem hic vt deſcribantur, à nobis exigit importuna rerum & temporum opportunitas. Audite quæſo tūc illis tantū, ſed nūc vobis ipſis Im-

peratorem diuino prorſus afflatum Spiritu perorantem.

Vos quoque, inquit, qui curatione indigetis, ac medela opus habetis, pretioſa membra Chriſti etſi neſcio quomodo à malo dæmone detenti, à capite, nempe à Romano Pontifice ſeparati eſtis: Vitis vera, quæ propter contentionem importunam, immo vero iniuſtam, in amaritudinem conuerſa es: Amici & proximi noſtri, (Pſal.37.) etſi propter odium irrationale ex aduerſo appropinquantes & ſtantes, ac vnitatem reſpuentes. Suſcipite admonitionis ſermonem (non autem confundor dicere) etiam deprecationis. In id enim nos adduxit miſericordia quam circa vos habemus. Scrutamini intima conſcientiæ veſtræ, & inuenietis vos male ab Ecclaſia eſſe diſiunctos. Nouiſſima hora eſt, & Iudex pro foribus eſt, fratres: ne præoccupemur ab eius Eccleſia ſequeſtrati, & longe ab illius gloria proiiciamur. Nihil turpe ducamus paſſionem manifeſtare, & vulnus oſtendere, ac locum pœnitentiæ & medicinæ requirere, atque intra atrium ſaluantium fieri: ne confuſionem obedientiam arbitrando, confuſionis æternæ ſumamus experimentum. Qualis autem hæc eſt confuſio, fratres, procidere Deo, & veniam expetere? Deo enim procidunt, qui Eccleſiæ & ſpiritualibus iſtis Patribus procidunt. Confuſio quidem reuera eſt & maximus pudor, immo vero in Deum dimicatio, nolle vnumquemque proprium confiteri peccatum, & humiliari propter Chriſtum, & lucrari & ſe & multos.

Si autem omnino hoc confuſionem arbitramini: ego, cui Imperij ſuperpoſita eſt corona, forma vobis efficiar huius optimæ humilitatis. Ego, qui impe-

imperitus & inſipiens ſum, bonum initium ero veſtrum qui ſapientes eſtis, & ſcientia clari. Ego, qui in peccatis volutatus ſum, primus vobis typus fiam, qui mundi eſtis, & virtuti operam datis. Ego primus memet ſuper pauimentum proiicio, purpuram & diadema paruipendens: aſcendite ad genas meas, & ſuper oculos meos incedite, nec reputetis magnum, Imperatoris calcare ſcapulas: nec uereamini pedibus tangere verticem, cui ſuperimponitur à Deo donata corona: omnia pati promptum habeo, & agere promptius quæ vobis quidem confuſionem, mihi autē gloriam, & maximam claritatem conferre videntur. Neque enim in hoc curam gero gloriæ meæ, tantum vt videam communionem, vnitatem, & vnam eccleſiarum feſtiuitatem, tantum ne animæ detrimentum patiar, & gaudeat ſuper me ille omnium inimicus diabolus, captiuum ſumens, quod mihi deſiderandum eſt, tantum ſpei meæ lampas inſperate non extinguatur, per quam feſtinabam communi illuſtrari lætitia & gaudio.

Neſcio quod erat ſatagendum & efficiendum, & non feci, vel quos proponendos admonitionis & deprecationis ſermones, & non propoſui. vos de cetero videbitis. Innocens enim ſum à perditione veſtra. Si vero & ad magnum & horrendum illud iudicium futuræ diei vos remittitis, quaſi pro vobis rationem daturos: noſcite quia bene noui, quia nullus vobis iuſtitiæ ſermo ſiue hic adeſt, ſiue illic aderit, niſi quantum in hac controuerſia inuentum extiterit. Verum ſi vultis ante illud Iudicium, conſciētiæ veſtræ interrogare iudicium: dicetis amplius nihil, quam quod ab Imperio noſtro dicitur. Deponite igitur contentiones, fratres, & reſumite amo-

minari? Deliramentum quis eſſe negauerit, non curare, immo ſumme contemnere, habere loco ioci, immo & lucri, ab Apoſtolica Sede, ab ipſa Catholica Eccleſia excommunicatione eſſe præciſos? Deliratio nonne plane omnium maxima eſt, ſperare extra Eccleſiam conſequi poſſe ſalutem? At inſuper quam grande illud delirium, Eccleſiam Romanam de veſtra Republica ſemper bene merentem, conciliatricem Principum in ſacrũ fœdus, in bello ſociam, in pace matrem, erga filiam propenſiorem, beneficentia largiore pandentem ſinum frugum: eamdem ab eiuſdem filiæ amplexu diuellere, ac diro ſchiſmate ſeparare? cum id nihil aliud ſit, quam eiuſdem Reipublicæ neruos ſuccidere, & caput amputare? Sed delirium plane riſu dignũ quis neget, velle cõtra ſtimulum calcitrare, & obſtinato animo vrgere vt frõte feriat duriſſimam petrã atque confringat? At non delirantis ſenis tantũ, ſed furentis inſania animi ſignũ illud eſt euidens pro titulis gloriæ infame ſchiſmaticorum nomen conſequi laborare, ac demum illud pudendum, quod ipſi adiacet, hæreticum. Sed & illud quidem grande delirium apparet omnibus, quod ſub velamine libertatis, nectantur vincula ſeruitutis, connexa peccatis, teſtante id diuina Scriptura, (Ioan. 8.) quæ euacuari non poteſt, quod qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, & quod funibus peccatorum ſuorum peccans quiſque ligetur: (Prou. 5.) contra vero contemnatur vera libertas, quæ ſanctæ religionis cupiat vincula ſalutaria, quibus tantum obligata, libera conſiſtere poſſit, ac tuta, fortis, & permanens glorioſa, ſecundum illud Eccleſiaſtici ita monentis: (Eccleſ. 6.) Iniice pedem tuum in cõpedes illius, &

in viſceribus Ieſu Chriſti, & hoc oro cum Apoſtolo,(Eph.4.)Epheſios commonente, vt in Eccleſia Catholica ſitis vnum corpus,& vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.] extra quam connexionem & vnitatem nulla cuiquam penitus poterit eſſe ſalus, ſed lugenda ſemper abſque redemptione damnatio.Faxit Deus,vt S.Spiritus gratia,difflata illa caligine, qua obtexit Deus in furore (Thren.2.) ſuo filiam Sion,arrideat nobis prior illa veſtra ſerenitas,& ſidera errantia, (Iud.epiſt.) quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum,]in firmamento Eccleſiæ fixa reſplendeant in æternum,ſecundum illud propheticum (Bar.3.) Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt,vocatæ ſunt,& dixerunt,Adſumus:& luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas.]Amen.

Sit autem vobis Parænesis hæc vt ſic perorem cum Auguſtino ad Donatiſtas,(epiſt. 162.)correctio,ſi velitis:teſtis vero,& ſi nolitis.]

FINIS.

AD PAVLVM V.

PONTIFICEM MAXIMVM

EPISTOLÆ DVORVM CLARISSIMORVM ITALIÆ IVRISCON-SVLTORVM.

Anno M.DCVI.

Digitized by Google

CONTRA EDICTVM INQVISITIONI ROMANÆ.

La: Gu: Co: Cr: I: V: D:

BEATISSIME Pater, Nunquid & oculi tui carnei ſunt? & tu vides ſicut videt homo? Pateris noua fulmina contra legentes literas Sereniſſimi Principis Veneti, quibus ſe Catholicum,& Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Romanæ obſeruantiſſimum,profitetur: Bon eDeus! Benediceresne ſi contraria audires? Repetam alias dicta,vt eo magis Edicti Romanæ Inquiſitionis infirmitas detegatur.

Suo iure vtitur Sereniſſima Reſpublica, cum leges dat ſubditis,ac publicum ius, & ſubditorum facultates tuetur. Ad hoc Principes à Deo conſtituti ſunt.Quin non modo bonis,ſed & diſcolis, Petrus (Epiſt.1.cap.2.)cuius tu ſucceſſor es, & vices tenes, iubet populis ſubiectionem, & obedientiam.Diſcordant iſta à Doctrina Petri, auctoris tui. Manus Domini fecerunt eos,& ſic repente fulminas? Pergis, & conſilium impiorum adiuuas, nouiſſiméque Edicto publico,ſub vinculo Anathematis,cura

ſti prohiberi, ne litteræ Sereniſſimi huius Principis, tum ad Communitates Subditas, tum ad Patriarchas, & alios Prælatos, nec alia quæcumque ſimilem materiam continentia, legantur, retineantur, vel quouis prætextu communicentur. Audi in primis, quid Pontifices Præceſſores, de legibus Principum Secularium, dixerint. Leo Quartus & Gelaſius ſcribunt, Quis leges Principum dicat debere contemni? quæ irrefragabiliter ſunt cuſtodiendæ: Et ſi quis aliter dixerit, vel vobis dicturus fuerit, ſciatis eum mendacem: Et leges, quæ hactenus viguere abſque procellis, & pro nullius perſona hominis vllus reminiſcitur eſſe corruptas, nũc & in æuũ, robur ſuum, propriũque vigorẽ, obtinere volumus.

Tu, Sanctiſſime Præſul, longe ambulas à voto Præceſſorum tuorum, qui vis leges conſuetudineſque Dominorum Venetorum obſtruere, irritaſque facere. Hæc ſunt ſigna irati animi. Oſtende mihi cur ita iudices? Quereris in congregato quorundam Cardinalium Senatu, ac Conſiſtorio, de legibus Venetis, ſuper bonis Emphiteuticis latis. Attende, non Cardinalium, ſed Pontificum, & Sanctorum Patrum votum. Alex. iij. Quia non ad Eccleſiã pertinet de poſſeſſionibus iudicare, ideo Regi poſſeſſionum iudicium relinquatis & de cauſa matrimoniali cognoſcatis: D. Auguſtinus tradit, & eſt in ſacris Canonibus regiſtratum, Quo iure defendis villas Eccleſiæ iure humano? quia per Rectores ſeculi Deus eas diſtribuit humano generi. Si autem vt teneantur iſta ab hominibus, iura Regum fecerunt, vultis vt reticeamus Leges, vt gaudeatis? Dixiſti, Quid mihi & Regi? Sed quid tibi & poſſeſſioni? qui ea poſſides iure Regum. Noli ergo dicere, Poſ-

ſeſſiones

ſeſſiones tuas,quia iura humana renunciaſti:hęc Auguſtinus.Ex quibus prudentes inferunt Cõſtitutiones Principũ Secularium, ligare bona Eccleſiarũ in eorũ territorio exiſtentia. Impugnas Decretũ Dominorum Venetorũ,quòd ſine licentia Eccleſiæ ædificari non poſſint. Licentia requiritur ante conſtructionẽ,quo tempore,& ſitus, & materia,& omnia ſunt temporalia, & in temporalibus nulla auctoritas Pontificum. Poteſtates enim ſunt diſtinctæ à Deo, vnde terminos nos transgreditur Decretum. Doles de Lege, quod Bona Eccleſiaſticis non alienentur. Intellige,Præſul ſancte, votum ſuper hoc, Ambroſij,Hieronymi,& Auguſtini, nec vota Cardinalium conferas cum ſententiis horum ſanctorum Patrum. Primus,nullam, perſimilem Legem, ſuo tempore editam,Clericis iniuriam afferre atteſtatur. Secundus eam Legem prouidam appellat. Tertius atteſtatur Eccleſiæ non relinquendum, vbi ſunt ſui hæredes. Tandem accuſas iudicia Secularium in Clericos, Vſus Reipublicæ talis eſt per tot ſæcula approbatus à Præceſſoribus Pontificibus. Nunc contradicere, eſt iura per Reges quæſita, tollere, quod neque contra priuatos ſolet Eccleſia.

Vltimo, hæc omnia ſunt introducta ob publicũ intereſſe,& ius publicum profertur iuri Eccleſiaſtico, ex Peritorum, & Pontificummet ſententia.

Iſta non leuia, (vt quidam Senatores tui notârunt)ſed maximi ponderis, debuiſſent animaduerti, & ſuper his & aliis circa hæc,oratores etiam expreſſe audiri: Attamen, voto ſuſcepto, à quibuſdam tuis Cardinalibus, in tuo Senatu vocatis, poſt

ſententiam tuam iam firmatam , & typis datam, quod notorium eſt,hi inter ſpem, & metum, captiuantes eorum intellectum , votarunt pergendum. Fulminaſti Cenſuras in Sereniſſimum Principem, & Excellentiſſimum Senatum Venetum , & interdixiſti eorum Dominium. Quidnam in hoc diſcrimine, Pater ſancte, agendum per religioſiſſimum Principem, niſi quod tumet feciſſe dicis? Conſulere Peritos, & conuocare Senatum ſuum. Id actum eſt. Hinc vrgebat propenſum obſequium erga ſanctitatem veſtram: Illinc iura, & libertas Reipublicæ, ac facultates, nec non publica quies ſubditorum. Re diſcuſſa in Senatu, trecentorum penè virorum, ſummæ doctrinæ,præſtantiæ,& probitatis,concurſu, ſancitum eſt: Non obtemperandum præcepto, quo euertebātur libertas,& vſus Reipublicæ,ac ſubditorum bona & quies. Docuerunt hæc ſancti Patres, & Decreta Pontificum Prædeceſſorum. Qui apertis verbis pluribus locis ex Sacris literis affirmant , Non parendum Præſidi Eccleſiæ, cum mala iubet & illicita,& irrationabilia;& ſi hac de cauſa ad Cenſuras deueniat,non eſſe obediendum,quia non ligant,nec apud Deum, nec apud Eccleſiam. Quòd autem ſint illicita,& irrationabilia, quæ præcipiuntur,alio loco oſtendimus.

Nonum, & nuſquam hac ætate auditum,vulgatur in ſubditos nuncium huius interdicti, & Cenſurarum: inſolitus, ignotus, & improuiſus ſonos huius Tonitrui, non vt putabas, diſperſit, ſed ſub alis Piæ Matris conſeuit,& vniuit. Pietas, & Religio Sereniſſimi Principis Veneti,literis conſolatur Communitates ſubditas. Rem declarat, & quæ ſaluti ſtatus Serenitatis ſuæ viſa ſunt opportuna ſcribit.

Hæ

Hæ literæ non adeo imprudenter per Miniſtros diuulgatæ fuerunt, vt eadem tenor potuerit Romam vſque conuolare. Quod ſi hac occaſione confictæ ſunt aliæ literæ, è vicu allatæ, hic eſt partus ſuppoſitus, Nec ſatis competenter, parcant Illuſtriſſimi Domini Inquiſitores, fuerunt de literis prædictis edocti.

Et vt hoc, Senatus Veneti reſiſtētia non obſtante, toti orbi innoteſceret, nil detractum cōtinuatæ obſeruantiæ huius Sereniſſimi Dominij erga ſanctam Romanam Sedem; propterea decreuit Reſpublica literas patentes affigi, quibus, declarata cauſa reſiſtentię, proteſtatur Sereniſſimus Princeps Religionem ſuam his prægnantibus verbis;

Cum nobis decretum, conſtitutumque ſit, in ſancta fide Catholica, & Apoſtolica, atque in obſeruantia erga ſanctam Romanam Eccleſiam perſiſtere, quam maiores noſtri, à prima Ciuitatis origine, hucuſque, diuina comitante gratia, & ſine vlla intermiſſione, coluerunt.

Sanctitas veſtra in Conſiſtorio, ac Senatu ſuo, dixit ſe audiuiſſe homines Doctos, voluitque etiam votum aliquorum Cardinalium in eo congregatorum, qui eam vrgebant ad fulmina, vt ſupra. Sereniſſimus Venetus Princeps quāplures Theologos, & iuris, tum Pontificij, tum Cæſarei, peritos conſuluit, & votum non aliquorum, ſed trecentorum Senatorum, ſine ſpe, vel metu, nemine contradicente, ad reſiſtendum Cenſuris, habuit: Quod te latere non debet, verior & communior ſenſus Sereniſſimi Principis Veneti, longe maiori numero peritorum ſuffultus, probandus erat.

Nouum tamen fulmen vibras contra legentes, tenentes, & communicantes literas prædictas, & ſcri-

pturas in hac materia. Noſti quòd Sereniſſimus Princeps litteris tenuit in officio ſubditos ſuos, quos alij ſeducere, & diuidere ſtudebāt: ſubditi, qui principem ſuū naturalem audiunt, & intelligunt; & cui Diuino mandato obligantur, merentur ex hoc ipſo feriri anathemate? Bone Deus, quomodo intra terminos modeſtiæ continebimur? Regnum à Deo eſt, (Per me reges regnant) ſi populi ſubuertantur, & ſeducantur, quibus regnabit, & imperabit Rex? Paſtor congregat oues, non diſgregat. Iubentur Apoſtoli, quorum tu ſucceſſor es, non diſperdere, ſed vnire: ſi in officio ſubditi tenentur, hoc eſt Præceptum Dei, iſtud tamen prohibetur, & dānatur, & Cenſuræ fulminantur, vt hæc officia abſcōdantur, & lateant? hæc ſunt ſigna irati animi: oſtende mihi cur ita iudices?

Multo minus patentes literæ affixæ debent hoc Anathemate impediri, ſepelirívε. Finis earum eſt, vt ſe Princeps declaret, & proteſtetur Catholicum & obſeruantiſſimum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, vt anteceſſores ſui. Quando operibus, viribus, & præſentia, ſe talem declarauit Princeps Venetus, annuerunt Pontifices, gratias Principi benemerenti habuerunt. Talis ſemper continuauit, Talem ſe adhuc exhibet, & proteſtatur. Lætatur vniuerſa Eccleſia his officiis, & muneribus. Paulus autem V. Pontifex, damnat, & Anathemate ferit, qui diplomata hæc Chriſtianiſſima legunt, & memoriæ tradunt, & ea conatur obliuioni mandare. Cogor dicere cum ſancto viro Iob, Cur faciem tuam abſcondis? & arbitraris me inimicum tuum? & ſcribis contra me amaritudines? Sed quid iſta ad officium Inquiſitorum hæreticæ prauitatis? Hære-

ſis eſt crimen contra fidem Chriſtianam. Nos, in noſtris litteris, & expreſſe Chriſti fidem Catholicam Romanam ſequimur, & eam profitemur & proteſtamur. Habēt Inquiſitores Iuriſdictionē attributā, conditione exiſtēte; vnde neq; poſſunt cognoſcere, an aliquis ſapiat manifeſte hæreſin, vt dicunt Prudentes. (C. Accuſatus. ſane & ibi Glo. verbo Manifeſte, de hæreticis in 6.) Quid vero dicam de titulis datis in Edicto, litteris, & ſcripturis noſtris; vbi aſſeritur, eas prohiberi, quia continent multa temeraria, calumnioſa, ſcandaloſa, ſeditioſa, erronea? Omnino non pertinent ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis iſta. Iccirco, ſicut primæ Cenſuræ, tanquam nullæ, & inualidæ, ſeruatæ non fuerunt; ita prohibitio, & Edictum iſtud, vti extra Iuriſdictionem Inquiſitorum, ſpernetur, & voſmet detrahitis dignitati Eccleſiaſticæ, qui præcipitis non præcipienda. Cautius eſſet agendum, maxime in negotio Cenſurarum, & eo magis contra Principes ſupremos & Catholicos: quia qui male iubet, bene obauditur.

Non pateris ſcripturas in hac materia. Noluiſti iura Reipublicæ ab Oratorib. percipere; recuſas eas ſcripturis ab aliis intelligi. Quid eſt hoc, niſi defenſiones omnino negare, quæ de iure Diuino ſunt? Audi Melchiadem Pontificem Præceſſorem tuum. Primo ſemper ante omnia diligenter inquirite, vt cum iuſtitia & charitate diffiniatis, neminem condemnetis, ante verum & iuſtum iudicium. Nullum iudicetis ſuſpicionis arbitrio: Sed primum probate, & poſtea charitatiuam ſentētiam proferte. Et quod non vultis fieri vobis, alteri facere nolite.

Cogita, Pater Sancte, ſi in tuis ſententiis has Præ-

ceſſorum tuorum ſeruaſti regulas; Iſta debent Pontifices Secularibus poteſtatibus: Nos autem cogimur hæcmet Paulo Quinto Pontifici inſinuare, & errata Magiſtro indicare: Quod tibi diſpliceret, aliis ne facito: Cenſebuntur oculi tui carnei cùm ea non ſeruaueris: Fertur iis mediis Eccleſiaſticos affectaſſe Monarchiam, & Poteſtatem à Deo diſtinctam totam ad ſuum Tribunal vnire, quod eſſet admodum Tirannicum, & contra expreſſam mentem Diuinam: Videte ne his vaſtis prætenſionibus, Claues vim perdant, & rubiginem inducant, & menti recõdite, Quod cum res reducitur ad effectum, omne perit iudicium.

Viden, Pater Sancte, quæ Sathanas mala femina ſpargat hac occaſione? Audiſtin quæ dicuntur de auctoritate Pontificis, de diuiſione Poteſtatum? Vtinam non incidiſſemus in hæc tempora, nec conſilia mala præualuiſſent: Reſpublica nunquam deficiet à Religione Catholica, & à Communione Sanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ Romanę: Sed nec vnquam patietur libertatem ſuam, vſúſve ſuos, facultatéſque Subditorum ſubuerti. Stant ſimul, reſiſtere pręcepto Pontificis, iſta turbanti, & non deferere communionem Eccleſiæ Romanæ, & Catholicam Religionem: Memineris exempli Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Anathemate iniuſto vulneratus à Iohanne Pontifice Octauo, non paruit. Mortuus nihilominus miraculis claruit, & in numero Sanctorum fuit relatus. Audi quæ nuperrimo hoc proximo anno docuerunt Patres illi Societatis IESV, ſcribentes librum Typis datum ad Henricum IV. Francorum Regem, in his verbis: Si adeo iratum Numen haberemus, vt ad ſe Clementem acceſſe-

cerſeret,& Bonifacios Octauos,Benedictos XIII. & Iulios Secūdos induceret, quid ageremus? Nempe,breui dicam, quod in loco tempore probos, & bonos Francos,quod moderatos, ac frugi Eccleſiaſticos,cum Rege Philippo Pulchro, cum Ludouico XII. accepimus feciſſe.Qui ius ſuum,ac regni,cum mordicus tueretur,contra dictos Pōtifices infeſtos, nunquam propterea à Sancta Sede Apoſtolica deſciuerunt. Recognouerunt in ſpirituali Dominatione Pontificem,officij Chriſtiani potiſſimas partes deſeruere nunquam, Chriſti Vicariam Maieſtatem ſunt omni ſtudio, omni fide, omni obſequio proſequuti:de quo,ne dubitandi ſuboriri poſſet vlla ſuſpitio,fecit Philippi Pulchri Regis,à Tilletio ſcripta,atque ad poſteritatem tranſmiſſa,reſponſio.

Iſtud idem exemplum, ac Conſilium Chriſtianiſſimorum Regum,ſequitur Reſpublica. Nec paruit,ſed reſiſtit, Cenſuris inualidis. Nec ſe ſeparat ab Eccleſia Romana, Nec officia potiſſima Chriſtiana vult in ſuo Dominio prætermitti: de qua, in fidem Catholicam, & Sedem Romanam perſeuerantia, ne ſuboriri poſſet vlla ſuſpitio, fecerunt Sereniſſimi Principis Veneti litteræ affixæ publicè,ſicut & Philippi Regis reſponſio, vt ſupra. Malo ingenio audis iſta, Beatiſſime Pater,ſiſte gradum,tolle fulmina, quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nos,nil noui agimus,vtimur antiquo iure noſtro,& qui iure ſuo vtitur,nemini iniuriam facit. Res aliter agitur cum Principibus,manu, viribus, & Poteſtate ſupremis. Dominos Venetos,alia via,vel in tuam trahe ſententiam, ſi potes; vel melius conſultus, tu in eorum intres opinionem. Si pergas, noſti quod non obedîeris, Abyſſus Abyſſum inuocabit, detra-

hetur Gloriæ Sedis tuæ, abſque Dominorum Venetorum culpa, qui iura publica, & ſubditorum tenentur cuſtodire, & tunc non in emendationem, ſed in deſtructionem perges, contra Præcepta Patrum, & tuorum Præceſſorum. Nam ad hoc indictæ ſunt Cenſuræ, vt conſtruant, non vt deſtruant. Quòd ſi fortè putaſti, vi iſtud poſſe euincere, non ſuccedet, quia res eſt cum Prudente, Potente, & benemerito Principe: Et tu Sedem, & Subditos tuos, ſine fructu deplumabis. Sed interim, quæ deſolatio Populorum, & totius Italiæ? In quo diſcrimine Sedem tuam conſtitues? Spumant ora Luporum, exſpectant vt hæc agantur, omnes hæreſes Italiam inuadent, deturpabitur ſanctiſſima Sedes: in caput tuum, Pater Sancte, tota faba cudetur.

Igitur, ne, te Præſule, mala iſta eueniant, muta ſententiam, præcidenda eſt occaſio tam grauis incendij, habes in Sacris literis, Quod non poſſumus ſuperare, tollerare debemus. Retia Domini rumpenda non ſunt, nec deferendus grex Domini. Si ita egeris, habebis hanc Chriſtianitatis fortiſſimam Columnam obſequentiſſimam. Dominus tecum erit; Longitudine dierum replebit te; & oſtendet tibi ſalutare ſuum.

AD

AD SVMMVM PONTIFICEM.

Al : *Li* : *Æq* : *Ve* : I : *V* : *D* :

ADMIRATVS ſum valde, Summe Pontifex, Legem à te latã, qua omnes, qui pro Veneta Republica ſcribunt, diris execrationibus proſequeris, ac deteſtaris. Hæc enim (remoue quæſo, dum pauca humiliter, ac piè, perinde ac ſi Deum Optimum Maximum alloquerer, propono, auctoritatem, & rẽ ipſam tene:) cum omnia circa diuina poſſis, verè non potes: Vris, cædis, lancinas, & viſcera dignitatis, decoris, libertatis Reipublicæ, ſeueriſſimè, ne dicam crudeliſſimè, & ingratiſſimè differs, & ſilentium indicis? vocem cõprimis? ora obſtruis? extrema minaris? Ne Dei optimi Maximi opem implorare audeat, prohibes? Virginem decoram, pudibundam, honeſtiſſimis, ac modeſtiſſimis moribus præditam, non fuco illitam nec calamiſtris inuſtam, ſed viuo ſanguine, & præclaro, ac ſplendidiſſimo pulchritudinis flore perfuſam, & mirifice nitentem, & ab incunabulis ad hæc vſque tempora caſtè & liberali cuſtodia ſeptam, & conſeruatam, & admirandã, in totius orbis veluti Theatro, tanquã impudentiſſimũ & turpiſſimũ ſcortũ exponis, producis, & quã maximis potes vocibus & clamoribus, ac veluti maximarum tubarum clangoribus, proclamas, & vocem vt cõtineat, iubes? non potes, Pater, non potes, fac velit, nec ipſa poteſt. Cum dolet acriter, lachrymæ excutiuntur,

vox dolentis exprimitur, & erumpit naturæ vi cogente. Cæde puerum, aut ſeruulum, clamabit, ſtatim vociferabitur; iube ſileat, non parebit, altius clamabit, & maximas contumelias, & turpiſſima ingeret iurgia. Naturæ ius, & vis, & lex eſt, vt quis quacumque ope poteſt vim ſibi illatam repellere, & decus ſuum tueri conetur, & ſaltem dolere queat. Hanc tu tollere, ſeu immutare nunquam poteris. Altius tuo, naturæ eſt ſolium, & tu parere cogeris: hæc vero te docere poſſunt, hominem eſſe, non Deum. Si vera ſunt quæ dicuntur, quid doles? Corrige, abſtine, imitare veterum Romanorum Principum morem, & Prudentiam, quin & Græcorum. In libera Ciuitate, liberas eſſe linguas non vis? nec hoc potes, Pater: nam etſi eas euelleres, ſpiritu ipſo & clamoribus libertatem, vita longè chariorem, libera hæc ingenia præ ſe ferrent, ac profiterentur, & nutibus oſtenderent, ac ſignificarent. Non poſſunt enim ferre cum contumelia damnum. Non legis, aut Pontificis contemptus hic eſt: Maiorum mores, veterum inſtituta verentur Veneti, ne quid immutetur proſpiciunt, & ſummopere cauent. Si aliam in gerenda Republica, & in eius adminiſtratione, viam inire cogerentur, omnia ruitura exiſtimarent. Proinde initiis obſiſtendum cenſent. Nimis attentè ais, libertatis ſuæ habenas continent. Quid tua? Sed quid pro ſepulchro Chriſti egerunt, quid pro Leone Nono, quid pro Nicolao Secundo, quid pro Gelaſio Secundo, quid pro Alexandro Tertio, quid denique pro Pio V. cogita. Humillime, Pater Sãcte, te obteſtor, vt ad omnia oculos circumferas, ad ſalutem Italiæ imprimis, & totius Chriſtiani orbis, ad vetus Venetæ Reipublicæ cum Apoſtolica Sede con-

coniunctionis vinculum,ad labores,ad ſumptus,ad ſanguinem Ciuium Venetorum pro Apoſtolica Sede effuſum,ad Barbarorum terrorem, ac vim,nec non & ad eorum gaudium, & exultationem. Maximus es,& excelſus,maior eris,ſi pace, & concordia, tibi nihil potius erit,aut antiquius. Glorioſum erit ſupremo Principi, à quo pietatis exempla ſumuntur,ſi grauitati,ac ſeueritati ſuæ,lenitatis, & bonitatis ſimul ſuæ guttam aſperſerit. Iucundiora,lætiora, auſpicatiora omnia Principatus tui erunt. Quod enim holocauſtum maius, aut gratius Diuinæ poteſt offerri?Maieſtati & Bonitati,quàm Pax;& obſequẽtiſſimæ Ciuitatis conſeruata libertas. Non enim Reſpublica nouarum rerum cupida, non aliena appetit; libertas tantùm, & mos maiorum, altiſſimo, tanquam cuiuſdam neceſſitatis lex tradita, & ſibi impoſita,animo inſidet; ſi quicquam immutaretur, omnia funditus euerſum iri arbitrarentur. Cur igitur Pater iraſcatur?excandeſcat,& furias cum ardentibus tædis immittat? & ad furorem filiam impellat, vt vaſtitas Italiæ, & ſtrages, & eluuies, ac rerum omnium perturbatio,ac confuſio conſequatur? Pacem igitur, Sancte Pater, cæteris omnibus omiſſis, benedictione tua conſtitue: quod ſi ſponte, & non rogatus feceris,ſummæ virtutis,& veræ Chriſtianæ pietatis, & laudis, & gloriæ columen, ac faſtigium omnibus coronis, & triumphis excelſius, aſſecuturum & omnium denique virtutum numeros impleturum te exiſtima,& certò ſcias.

SENTENTIA BARONII CARDINALIS, SVPER *excommunicatione Venetorum.*

DVPLEX eſt, Beate Pater, miniſterium Petri, *Paſcere*, *& occidere*: dixit enim ad eum Dominus: *Paſce oues meas*: audiuitq; è cœlo vocem, *occide, & manduca*. Paſcere oues eſt, curã gerere obſequentium fidelium Chriſtianorum, mãſuetudine, humilitate, ac pietate oues & agnos præ ſe ferentium. Cum verò, non cũ ouibus & agnis negotium ſit, ſed cum leonibus & aliis feris animalibus, refractariis & aduerſantibus, agendum eſt, iubetur Petrus eos occidere; obſiſtere ſcilicet, pugnare & expugnare, ne tales ſint penitus. Sed quod huiuſmodi occiſio nõ eſſe debeat, niſi ex ſumma caritate, quod occidit præcipitur *manducare*; nẽpe per Chriſtianam caritatem, intra ſua viſcera recondere; in ſeipſum cõdere, vt ſimus vnum & idem in Chriſto: Quod dicebat Apoſtolus, Cupio vos in viſceribus Ieſu Chriſti. Sic igitur nõ eſt occiſio iſta, crudelitas, ſed pietas atque ſinceritas, cum ſic occidendo ſaluatur, quod eo modo viuendo verè perierat. Eſt, vt Nicolaus I. docet, Excommunicatio, non ad occidendum venenum, ſed ad ſanãdum optatum medicamentum. Sic & videmus Patrem amare vincula, quibus à medico filius ligatur phrenitide laborans, ſperantem poſſe curari. Perge igitur, Sãcte Pater, quod cœpiſti, in quo te nemo redarguere poteſt nimiæ feſtinationis, quòd dicat Paulus ad Chriſtianos fratres ſcribens, Eccleſiam in promptu habere volciſci omnem inobedientiam: in promptu hoc

illi

illi faciendum præcepit. Tua verò Sanctitas in his diutius eſt immorata, ſcribens, dilationémque iterans in hunc vſque diem. Ego, vt ingenuè fatear, exulto ſpiritu, dicam cum Apoſtolo, ſuperabundo gaudio; videor videre in Sede Petri Gregorium ſiue Alexandrum, has ſcilicet præcipuas radices collapſæ penitus Eccleſiæ libertatis; ambos ex Senenſi Metropoli, vnde V. S. originem ducit vocatos ad Cathedram Petri, quorum alter expugnauit Henricum peruerſiſſimum Imperatorē, alter verò, mira conſtantia reſiſtens, Fredericum penitus ſuperauit. Idem tibi certamen ineundum, modo ruinæ hæ in manu tua. Dicam cum Eſaia: Erige collapſam, proſtratam Eccleſiaſticam libertatem, certa paratam victoriam. Etenim nobiſcum Deus. Verbum Chriſti eſt, Et portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. Poſitus es in Eccleſia Succeſſor Petri, in promiſſione ipſi facta, præueniant & firmentur de petra. Et quod Hieremiæ, tibi dictum eſt, Poſui te in columnam ferream, & murum aheneum. Memor eſto te in Eccleſia poſitum eſſe in petram, in quam omnes qui offendunt confringentur. Tu verò permanebis illæſus, coniunctus Chriſto, qui pro te pugnabit & vincet.

SENTENTIA CARD. COLVMNÆ.

OBsistere parentibus impium. Eam verò Matrem oppugnare, cuius Clementia in vna ſuorum filiorum curanda ſalute, defigitur, plane deteſtabile. Eóque magis, quo pluribus nominibus in eam maiorum obſequium declaratur. Satis cuique notum, quantum in ætatem hanc, Romana Sedes Reipublicæ Venetę commodi fuerit ſtudioſa, quãtum illa ſe pariter erga illam Sedem, obſequentem, gratámque præbuerit: illam nunc ab huius Religionis obſeruantia, noſtra tempeſtate deficere, & contra libertatem Eccleſiaſticam iniquas ferre leges, nemini ferendum. Remedio eſt opus. Satis à B. V. diuturnum conceſſum ad reſipiſcendum tempus. Decreta Patrum, Conciliorum Canónes illi declarati, Euangeliúmque docuit óbſeruandum: ne maiorum ſuorum Religionis oblita, firmius in ſuo errore perſiſtat, flagellis corripienda potius, quàm lenitate inuitanda: forſan, qui tantæ benignitatis indulgentia obdurue re, pœnæ ſeueritate miteſcent, & qui nunc nihil timere videntur incommodi, deſtituti paterno præſidio, iuribus Eccleſiaſticis excitati, reſipiſcent.

RESPON-

RESPONSIO
DOCTORIS
THEOLOGI:

Ad Epiſtolam ſibi ſcriptam à Reuerendo quodam, amico ſuo.

De Monitorio Cenſurarum à Sanctitate Pontificis Pauli V. promulgatarum contra Dominos

VENETOS.

Et de nullitate illarum Cenſurarum, è Sacris literis, Sanctis Patribus, aliiſque Catholicis Doctoribus deſumpta.

IMPRESSA ITALICE VENETIIS
Anno M. DCVI.

Digitized by Google

Reuerende Domine

EPISTOLAM tuam legi, & valdè miratus ſum, quòd ipſe prima quæ occurrunt nuntia ſemper à te accipere ſolitus, ſpeciatim verò vbi me de re quapiam conſulendi ſeſe offert occaſio, hoc tempore, quo in ciuitate veſtra tot rerum maximi momenti rumores vigent, vltimò à te monitus fuerim. Interim tamen ſollicitè adeò petis à me quid ſentiam de monitoriis iſtis Pōtificiis aduerſus Rempub. veſtram editis, ac de proteſtationibus nullitatis harum Cenſurarum ab ea in ſui defenſionem ſuarúmque rationum fulcrum exhibitis. Ego licèt poſſem non hallucinari in cauſa cōcipienda huius tuæ moræ, eámque materiæ difficultati adſcribere, licèt perſuadere mihi non poſſem quis animum tuum ſcrupulus torquere poſſet: nihilominùs tamen in tui gratiam, ab inſolitis quas dicis occupationibus tuam excuſationē deſumam, tibíque pro more gratificari volens, me etiam ea quam optare videris acceleratione vtentem tibi ſatisfacere poſſe arbitrabor: cùm ad id præſertim paratum me videam ob exactiſſimam conſiderationem quam totis hiſce diebus ſuper propoſita materia ſeriò adhibui. Scire igitur optas, ſi benè mentem tuam aſſequor, An Cenſuræ à Sanctitate D.N. Pontificis Pauli V. promulgatæ contra veſtros Dominos Venetos, ſint inualidæ ac nullæ, ſicut in ipſorum Manifeſto declaratur, adeò vt cùm irritæ ſint, in Eccleſia tua poſſis in Sanctiſſimorū Sacramento-

rũ celebratione,ac in illorũ omniũ ſacrorũ diuinorúmque miniſteriorum exercitatione pergere,quæ ante harum Cenſurarum promulgationem exercebas,idque citra vllum conſcientiæ ſcrupulum.

Vt igitur ordine & perſpicuè reſpondeam his tuis quæſitis,octo propoſitionibus id omne complectar quod ſuper materia propoſita dici poterit, ex Theologorum more, quarum doctrina, ſicut ab omni proprio compendio vel adulatione erit aliena,ſic etiam ſacris literis, ſanctorum patrum dictis expoſitionibúſque & omnipotenti veritatis rationíſque robore nitetur, vt nemo niſi proteruus, eam impugnare audeat.

PRIMA PROPOSITIO.

POteſtas quam Principes temporales obtinent, atque etiã ſummus ipſe Pontifex,ceu Dominorum & Prouinciarum quas poſſidet, princeps temporalis immediatè eſt ipſis à Deo conceſſa,citra exceptionem vllam.

Ad clariorẽ huius propoſitionis ſenſum aduertere oportet dominiũ & ſeruitutẽ, principis imperiũ & ſubditi obedientiã,quatuor modis eſſe de iure gentium introducta, videlicet Electione, Succeſſione, Donatione, aut Iure belli:adeò vt omnes ij Principes qui vno è quatuor hiſce modis vnquam fuerunt, vel hodie ſunt in Principatus ſolio collocati,ſint iuſti ac legitimi Domini:hi,inquam ,qui à Deo poteſtatem habent imperandi,leges ferendi, tributum exigendi,iudicandi,ſubditos ſuos puniendi, abſque vlla exceptione.

Doctrina hæc nõ mea eſt,ſed D. Pauli in epiſt. ad

Rom.

Rom.cap.13.imò Spiritus S.per os eius loquentis & eius penna ſcribentis:Apoſtoli verba ſunt hæc,[Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo.] Hunc locum exponens D.Iohannes Chryſoſtomus, ait: [Facit hoc Apoſtolus,vt oſtẽdat Chriſtũ leges ſuas non ad hoc induxiſſe vt politias euertat, ſed vt ad melius inſtituat.oſtendens, quòd iſta omnibus imperentur, & Monachis, & Sacerdotibus non ſolùm ſecularibus, id quod ſtatim in initio declarat,Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis,etiamſi Euangeliſta,etiãſi Propheta, ſiue tandem quiſquis fueris. Neque tamen pietatẽ ſubuertit iſta ſubiectio.]Hinc ſub veteri lege, quamuis Leuitæ ſummum ſacerdotem,Aaronem ſcilicet,habuerint,in rebus tamen temporalibus, in cauſis ac iudiciis , ſub Moſe temporali ipſorum principe manſerunt,vt probat Couarruuias cap.31.Practicarum ſuarum quæſtionum,num.3.& in primitiua eccleſia diſtinctio Fori non fuit:nam Iuſtinianus Imperator primus Eccleſiaſticis conceſſit, poſtulante id Epiſcopo Conſtantinopolitano , vt in ciuilibus cauſis à ſuis Præſulibus iudicari poſſent,ipſo tamen non impedito , quo caſu,& in capitalibus delictis, permittit vt Eccleſiaſtici Principi temporali,eiuſq; miniſtris ſubditi ſint,vt manifeſtò legitur in nouella conſtitutione 85.Iuſtiniani Imperatoris. Nec eò quòd Conſtantinus Magnus Imperator litibus contra Eccleſiaſticos ſibi oblatis,hæc verba protulerit, [Vos à nemine iudicari poteſtis, quia ad Dei iudicium reſeruamini,]vt ſcribit Gratianus in cap. Futuram 12.q.1. elicitur inde Eccleſiaſticos Principi temporali ſubditos non eſſe: ſiquidem hoc exceſſui

Imperatoris illius erga Eccleſiam benigno & pio adſcribendum eſt, non autem quòd verè ſic ſentiret: cùm præſertim ſi quod Conſtantinus dixit, verum eſſet, nec Eccleſiaſtici Præſulum ſuorum iudicium ſubire poſſent, dicendo, [ad Dei iudicium reſeruamini,] quod eſſet erroris grauiſſimi: Sũt igitur Eccleſiaſtici omnes, & ſeculares, de iure diuino, Principi ſeculari ſubditi. [Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:] nec deeſt ratio, quãdoquidem ſicut nullus ab obedientia quam Deo debet, immunis eſt, ita nec ab ea quæ Principi debetur, quia vt ſubdit Apoſtolus, [omnis poteſtas eſt à Deo:] hinc à Dauide Propheta Reges & Principes ſeculares, Dij appellantur: Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat: ſiquidem vt Rex Ioſaphat exponit lib. 2. Paralip. cap. 19. iudices ſeculares non hominum ſed Dei iudicia exercent. Hunc ipſum locum de Principibus ſecularibus citat Chriſtus Ioh. 10. confirmátque Deorum nomen ipſis competere: ſi illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, vt doctè notat Cardinalis Bellarminus cap. 3. libri quem ſcribit de laicis. Pergit Apoſtolus, & ait: [Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.] Ecce authoritatẽ quam habent Principes temporales, ferendi leges de omni materia, quæque ſingulos obſtringant, iuxta illud quod in Salomonis Prouerbiis legitur, vbi Deus ait, Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernũt. Hinc factum vt Chriſtianiſſimi Imperatores Iuſtinianus & Theodoſius, multas tulerint leges ad homines Eccleſiaſticos, bona, & diſciplinam Eccleſiaſticam, ſpectantes, ſub titulis, [De Epiſcopis & Clericis, de ſacroſanctis Eccleſiis &c.] His legibus iubet Apo-

bet Apoſtolus vt omnes pareant, nec quiſquam eis obſiſtat, qui enim hoc faciunt,ſibi damnationem acquirunt:id eſt lethale peccatum committunt, in quo ſi morerentur,æternis inferorum flammis addicti forent.Præterea iubet Apoſtolus vt Principi ab omnibus tributum ſoluatur,qui enim hoc Principi ſoluit,Deo ſoluit:[Cui vectigal,vectigal,cui tributum,tributum,ſunt enim Miniſtri Dei ad tributa.] Quem locum explicans Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas,omnium Theologorum magiſter,Sol vnicus ſcholæ Catholicæ ait Clericos ſi à tributo ſint immunes,hoc habere,non vt quiſpiam putaret,de iure diuino, ſed ex priuilegio principũ: & de Principibus ſecularibus loquitur. Tandem cum D.Paulo concludo de authoritate Principis: [Non enim ſine cauſa gladium portat:Dei enim miniſter eſt ad vindictam.] Ecce Principis ſecularis authoritatem puniendi pœna ſanguinis. Quam à Deo non habentes PræſulesEccleſiaſtici,poſtquàm clericos reos gradu ſpoliarunt , eóſque dignitate clericali indignos declararunt,vlteriùs nil moliuntur,ſed vt morte puniantur tradunt eos brachio ſeculari.Et ne quis putet Apoſtoli verba eſſe conſilij non præcepti loco,vt totum hoc ſtabiliat,ait,[Ideo neceſſitate ſubditi eſtote,non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam,] adeò vt ratione conſcientiæ Principi ſeculari parère teneamur, in omnibus iis quę ſuprà diximus,à D.Paulo Apoſtolo edocti.

PROPOSITIO II.

CHriſtus Saluator noſter , quamuis vt Dei Filius,Patri æqualis , ſit rex regum & dominus

dominantium, attamen cùm carne noſtra mortali indutus eſſet, tam ante mortem, quàm poſt ſanctiſſimam reſurrectionem, Principis temporalis poteſtatem non exercuit, regnum temporale non habuit, vt dixit Pilato, [Rex es tu? Tu dicis, [inquit, ſed aduerte quòd licèt Rex ſim, tamē [Regnum meum non eſt de hoc mūdo,] hoc eſt temporale. Propterea quum turbæ quas per miraculum quinque panibus ac duobus piſcibus ſaturauerat, ipſum Regem creare vellent, aufugit, ne raperent, & facerent ipſum Regem. Iudicium ferre de quopiam noluit, vnde iis, qui volebant vt de ipſorum controuerſia aliquid decerneret, reſpondit, [Quis me conſtituit Iudicem ſuper vos?] Quinetiam Pilatum, Cæſaris miniſtrum, iudicem ſuum agnouit, [Non haberes in me poteſtatem niſi tibi data eſſet deſuper,] vt notat D. Thomas in epiſt. ad Romanos: tandem iuſſit vt Principi ſeculari, nempe Cæſari, tributum ſolueretur: [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.]

Quidam ſede huic noſtræ propoſitioni opponunt, dicentes Chriſtum, licèt ſuo & D. Petri nomine Cæſari tributum ſoluerit, dixiſſe tamen ſe ad id non teneri, [Nunquid filij debent ſoluere tributū?] quibus verbis Principis temporalis authoritatem oſtendit, qui eſt à tributo immunis. Huic dubio reſpondetur indigenas, vt aiunt Doctores quidam, filiorum nomine deſignatos, huic tributo minime obſtrictos fuiſſe: cúmque ipſe & D. Petrus ex ea regione ortum ducerent, ideò affirmauit ipſos non teneri perſoluere, aut potiùs ob ſanctiſſimam ſuam diuinitatem innuere voluit ſe vt Dei filium ad tributum illud non teneri. Verùm, quia hanc reddere cauſam, ſublime nimis erat & occultum ſacramentum,

cuius

cuius illi Principis exactores capaces non erant, ideò dixit, [ſed ne ſcandalizentur:] vnde cõſtat quanti duxerit Saluator ſecularis Principis miniſtris ſcandalum non præbere, verãm & realem, ſed ab ipſis non intellectam immunitatem adducendo. Alij vt huic propoſitioni contradicant, aiunt Chriſtum eieciſſe ementes & vendentes à templo, ſed id zelo fecit ceu Propheta, vnde ad hanc rem citat Euangeliſta Dauidis verba, [zelus domus tuę comedit me.] Alij dicunt ipſum quando diſcipulos miſit vt aſinam & pullum adducerent, iniunxiſſe illis, vt hero dicerẽt, [quia Dominus his opus habet:] id eſt toti mundi Dominus. Sed hic locus ita non eſt intelligendus vt inde Principis authoritas eliciatur: verùm vt innuatur cœli & terræ Dominum adeò modis omnibus pauperem fuiſſe, vt ipſum animalia illa mutuò petere oportuerit, ſicut Doctores exponunt. Nec ratio deeſt, nam ſi Principis authoritate vti voluiſſet, non dixiſſet [his opus habet,] ſed [quia Dominus ita præcipit], alióve modo. Tandem qui hanc noſtram Propoſitionem probatu difficilem iudicãt, dicunt omnes, Chriſtum, quando triumphans die Palmarũ, in Ieroſolymam intrauit, Principis temporalis autoritatem exercuiſſe: vnde Euangeliſta Prophetiam citat, [Ecce Rex tuus venit tibi, manſuetus ſedens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.] Sed rem attentè perpendenti demum innoteſcit Saluatorem, licèt promiſſus eſſet Rex & Meſſias, dum tamen vili hoc abiectóque modo Ieroſolymam ingrederetur, Principis temporalis authoritatem non exercuiſſe, quin potiùs ſignificaſſe Regnum ſuum non eſſe (vt Pilato dixit) de hoc mundo, at ſpirituale & æternum: etenim Reges

temporales alio apparatu Regnorum ſuorum ciuitates ingrediuntur, quàm quo Chriſtus, qui Ieroſolymam pauperrimè eſtingreſſus,[ſedens ſuper aſinam & pullum filium aſinæ.]

PROPOSITIO III.

QVandoquidẽ Dominus noſter Ieſus Chriſtus Principis tẽporalis authoritatẽ nõ exercuit, dicẽdũ nõ eſt ipſum D. Petro, eiúſque ſucceſſoribus authoritatẽ hãc reliquiſſe, qui ſunt ipſius Vicarij, cum Vicarius ſuo Principe nõ ſit maior. Ideò Sotus lib. 4. Sententiarũ, de hac agens materia, & Cardinalis Bellarminus de authoritate Papæ, benè dicunt ſe Canoniſtas mirari, quòd abſque vlla ratione, vel Noui Teſtamenti authoritate affirmare auſi ſint Papam eſſe Dominum totius orbis directè in temporalibus: quæ doctrina vana eſt & cum ſcandalo. Scio equidem nonnullos citare, præter Canones, qui ceu leges humanæ diuinarum reſpectu parem dignitatem habere non poſſunt, citare, inquam, D. Thomam Aquinatem de Regimine Principum, qui cap. 10. & 19. eius libri dicit Summum pontificem eſſe Dominum totius orbis in temporalibus & ſpiritualibus: ſed ille liber non eſt D. Thomæ, vt rectè oſtendit Cardinalis Bellarminus lib. de poteſtate papæ: quia præter certiſſimas alias coniecturas hæc vna eſt quòd lib. 3. cap. 20. ſucceſſionis meminerit Adolphi Imperatoris, poſt Rudolphum, & ſucceſſionis Alberti poſt Adolphum, quæ contigẽre prima quidem anno 1292. altera anno 1299. & D. Thomas obiit anno 1274. Citant inſuper alium locum D. Thomæ, lib. 2. Sententiarum, Diſtinct. 44. vbi ait

vbi ait [eſſe in ſummo Pontifice apicem vtriuſque poteſtatis, temporalis, & ſpiritualis:] qui textum legit, ſecus D. Thomam ſenſiſſe agnoſcit: ſiquidem vbi dixit in temporalibus parendum potius Principi temporali, quàm ſpirituali, & in merè ſpiritualibus ſpirituali potiùs quàm temporali, concludit niſi eſſet ſummus Pontifex, cui, cùm in ſuis prouinciis vtramque habeat iuriſdictionem, proprij ſubditi non minùs hoc quàm illo modo parêre debent. Quidam ad huius noſtræ propoſitionis robur infirmandum dicunt Alexandrum VI. Pontificem Indias Hiſpaniæ & Portugalliæ Regibus diſtribuiſſe, quoniam ipſe ceu Chriſti Vicarius earum naturalis erat Princeps temporalis, & ob eandem cauſam Leonem III. Occidentis Imperium Carolo Magno conceſſiſſe. Sed hi toto cœlo aberrant. Nam Alexander, non tanquam Indiarum Dominus, ſed vt Iudex compromiſſarius, à dictis Regibus electus, vt diſſidiorum facem ſopiret ac penitus extingueret, iudicio decreuit vt bipartita eſſent maria, atq; vt vnius Regis claſſis in altero mari, alterius in reliquo nauigaret, omnéque id quod alteruter iure belli cõquireret, ſuum eſſet, iuxta diuiſionem ab ipſo factam, vt illorum temporum hiſtorici narrant: De Leone III. verum eſt ipſum, vbi à populo Romano de Sede expulſus poſteáque à Carolo Magno denuò admiſſus eſſet effeciſſe vt eum populus Imperatorem proclamaret, vt ait Platina. Quam rem hiſtorici nunc populo Romano adſcribunt, qui Imperium à Græcis malè adminiſtrari videns, alium Iure antiquo imperatorem elegit: nunc Carolum cùm rerum eſſet dominus, titulum ab Irene & Nicephoro Imperatore emiſſe dicunt: vel etiam Ire-

nem & Nicephorum huic diuiſioni acquieuiſſet. Vt vt ſit, certum eſt Pontificem, qui è Sede expulſus erat, nec poſſidebat quicquam, Occidentis Imperium Carolo non dediſſe, qui iam ipſum obtinebat, eiúſque erat dominus iure belli. An verò abſolutè titulum ipſi conceſſerit, incertum eſt: licèt ad hoc & id genus alia quæ aduerſus propoſitionẽ noſtrã adduci poſſunt, reſpõderi debeat, Pontificem cũ authoritatẽ à Chriſto in tẽporalib⁹ nõ habuerit, vt dictũ eſt, & in ſequenti propoſitione clarius dicetur, ſi authoritatẽ illã exercuerit, vel id feciſſe ex legitimorũ dominorum conſenſu, vel quòd ipſe poteſtatem etiam aliquam temporalem haberet, vno è quatuor modis ſupradictis: verùm non ob id probatur ipſum authoritatem habuiſſe directè in temporalibus à Chriſto Saluatore noſtro. Prætereà multa fiunt à quibuſdam, de quibus ſi quæratur quo iure fiant, non ſit inuentu facile.

PROPOSITIO IV.

Avthoritas à Chriſto Saluatore noſtro ſub clauium metaphora D. Petro promiſſa, eſt merè Spiritualis, [Tibi dabo claues Regni cœlorũ,] non dicit [Regni terrarũ:] docétque id ratio quod in Eccleſiæ hymno legitur: [Nõ eripit mortalia: Qui regna dat cœleſtia:] Nam regnũ temporale & Monarchia quo pacto adminiſtranda forent, iam ab ipſo mundi initio ſtatutum erat authoritate ſummi orbis Monarchæ, Dei: adeò vt Chriſtus Saluator noſter Monarchiam temporalem non ſtabilierit: ſupereſt igitur vt dicamus, illum ſpiritualem erexiſſe: quod apud D. Iohannem manifeſtò apparet, cap. 20.

cap.20,vbi poſtquam dixiſſet,[Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo,& in terra:]eam omni ratione Apoſtolis vnà cum D.Petro limitatã concedit:[Inſufflauit in eos, & dixit, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt:]quo loco & ex eo quod facit Chriſtus,& è verbis quæ profert, elicitur ſummi Pontificis authoritatem Spiritualem eſſe, & ſuper peccato,& in animas tantùm,iuxta verba precis Eccleſię ad Petrum,[Qui beato Petro poteſtatem animas ligandi,atque ſoluendi tradidiſti:] quæ limitata eſt, vt dixi : quinetiam authoritas excommunicandi conceſſa eidem D. Petro, eſt conditionalis,Matth.18. Si peccauerit in te frater tuus, & Eccleſiam non audiuerit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Quo loco Saluator excommunicandi authoritatem concedit,verùm peccato, & in eo pertinaciâ præſuppoſitis.

PROPOSITIO V.

Licèt aliqui neſcio quo fundamento nixi, aſſerant,perſonas & bona Eccleſiaſtica à Principis ſecularis poteſtate immunia eſſe, de iure diuino, contraria tamen opinio,eſſe videlicet tantùm de iure humano, eſt melior,& ſacris literis,Sanctorũ Patrum dictis,atque hiſtoriis magis conſona: nam præter id quod in prima Propoſitione diximus, Sacerdotes nẽpe in veteri lege Principi ſeculari ſubiectos fuiſſe:ac præter hoc quod Salomo Abiatar ſummo inter Hebræos ſacerdotio ſpoliauit,vt 3.Regũ,c.2.legitur: tempore primitiuæ Eccleſiæ vſque ad Iuſtinianum Imperatorem, non legitur in iure priuile-

gium vllum immunitatis Eccleſiaſticis cõceſſæ.D. Paulus dixit,ad tribunal Cæſaris ſto, Cæſarem appello: & vt Sexcenta alia exempla dimittam,legitur in vita Ottonis primi Imperatoris Chriſtianiſſ. ipſum authoritate propria depoſuiſſe Iohannem Pontificem XII. quòd eſſet peſſimus: & ſi immunitas eſt de iure diuino, cur Pontifex Hadrianus primus vult vt Carolus Magnus poteſtatem habeat Romanum Pontificem eligendi, cap. Hadrianus? quod etiam fecit Leo VIII.in gratiam Ottonis primi, vt legitur in eadem diſtinctione, quæ eſt 63. in Synodo.Hæc doctrina non ſolùm eſt D.Pauli,vt in prima propoſitione probaui, ſed etiam D. Iohannis Chryſoſtomi, D.Thomæ Aquinatis,Soti,Theologi præſtantiſſimi,diſtinct. 25.lib.4. Sentent. Couarruuiæ excellentiſſimi Canoniſtæ, cap.31.Practicarum quæſtionum, qui citat pro ſe Innocentium III. Pontificem, Alciatum, Ferrarienſem, Medinam,& alios: atque hi duo Doctores, Sotus nempe & Couarruuias, in particulari hoc negotio magni fieri debent, quoniam vterque poſt Concilium Tridentinum ſcripſit: ipſorúmque demonſtratio eſt efficaciſſima: nam præter affirmatiuam authoritatem D.Pauli,D.Ioannis Chryſoſt. D.Thomæ,præter eccleſiæ primitiuæ inſtitutum, duo etiam validiſſima argumenta negatiua adferunt: nempe, Si Clerici & bona Eccleſiaſtica ſint immunia de iure diuino,vbi hoc ius legitur? in quo Euangelio, in qua epiſtola apoſtolica, in quo Noui, aut etiam Veteris Teſtamenti libro? Alterum argumentũ eſt nullum ſecularem Principem Chriſtianum, qui ſui Principatus quieti ac bonæ gubernationi ſtudeat, ad hoc reſpicere,ſed permittere vt Eccleſiaſtici immuni-

munitatibus iis fruantur,quibus ipſe vult eos frui, quibus verò non vult,non permittere vt fruantur: Et quamuis nonnulli per legem humanam Canonem intelligant, nihilominus tamen quantum ex primæ propoſitionis doctrina colligi poteſt, Priuilegium Principis debet intelligi,aut conſuetudo ab ipſo Principe diſſimulata,aut Canon receptus, qui non eſt ſupra ius diuinum : adeò vt cùm ſecularis Princeps poteſtatem habeat in ſubditos ſuos de iure diuino, neſciam quî poſſit hæc poteſtas eidem imminui,vel è Canone auferri,quod eſt ius humanum,iuxta tritam Iuriſconſultorum regulam,quòd quotieſcunque concurrunt duo iura, minus debet cedere maiori.

PROPOSITIO VI.

DVm Venetiarum Princeps,legitimus & naturalis ſuæ ditionis Dominus,qui alium in temporalibus ſuperiorem nunquam agnouit, Deo excepto,leges conſtituit de bonis Eccleſiaſticis quæ ſuo Dominio ſubiacent, ac punit Eccleſiaſticos in grauibus & atrocibus delictis, nec non de bonis quæ nondum Eccleſiaſticis adſcripta ſunt,decernit, pro authoritate quam immediatè habet à Deo,qua ſe nunquam ſpoliauit, vel conceſſo priuilegio, vel canone recepto,imò quam poſſidet ab immemorabili multorum ſeculorum, ne dum annorum conſuetudinẽ,non peccat.Ratio eſt, quia,Qui non facit contra aliquam legem,non peccat:minùs debet dici peccare,qui ſeruat legem,& præterea, qui retinet quod ſuum eſt,non peccat : nec cogi debet vt eorum opinionem ſequatur qui immunitatem de iure diuino eſſe volunt:etenim Chriſtianus omnis

in eligenda opinione quam ſequatur, liber eſt, modò ſit Catholica, quinimò Doctoris alicuius opinionem contra reliquum vulgus amplecti, non eſt peccatum, vt rectè Nauarrus probat in ſuis præludiis: ergo peccatum non erit, D. Pauli, ac tot tantorúmque Doctorum in prima & quinta propoſitione citatorum, doctrinam amplecti: quinetiam, vt verum dicam, eos excuſare nequeo, qui immunitatem Eccleſiaſticam putant eſſe de iure diuino, videntúrque mihi modò nulla ratione nixi, modò parùm oculati, modò nimis temerarij, modò nimis adulatores.

PROPOSITIO VII.

DVm Sereniſſima Reſpublica non eſt rea, nec peccat id faciens quod ſuperiori propoſitione dictum eſt, ſi à ſummo Pontifice Paulo V. in monitorio cenſurarum ab ipſo promulgatarum, excommunicetur, ſi loca ſacra inhibeantur &c. decretum nullius eſt momenti: non ſolùm de iure poſitiuo, quòd ordo à Canone præſcriptus de ſententia excommunicationis in 6. ſeruatus non fuerit, vt in Manifeſto legitur, ſed etiam de iure diuino: nam conditionalis eſt excommunicandi poteſtas, [ſi peccauerit in te frater tuus:] adeò vt vbi nõ eſt peccatum, non habeat locum excommunicatio, ſitque decretum aduerſus eum qui non peccauit, vanum ex defectu materiæ; ne quis autem quantumuis hebetis ingenij, putet, Sereniſſimam Rempubl. licèt, vt ſuprà eſt probatum, non peccarit, neque peccet retinendo quod ſuum eſt, peccare nihilominùs dũ Pontifici obedire non vult, ac in ſententia ſua permanet: enimuerò in ſententia laudabili conſtantia,

non eſt pertinacia, & qui non peccauit, rebellis aut pertinax dici non debet: ſiquidem qui legem ſeruat, rem facit ſanctiſſimam & meritoriam, quiq; in iis non paret quæ imperari ſibi nequeunt, planè non peccat.

PROPOSITIO VIII.

VErum eſt D. Gregorium Pontificem dicere, paſtoris ſententiam iuſtam iniuſtámve metuendam eſſe. Sed hoc ad rem non facit, quoniam inter Iudicis Eccleſiaſtici ſententiam iniuſtam, & eam quæ nulla eſt, magnum adeſt diſcrimen, vt affirmant doctiſſimè Nauarrus de Cenſuris Eccleſiæ, cap.27.& Sotus 4.Sent.diſtinct. 22. addentes iniuſtam timeri, ſed vanam minimè obſeruari debere: quocircà cùm ſint nullæ & futiles Cenſuræ, vt dictum eſt, à Summo Pontifice Paulo V. promulgatæ, quia ſunt inſtar ſcripturæ in aqua vel aëre, nimirum ſine fundamento & materia, cenſeo eas nec obſeruandas eſſe, nec quicquam in Eccleſia veſtra innouandum: nam licet Nauarrus loco cit. de inualida & futili excommunicatione differens, hæc dicat, [Sententia, ſubaudi Iudicis Eccleſiaſtici, inualida ſeu nulla, nihil aliud operatur in foro interiori, ſiue exteriori, quàm quod obligat excommunicatum ad ſeruandum eam, quoad populus ſibi perſuadeat, vel perſuadere debeat cauſas nullitatis propter ſcandalum:] nihilominùs tamen hæc doctrina nihil valdè fauet: Siquidem toti populo Veneto nota eſt futilitatis cauſa, & ſi cui non eſſet, ex eo quod omnibus edicto ſuo declarauit Sereniſſimus Princeps, innoteſcere deberet: adeò vt non modò non ſit ſcãdalum metuendum, quin potiùs dicam me Religioſos quoſdam excuſare non poſſe, qui ſine igno-

rantia, alióve prauo affectu peccēt, Ciuitate excedere maluerũt, quàm in ſacramentis adminiſtrandis pergere, ſicuti in publicum & religionis bonum ipſis à Principe iniungebatur : quo quidem facto omnes ſcandalizarunt, quia ipſi ſibi fuerunt lex, nec ab Eccleſia Cathedrali, aliiſque omnibus antiquiſſimis & ſanctiſſimis ordinibus religioſis exemplum ſumere voluerunt, quibus cum Chriſto dicam fore melius vt ſuſpenderentur molæ aſinariæ in colla eorum, vt non ſcandalizarent puſillos iſtos. Præterea Principis ſui naturalis libertatem defendere, qui fouet & conſeruat populo pacem, libertatem, religionem, eſt de iure naturæ, hoc eſt diuino, & Eccleſiaſtica decreta ſunt de iure poſitiuo, quod illi cedere debet, multóque magis quando conſtat de nullitate : vnde quidam hallucinantur exiſtimantes hanc controuerſiam eſſe de fide, cùm ſit duntaxat de maioribus, & ſi quid ſit in ſacris literis expreſſum, quod quidem rem de fide conſtitueret, eſt Sereniſſimæ Reipubl. ſententia, quæ expreſſè à D. Paulo docetur: Itaque, mi Domine, perge modò in celebrando, communicando, iiſque omnibus faciendis, quæ in Eccleſia veſtra ante dictarum Cēſurarũ promulgationem fiebant, nō ſolùm quia te ſic ſtatuiſſe ſcribis, ſed vt ſcandalum vites, tam quia [ſententia nulla, minimè eſt obſeruanda cùm conſtat de nullitate,] quàm vt te à tuo capite, Principe videlicet non ſepares, in iuriſdictionis controuerſiis abſque vlla ratione, quinetiam exiſtimo ob eandem cauſam, eum qui die ſaltem feſto Miſſæ non interrerit, peccaturum: nam relinquet eam ſine legitima vlla cauſa, cùm ſententia nulla ſit, & Miſſa vbique celebretur. Noli agnoſcere timo-

re timo-

re timorem, vbi timor non eſt: noli trepidare vbi non eſt timor: ne committe vt dicatur te Principi tuo ac Sereniſſimæ Reipublicæ, fidem non ſemper ſeruaſſe, [filij matris meæ pugnauerunt contra me:] ſed enitere vt apoſtolico præcepto pareas, [Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.] Hæc dico non quòd de conſtantia tua dubitem, cùm certò ſciam te, non minùs aliis omnibus huiuſce Ciuitatis, vitæ pro tuo Principe exponendæ paratiſſimum eſſe: verùm, vt ipſius cauſæ æquitas, quæ tibi eſt manifeſta, multò magis hoc meo reſponſo tibi innoteſcat. Tandem ſcias velim Dominos Venetos quamuis ſub capitali pœna iuſſerint vt Religioſi omnes apertas habeant Eccleſias, &, vt anteà, in celebratione pergant, hoc non feciſſe veritos ne qui ſunt bene affecti, verámque doctrinam ſequuntur, qui ſunt ferè omnes, ſecus eſſent facturi quàm fecerint, pergentes in celebratione, diuinorúmque omnium miniſteriorum exercitatione: verùm ne quis iſthæc vano quodam metu deſereret in ea ciuitate quæ ſemper Catholica fuit, & nunc ſi aliàs vnquam, ſe talem profitetur: Ea propter ferre non vult, vt in pietatis exercitiis vlla mutatio appareat, vel vt eorundem intermiſſio cuipiam ſeſe præcipitandi anſam præbeat, cui malo pro Eccleſiæ conſeruatione Princeps omnibus modis de iure diuino mederi tenetur. Multas alias authoritates, & rationes in hoc tractatu pro me adducere potuiſſem, ſed propter accelerationem quam requiris, & ſtudio breuitatis, eas omitto, amplã huius materiæ tractationẽ mihi reſeruans, libro peculiari quem latinè ſtatim in lucem

mittam, de ſuprema Principis ſecularis authoritate. Interim moneo vt ſolidiſſimi Doctoris Nauarri doctrinam legas, qui in omnibus iis quæ ſuperiùs dicta ſunt, pro nobis facit: Speciatim verò cap. nouit de Iudicijs Notab. 3. & in Manuali cap. 27. de Cenſuris, atque ne pericliteris vt in tutiſſimum notabilis illius doctrinæ portũ te recipias, Eccleſiaſticos omnes ſi immunitate quapiam fruantur, ea non frui de iure diuino, ſed ex priuilegio Principum, qui pro ſuo arbitrio dicta priuilegia reuocare, minuere, augere poſſunt, quum id faciendi rationes nouæ adferuntur pro ſubditorum Dominiorum vtilitate, quo pacto Summus Pontifex facit in priuilegiis Indulgentiarum aliarúmque rerum à ſpirituali ipſius authoritate pendentium, quæ ipſe prout libet, modò tollit, modò minuit, modò auget: quia verò doctrina quam attuli, non mea eſt, ſed tota quantacunque eſt è Sanctorum & Catholicorum Doctorum libris hauſta, in eius confirmationem nil aliud in præſentiarum adducam. Dominus noſter te ſoletur.

FINIS.

RESP.

RESPONSIO

CARD. BELLARMINI

AD LIBELLVM

INSCRIPTVM

Reſponſio Doctoris Theologi, ad epiſtolam ſibi ſcriptam à Reuerendo amico ſuo, de Monitorio Cenſurarum à Sanctitate Pauli V. promulgatarum contra Dominos Venetos.

ROMÆ

Apud Gulielmum Facciottum M. D C VI.

Cum licentia Superiorum.

RESPONSIO CARD. BELLARMINI, AD EPISTOLAM SINE AVTHORIS NOMINE.

De monitorio Cenſurarum à Sanctitate Pauli V. promulgatarum contra Dominos Venetos.

NOVA iſthæc libertas edendi Venetiis libros, ſine nomine, ſine ſuperioris Eccleſiaſtici licentia, nec tempore nec Typographiæ loco expreſſis, manifeſtum eſt indicium, inobedientiam cum euidenti fidei periculo, indies magis magíſque creſcere. Non enim aliam ob cauſam ſacrum generale Concilium Tridentinum ſeſſ.4.ſub pœna excommunicationis ſtatuit, ne libri ſacris de rebus imprimantur, ſine nomine Authoris, ſine ordinarij approbatione, eáque in frontiſpicio libri appoſita, quam vt aditus hæreſibus occludatur, quæ eiuſcemodi libris rectiſſimo itinere in ciuitates & prouincias introduci ſolent. Quiſquis itaque hoc tempore aſpicit Venetias flocci pendere authoritatem ſacri Concilij, excommunicationem ab eo comminatam, & præſens periculum hæreſeos, augeri porro indies libros erroribus pleniſſi-

mos, ſine nomine authorum, ſine vlla approbatione, quid inferat aliud, quam ciuitatem illam peſte & lue hæretica (quæ non ſolum animæ, cui fundamentum ſalutis aufert pernicioſa, ſed etiam totius ſtatus perturbatio, & ruina eſt) ſenſim breuíque tempore infectum iri. Sed quia hac rerum conditione aliud remedium & efficacius adferre non poſſum, illud quamquam exiguum non intermittam, & refutabo eius farinæ libellos, qui ad manus meas peruenerint, ſperans alios & me doctiores idipſum facturos, & quò non peruenerit vna reſponſio, perueniet alia, & eodem ſanctæ charitatis ſpiritu fratribus noſtris opitulari conabimur, orantes omnipotentem Deum, vt oculis miſericordiæ aſpicere velit eos, qui ſe iuſto eius iudicio in ſenſum reprobum datos oſtendunt.

Incidit in manus meas libellus cuiuſdam, qui ſe Theologiæ Doctorem nominat, & reſpondet, aut ſaltem fingit ſe reſpondere amico cuidam ſacerdoti, à quo interrogatus fuerat, an cenſuræ à Paulo V. aduerſus Venetos publicatæ validæ an inualidę ſint, & vtrum non obſtantibus iſtis, liceat ſibi in ſua Eccleſia celebrare diuina myſteria, adminiſtrare ſacramenta, prout antea ſolitus fuerat. Reſpondet vero, ſupradictas cenſuras & nullas & inualidas eſſe: ac proinde ſacerdotes Venetos, & alios eiuſdem dominij, poſſe vt antea ſolebant, illæsâ conſcientiâ operari ſacris, diuina officia peragere, adminiſtrare ſacramenta. Quo vero procedat Theologicè (vt ipſe infit) reuocat totá hanc materiam ad octo propoſitiones. Has ſingulas fideliter proponemus, & ad ſingulas ſubiungemus reſponſionem, occaſionem daturi hominibus iudicio præditis, vt conſiderent,

derent, Theologus ne ſit Doctor iſte, an potius ſeductor: & vt conqueri nequeat, à nobis aliquid prætermiſſum eſſe, verba quoque ipſius ſubiungemus.

PRIMA PROPOSITIO AVTHORIS.

[Poteſtas quam habent Principes ſæculares, immo & ipſe Pontifex tanquam Princeps temporalis ſtatuum & prouinciarum, quas poſſidet, eſt ipſis à Deo immediatè abſque vlla exceptione conceſſa. Pro intelligentia & explicatione huius propoſitionis aduertendum eſt, de iure gentium dominium & ſeruitutem, imperium Principis, & obedientiam ſubditi, quattuor modis introducta eſſe, ſcilicet electione, hęreditate, donatione, aut iure belli; ideoque omnes ij Principes, qui vno quattuor horum modorum ad thronū principatus euecti ſunt, aut eum hoc tempore poſſident, legitimi & iuſti ſunt domini. Tales dico qui poteſtatem habent à Deo imperandi, condendi leges, exigendi tributa, iudicandi, plectendi & caſtigandi ſubditos abſque vlla exceptione.]

RESPONSIO.

Prima hæc propoſitio euidentiſſimos duos errores continet. Primus eſt in verbo immediatè; ſecundus in alio, ſine exceptione. Ordiar à ſecundo, quia manifeſtior eſt. Si verbum hoc ſine exceptione intelligatur, ſine exceptione ſubditorum erronea eſt. In clericos enim, Principes ſæculares poteſtatem non habent, cum ad minus iure humano ſint exempti, ſententia omnium authorum Catholicorum, licet etiam exempti ſint iure diuino, vt inferius dicemus. Si autem intelligatur ſine exceptione poteſtatis, propoſitio hæretica eſt, nulla enim poteſtas

eſt Principis vllius Chriſtiani, quæ poteſtati vicarij Chriſti aliquo modo ſubiecta non ſit, cùm vicarius Chriſti ſit paſtor vniuerſalis, caput omnium Chriſtianorum, ſiue Principes ij, ſiue priuati ſint. Si intelligatur ſine exceptione rerum & negotiorum, propoſitio ſimiliter hæretica eſt, ſecundum enim ſacras ſcripturas, ſacrorum Conciliorum decreta, res ſpirituales laicis ſubiectæ non ſunt, ſed ſolum Eccleſiaſticis conueniunt hac in re omnes Doctores, tam Theologi quam Canoniſtæ. Adeo nunc alium errorem in verbo immediate. Hoc verbum bifariam intelligo: ſemel quod Principes, in quantū ſuperiores habeant poteſtatem imperandi ſuis ſubditis, h.e. quod imperium obedientiæ ſit immediatè à Deo, & hoc verum eſt, & à nemine negatur, neque enim ſuperior erit, ſi imperare nequit, nec ſubditus, ſi ad obſequendum & obediendum non ſit obligatus: hoc Deus in ſcripturis ſacris iubet, hoc lumen naturale dictat, vt quilibet ſubditus obediat ſuo ſuperiori. Secundo quòd Principes ſæculares habeant à Deo immediatè pro ſubditis, hos aut illos populos v.g. Rex Chriſtianiſſimus Gallos, Rex Catholicus Hiſpanos, Reſpublica Veneta, Venetos, & conſequenter poteſtatem habeant in hos populos. Et hoc falſum eſt manifeſtè, & ipſe huius libelli author ex propriis ſuis verbis hoc ipſum fateri cogitur. Declarans enim, ſuam propoſitionem ait, quatuor modis acquiri principatus, electione, hæreditate, donatione, & iure belli, hoc eſt titulo iuſti belli. Certum eſt autem hos titulos non eſſe diuinos, ſed humanos. qui igitur hiſce modis acquirit dominium & poteſtatem in hos vel illos populos, non habet poteſtatē à Deo immediatè, ſed interuenien-

te

te electione,vt Imperator aut Rex Poloniæ,aut ſucceſſione hæreditaria,vt Hiſpaniæ,& Franciç Reges, aut donatione,vt ſunt Feudatarij Principes,aut bello iuſto,vt olim Godefridus & alij Domini terram ſanctam acquiſierunt.Ac proinde qui à Rege Chriſtianiſſimo ſciſcitaretur: quo iure Franciam poſſideat,non reſpondebit iure diuino, ſed titulo ſucceſſionis hæreditariæ, & qui Ducem Venetum rogaret,quo titulo ſuum principatum obtineat,non reſpondebit iure diuino, ſed titulo electionis humanæ. Fit hinc conſpicua differentia inter principatũ Eccleſiaſticum Papæ, & principatum Principum ſæcularium & politicorum: quod Papa non ſolum titulo communi à Deo ordinato,vt ſuperiores ſubditis ſuis imperent, præcipere & imperare poſſit, ſed à Deo illi immediatè conceſſum ſit, omnes Chriſtianos pro ſubditis habere:& licet Papa à Cardinalibus eligatur, nihilominus ab ipſis poteſtatem non habet, ſed à Deo,qui Petro, & in ipſius perſona, omnibus ſucceſſoribus eius dixit: Paſce oues meas.Quod quidem euidentiſſima ratione demonſtrari poteſt. Papa enim à primatu apoſtolico, nullam prouinciam, nullam ciuitatem, aut perſonam alienare poteſt,nec fieri poteſt,vt verus ſit Papa, & non ſit ſuperior omnium Chriſtianorum, & hoc ideo quia titulus poteſtatis ſuæ diuinus eſt. Reges autem & Principes poſſunt ſuos perdere, aut omnes, aut partem eorum, alienare ciuitates aut prouincias,alterive Principi ſubiicere, atque ita amittere poteſtatem, in has aut illas ciuitates & prouincias,quia titulus poteſtatis eorũ non eſt diuinus,ſed humanus.Similiter nemo poteſt pontificiam poteſtatem imminuere, ſiue illud Collegium Cardina-

lium, ſiue Concilium generale, ſiue ipſe Pontifex ſit,cum enim poteſtas papalis à Deo originem trahat, immediatè arbitrio creaturarum ſubiecta non eſt. Contrarium videre eſt in Principatibus ſæcularibus, ſæpius diminui eorum poteſtatem, nonnunquam à populis, nonnunquam à Principibus ſuperioribus,atque hunc in modum principatus monarchici,Reſpublicę liberæ fiunt;& è contrario Reſpublicæ liberæ principatus monarchici; & hoc ſolum quod poteſtas horum non à Deo immediatè,ſed ab hominibus deſcendat.Et ſi Principes ſæculares non habent poteſtatē à Deo immediatè in laicos,multo minus in clericos habebunt, qui vt mox dicemus iure humano & diuino exempti ſunt. Vera igitur propoſitio hæc erit. Principes ſæculares non habēt poteſtatem à Deo immediatè in laicos ſibi ſubditos, ſed per viam iuſti tituli humani, in clericos autem in eorum diſtrictibus habitantes,nec diuinam, nec humanam habent.

AVTHOR.

[Hæc doctrina non eſt mea,ſed S.Apoſtoli Pauli,in epiſtola ad Romanos c.13.imo ipſiuſmet Spiritus ſancti, qui per os eius locutus eſt, & penna eius ſcripſit.Verba autem Apoſtoli hæc ſunt: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,non eſt enim poteſtas niſi à Deo.In expoſitione huius loci S.Chryſoſtomus ſic loquitur: Fecit hoc Apoſtolus, vt oſtendat Chriſtum, leges ſuas non ad hoc induxiſſe, vt politicas euertat, ſed vt ad melius inſtituat, oſtendens quod iſtæ omnibus imperentur, & Monachis, & Sacerdotibus non ſolum ſæcularibus, id quod ſtatim in initio declarat: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus

ſtolus ſit, etiamſi Euangeliſta, etiamſi Propheta, ſiue tandem quiſquis fueris; nec tamen pietatem ſubuertit hæc ſubiectio.]

RESPONSIO.

Authoritas S. Pauli c. 13. epiſt. ad Romanos loquitur de poteſtate vniuerſali, & docet diuinum ordinem eſſe, vt ſubditus obediat ſuperiori, non autem docet Principes ſeculares iure diuino immediatè ſubiectas habere, has vel illas perſonas. Et veriſſimum eſt, omnem poteſtatem à Deo eſſe, ſed quædam eſt immediate à Deo, qualis erat Moyſis & Aaronis, & hoc tempore Papę: quędam vero mediante ſucceſſione, aut electione aut alio titulo humano. Ad teſtimonium Sancti Ioannis Chryſoſtomi, ſupra Paulum reſpondeo: Sanctum Chryſoſtomum non dicere, Sacerdotes & Monachos, ob authoritatem S. Pauli obligatos eſſe ad obediendum Principibus ſæcularibus, ſed ſuis ſuperioribus, qualeſcunque ij ſint. Verum tamen eſt Eccleſiaſticos obſeruare debere leges illas ciuiles, quæ contrariæ non ſunt Eccleſiaſticis, & ob commercia laicis & clericis communia, neceſſariæ ſunt; ſic enim ſcribit Papa Nicolaus ad Imperatorem, in negotiis rerum ſæcularium, ſiue temporalium Eccleſia vtitur legibus Imperialibus, nihilominus ad hanc obſeruantiam legum Principum ſæculariũ Eccleſiaſtici obligati ſunt tantum, quantum ad directionem, non quantũ ad vim, ſcilicet vi rationis non legis. Exempli gratia. Si Princeps ſæcularis pretium frumentis ſtatuit, obligati ſunt Eccleſiaſtici illud, pretio à Principe conſtituto, venundare, & emere, non quod hac lege teneantur, ſed quia obligati ſunt ad emendum & vendendum illud iuſto pretio, & in hoc loco

ratio dictat, illud eſſe pretium iuſtum, quòd à Principe eſt conſtitutum. Si autem caſu Eccleſiaſticus aliquis eam legem non obſeruet, ideo non eſt vocandus ad iudicium, nec puniendus à Principe laico, cuius ſubditus non eſt, ſed ſolum à ſuperiore Eccleſiaſtico.

AVTHOR.

[Vnde in antiqua lege, licet Leuitæ habuerint Sacerdotem ſummum, id eſt, Aaronem, nihilominus in negotiis & iudiciis temporalibus ſubiiciebantur, Moyſi Principi temporali eorum, vt bene probat Couarruuias.]

RESPONSIO.

Moyſes erat ſummus Sacerdos vna cum Aarone, & per extraordinariam diſpoſitionem maior erat ipſo Aarone. Et quamuis Couarruuias ſit contrarius, plus ſacræ ſcripturæ, & Sanctis Patribus ea in re credere oportet, quam Couarruuiæ, qui in materia præſertim iuriſdictionis nimis partialis viſus eſt. Pſalm. 98. dicitur aperte; Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius, id eſt, Moyſes & Aaron erant Sacerdotes Dei. Exodi c. 40. offert Moyſes Deo incenſum, quod principale erat officium ſummi Sacerdotis; Leuitici c. 8. conſecrat Moyſes, vt ſummus Sacerdos, fratrem ſuum Aaronem, filióſque eius Sacerdotes conſecrat, ſacrificiúmque in eorum conſecratione offert. Vnde doctiſſimus Philo Hebræus de vita Moyſis l. 3. ſub finem ait, Moyſen & Pontificem, & Regem; & Prophetam fuiſſe. S. Gregorius Nazianzen. oratione habita coram Gregorio Nyſſeno, ait; Moyſes Sacerdos erat Sacerdotum, & Princeps Principum. Et S. Auguſtinus q. 23. in Leuiticum, dicit ambos, Moyſen & Aaronem Sacerdotes fuiſſe.

Idipſum

Idipſum repetit tractatu in Pſalm.98. Ita etiam S. Hieronymus l.1. contra Iouinianum, & ante hos omnes Dionyſius Areopagita c.5. de Ierarchia Eccl. Atque ita cùm Moyſes ſummus Sacerdos fuerit, mirũ non eſt Leuitas,qui ea ætate Eccleſiaſtici erãt, ei tanquam proprio iudici ac capiti fuiſſe ſubiectos.

AVTHOR.

[Et in primitiua Eccleſia non fuit diſtinctio fori. Fuit enim Iuſtinianus Imperator primus, qui ad preces Epiſcopi Conſtantinopolitani Eccleſiaſticis conceſſit, vt in cauſis ciuilibus à ſuis Prælatis iudicari poſſint, ipſo tamen non impedito, quo in caſu & in delictis criminalibus permittit,vt Eccleſiaſtici ſubiecti ſint Principi, & miniſtris Principis temporalis,vt videre eſt in conſtitutione nouella Iuſtiniani Imperatoris.]

RESPONSIO.

Omnino contrarium reperio in ſcriptura & ſacris Conciliis:tempore enim primitiuæ Eccleſiæ S. Paulus demõſtrat quod Epiſcopus habeat ſuum tribunal, & iudicet ſuos ſubditos Eccleſiaſticos, vt ex verbis c.5.primæ epiſt.ad Timoth.Epiſc. Epheſinũ apparet: aduerſus Presbyteros accuſationem, noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus. Et in Cõcilio generali Calcedonenſi,quod antequã natus fuit Iuſtinianus Imperator, celebratũ eſt canone 9. ita habetur.Si clericus aduerſus Clericum habet negotium non relinquat Epiſcopum ſuum, & ad ſæcularia iudicia non recurrat. Qua fronte ergo dicit nouus hic Theologus in primitiua Eccleſia fori diſtinctionẽ nõ fuiſſe, & Iuſtinianũ Imp.primũ per miſiſſe Eccleſiaſticis, vt à ſuis iudicari poſſint prælatis? Neq; ſolũ Calcedonenſe Cõcilium, ſed etiam

Agatheſe can.32.idipſum docet: Clericus ne quemquam præſumat, apud ſæcularem Iudicem Epiſcopo non permittente pulſare,& ſi pulſatus fuerit, nō reſpondeat,nec audeat criminale negotium in iudicio ſæculari proponere,& concilium 3.Carthaginēſe, cētum triginta annis temporibus Iuſtiniani Imperatoris antiquius,canone 4.Item placuit,quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ſeu Clericorum, ſi derelicto Eccleſiaſtico iudicio publicis iudiciis purgari noluerit,etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat,& hoc in criminali actione: in ciuili vero perdat quod euicit, &c. Concilium Mileuitanum ſimiliter antiquiſſimum, vti Carthaginenſe quoque can.19. dicit; placuit vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorū petierit, honore proprio priuetur.Ecce quam falſum ſit,à tempore primum Iuſtiniani factam eſſe fori diſtinctionem. Verum quia Iuſtinianus magnam ſibi vſurpabat authoritatem in iudicandis negotiis Eccleſiaſticorum, ideo Menna Patriarcha Conſtantinopolitanus petiit ab Imperatore vt ſaltem Epiſcopis permitteret cognitionem cauſarum ciuilium, quod Imperator indulſit. Et verum eſſe Iuſtinianum nimiam ſibi vſurpaſſe authoritatem clarè apparet, quia non ſolum auſus eſt clericis leges præſcribere in negotiis temporalibus,ſed etiam in ſpiritualibus, vt legenti titulum de ſanctiſſimis Epiſcopis, & alium de ſacroſanctis Eccleſiis clarum fiet. Et multo dilucidius hac de re nomocanon Photij; cum tamen omnes Theologi, & Canoniſtæ,quin & ipſe Couarruuias,doceant,iudicia negotiorum ſpiritualium, iure diuino ſolum ad Epiſcopos & Pontificem Summum tanquam

ſupre-

ſupremum Iudicem pertinere. Vnde non ſolùm ante, ſed etiam poſt Iuſtiniani tempora, prohibent Concilia clericis, ne ſe à iudicibus ſæcularibus iudicari permittant,vt videre eſt in Concilio Toletano tertio,canone 13.& aliis. Atque vt quilibet cognoſcat, quam exiguum & fragile fundamentum, tum in ea conſtitutione nouella 83. (non 85. vt male author citat)ſtruatur, attendendum eſt, Imperatorem in ea ipſa conſtitutione dicere, iudicem ſecularem, non poſſe punire Eccleſiaſticum, niſi prius ab Epiſcopo dignitate clericali ſpolietur; & vtitur hiſce verbis: prius hunc ſpoliari à Deo amabili Epiſcopo ſacerdotali dignitate conuenit,& ita ſub legum fieri manu. Si igitur Eccleſiaſticus non eſt ſub manu legum, id eſt, ſubiectus non eſt legibus ſæcularibus, niſi prius ab Epiſcopo degradetur,quomodo igitur à Iudice ſæculari iudicari poteſt, quamdiu clericalem dignitatem retinet. In ea etiam conſtitutione, ait is ipſe Imperator. Leges imperiales non dedignari ſacros canones.Cum igitur ſacri canones decreuerint,Eccleſiaſticos iudicandos eſſe à ſuis ſuperioribus, quomodo poterit obſeruari ea conſtitutio,quæ contrarium determinat?Adiungo demum, tam iniquam iudicatam fuiſſe hanc Iuſtiniani determinationem, vt Fridericus Imperator hanc & alias libertati Eccleſiaſticæ contrarias Iuſtiniani conſtitutiones reuocarit. Ita enim legimus in prima eius conſtitutione. Sane infidelium quorundam & iniuſtorum adeo abundauit iniquitas, vt non dubitent contra Apoſtolicam diſciplinam,& ſacros Canones ſtatuta ſua confingere contra Eccleſiaſticas perſonas,& Eccleſiaſticam libertatem. Et paulo inferius:Item ſtatuimus, vt nullus Eccleſiaſticam per-

ſonam in criminali vel ciuili quæſtione; trahere ad judicium ſæculare præſumat contra conſtitutiones imperiales & canonicas ſanctiones. Quod ſi fecerit actor à iure ſuo cadat, & iudicatum non teneat, & iudex ſit tunc iudicandi poteſtate priuatus. Et multo ante Fridericum Imperatorem Baſilius annullat legem quandam Nicephori Imperatoris contra libertatem Eccleſiaſticam, dicens ex ea lege infinitas calamitates Reipublicæ contigiſſe. Legatur Balſamon in Nomocanonem Photij, vbi primum Canonem Concilij primi & ſecundi Conſtantinopolitani declarat, & hæc ad authoritatem Iuſtiniani dicta ſufficiant.

AVTHOR.

[Nec ideo quia Conſtantinus Magnus Imperator, cum ei proceſſus nonnulli oblati fuiſſent, aduerſus perſonas Eccleſiaſticas, hæc verba dixerit, *vos à nemine iudicari poteſtis, quia ad Dei iudicium reſeruamini*, vt ſcribit Gratian. cap. Futuram. 12. quæſt. 1. inde colligi debet, Eccleſiaſticos Principi ſeculari ſubiectos non eſſe. Fuit enim hic exceſſus aliquis Imperatoris, vt ſe erga Eccleſiam, pium & benignũ oſtenderet, non quod reipſa ita ſentiret. Si enim verum eſſet, quod Cõſtantinus dixit, nec à ſuis Prælatis Eccleſiaſtici iudicari poſſent, dicendo ad Dei judicium reſeruamini, qui error grauiſſimus eſſet.]

RESPONSIO.

Eximiam ſanè laudem Conſtantino Imperatori hic author attribuit, vt enim benignum & pium faciat, mendacem facit. Sed vt appareat quam hæc verba Cõſtantini pio Principe digna ſint, adſcribemus de verbo ad verbum id, quod ſcribit Ruffinus l. 10.

l.10. hiſtor. Eccleſiaſtic.c.2. Dixit Conſtantinus ad Epiſcopos, Deus vos conſtituit Sacerdotes, & dedit vobis poteſtatem iudicandi nos, vos autem ab hominibus iudicari nō poteſtis, ideo inter vos exſpectate iudicium ſolius Dei, & quæſtiones veſtras reſeruate ad illud examen: vos enim nobis tanquam Dij dati eſtis, & non eſt conueniens, vt homo iudicet Deos, ſed ſolus ille de quo ſcriptum eſt. Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Vbi notandum eſt, quod quemadmodum Principes ſæculares Dij dicuntur reſpectu populi, vt paulò inferius videbimus ita Sacerdotes Deos eſſe reſpectu Laicorum etiam Principum, vt ait hic Conſtantinus, & ex hoc fundamento optime colligit Imperator, Sacerdotes poſſe iudicare, Imperatores autem non poſſe iudicare Sacerdotes. Si Imperator mundi, fatetur, ſe Sacerdotes pro Diis venerari, ſeque eos iudicare non poſſe, iudicari autem ab illis debere, quanto magis hoc verbis & facto fateri deberet Dux Venetus? Nec vero ex hoc ſequitur Sacerdotes non poſſe iudicari à ſuis Prælatis, ſed potius contrarium. Superior enim ſemper Dei nomine & authoritate iudicat, à quo habet poteſtatem, immo Deus ipſe mediantibus miniſtris iudicat. Atque ita dum Epiſcopus iudicat Eccleſiaſticum inferiorem, aut Papa Epiſcopum, Deus eſt qui per miniſtrum ſuum iudicat. Ad hunc modum Cōſtantinus ait, Epiſcopos, quia Dij ſunt reſpectu laicorum, nō poſſe iudicari à laicis, qui homines ſunt, & non Dij, reſpectu Sacerdotum.

Verum quod Deus ſolus iudicare debeat Epiſcopos, illud intelligitur mediantibus eis Vicariis. Quemadmodū etiam Principes ſæculares reſpectu

hominum priuatorum, non poſſunt iudicari ab hominibus priuatis, ſed ſolum à Deo mediantibus ſuis Vicariis, quales ſunt Sacerdotes, & ideo Deus dicitur reſpectu Principis ſæcularis, atque ita Moyſi dixit Deus: Feci te Deum Pharaonis, vt ipſum iudices & caſtiges. Et quod veriſſimè Conſtantinus crediderit Papam Epiſcopos iudicare poſſe, apparet in negotio Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis à Donatiſtis accuſati, quem Conſtantinus non fuit auſus iudicare, ſed remiſit eum Romam ad Papam Melchiadem, & licet ſub finem ipſe etiam Conſtantinus Imperator eandem cauſam iudicauerit, fecit hoc tantum ad confundendum Donatiſtas, & animo petendi veniam ab Epiſcopis, quod neceſſitate coactus in eam cauſam ſe immiſcuerit, vt ſcribit Optatus Mileuitanus l.1. contra Parmenianum, & S. Auguſtinus epiſt. 48. & epiſt. 162. & aliis.

AVTHOR.

[Sunt igitur omnes, Eccleſiaſtici, & Sæculares, iure diuino ſubiecti Principibus ſæcularibus: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Ratio autem eſt, quemadmodum enim nemo exceptus eſt ab obedientia Deo debita, ita nemo quoque exceptus eſt ab obedientia debita Principi, ſubiungit enim Apoſtolus, Omnis poteſtas à Deo eſt. Vnde Reges & Principes ſæculares à Dauide Propheta Dij nominantur: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Vt enim explicat Ioſaphat Rex Paralip. 2. capit. 19. Iudices ſæculares non hominum ſed Dei iudicia exercent. Hunc ipſum locum de Principibus ſæcularibus loquendo citat Chriſtus Ioannis 10. & con-

firmat

firmat illis conuenire nomen Dei: Si illos dixi Deos,ad quos ſermo Dei factus eſt, vt doctè notat Cardinalis Ballarminus c.3.de laicis.]

RESPONSIO.

Si contrarium concluderetur; nempe non ſunt igitur Eccleſiaſtici, nec Sæculares de iure diuino ſubiecti Principi ſæculari, ſed ſæculares ſolum de iure humano, Eccleſiaſtici vero nullo, optime ex præmiſſis deduceretur hæc concluſio, demonſtrauimus enim,Principes ſuperiores euaſiſſe,huius,vel illius populi iure humano non diuino.Et ſi hoc verum non eſt, oſtendat aduerſarius locum aliquem ſcripturæ,ex quo colligi queat, Venetos, Paduanæ,Veronenſis & aliarum ſimilium ciuitatum Dominos eſſe,& ſi de regno Cyprilis agitaretur,quem titulum allegabunt? fortè textum aliquem ſcripturæ?certum eſt eos non allegaturos alium,quam vel titulum donationis,vel antiquæ poſſeſſionis,aut ſimiles res humanas.Et ſi nequeunt probare titulum in laicos Paduanos & Cyprum eſſe iuris diuini, quando monſtrabunt illum in Eccleſiaſticos ſibi competere.Verum vlterius pergo & aſſero,de iure diuino omnes laicos etiam Principes ſubiectos eſſe ſacerdotibus,& ex ipſo iure diuino,ſacerdotes non eſſe ſubiectos Principibus laicis: vt paulo ſuperius confeſſus eſt Conſtantinus Imperator.Quia ſecundum ſcripturam ſacram,quæ eſt ius diuinum poſitiuum,ſacerdotes ſunt Paſtores, laici autem etiam Principes oues ſunt:ſacerdotes patres ſunt, laici autem filij:& ſecundum lumen naturale, quod eſt ius diuinum naturale,ouicula ſubiecta eſt paſtori, paſtor autem non eſt ſubiectus ouiculæ: filius ſubie-

ctus eſt patri, pater autem non eſt ſubiectus filio. Et elegantiſſima eſt comparatio, quam inſtituit inter poteſtatem Eccleſiaſticam & ſæcularem Gregorius Nazianzenus, oratione ad populum timore perculſum, & Principem iraſcentem, quam ſequuntur communiter ſacri Theologi, & talis eſt. Quod quemadmodum in homine ratio & caro eſt, quę ſimul vnitæ componunt hominem, ita in ſancta Eccleſia eſt poteſtas Eccleſiaſtica ſiue ſpiritualis, & poteſtas ſæcularis ſiue temporalis, ambæ componunt corpus myſticum Eccleſiæ. Et quemadmodum in homine ratio ſuperior eſt carne, caro autem ſuperior ratione non eſt, niſi quando ei rebellis eſt, ratio manu ducit & regit carnem, eidemque imperat, quandoque eandem ieiuniis & vigiliis domat & caſtigat: caro autem nec ducit, nec regit, nec imperat, nec caſtigat rationem: ita poteſtas ſpiritualis ſuperior eſt ſæculari, atque ideo eam poteſt ac debet dirigere, regere, eidémque imperare, & pœnas infligere, dum malè operatur. Poteſtas autem ſęcularis ſpirituali ſuperior non eſt, neque eam dirigere nec regere poteſt, nihil eidem præſcribere, nihil pœnæ infligere, niſi de facto per rebellionem & tyrannidem, vt quandoque etiam Principes gentiles & hæretici fecerunt. Ad authoritatem S. Pauli reſpondimus ſupra, & verum eſt, omnem poteſtatem à Deo eſſe, ſed immediatè, aut mediatè, & quemadmodum nemo exceptus eſt ab obedientia debita Deo, ita nemo exceptus eſt ab obedientia debita Principi, quando ſubditus eſt eius Principis, & in rebus in quibus ſubditus eſt. Verum eſt etiam Principem in quantum Princeps eſt, locum Dei tenere, ac proinde illi ceu Deo obediendum eſſe in

rebus ad ſuam poteſtatem pertinentibus, vt ait S. Paulus in Epiſt.ad Epheſ.cap.vlt.Serui obedite Dominis carnalibus ſicut Chriſto. Et Cardinalis Bellarminus,quando ſcripſit,Principes ſæculares vocare Deos in ſcriptura,fecit id ad confundendum hęreticos Anabaptiſtas, qui docent,in Eccleſia Dei non admittendos eſſe Principes ſæculares, nec tribunalia,nec iudicia,neque ſimiles ſtatus politicos. Et ipſe is author,quemadmodum dixit, Principes ſæculares reſpectu ſuorum ſubditorum Deos eſſe, ita quoque dixit, Sacerdotes Deos eſſe reſpectu Principum ſæcularium. Videatur caput 7.lib.1. de ſummo Pontifice,& alia ſimilia loca:atque ideo ſi author voluiſſet imitari Cardinalem Bellarminum, debuiſſet vti doctrina ſua aduerſus hæreticos,& nō contra Eccleſiam,ſugendo venenum, ceu araneus ex floſculo,vnde apes mel exſugunt.

AVTHOR.

[Pergit Apoſtolus,& dicit:Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.Ecce authoritatem, quam habent Principes ſæculares,condendi leges in quacumque materia, quæ obligent omnes perſonas. Qua in re conformiter loquitur prouerbiis Salomonis,vbi Deus ſic ait:Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Hinc factum eſt, vt Chriſtianiſſimi Imperatores,Iuſtinianus & Theodoſius in codice multas leges,ad Eccleſiaſticos,bona & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes ſtatuerint,ſub titulis,de epiſcopis & clericis, de ſacroſanctis Eccleſiis. Hiſce legibus iubet Apoſtolus obediendum eſſe,non reſiſtendum,qui e-

nim talibus reſiſtent, ipſi ſibi damnationem acquirunt, id eſt, committunt peccatum mortale, in quo ſi moriuntur, æternis barathri flammis aſſcribentur, &c.

RESPONSIO.

Mirabilis eſt logica huius hominis, qui ex non locis concluſiones deducit. Et vbi vnquam Apoſtolus inquit, Principes ſæculares poſſe ſtatuere leges in quacumque materia, & quæ ſingulas perſonas obligent. Poterunt igitur Principes ſeculares ſtatuere leges, de modo dicendi Miſſam, & officium diuinum, obligare ſacerdotes, vt vxores ducant, & inuicem Breuiarij arma portent, & erunt omnes obligati ad obediendum, cum habeant poteſtatem ſtatuendi leges in qualibet materia, quæ obligent ſingulas perſonas. Et quando Principes ſæculares præcipiebant, vt omnes negarent Chriſtum, ſacrificarent Idolis, obligati erant Chriſtiani ſub pœna peccati mortalis obedire, dum enim Paulus præcipiebat, obediendum eſſe Principibus, Principes omnes infideles erant, & iuxta doctrinam noui huius Interpretis, ex præcepto Pauli deducitur, Principes ſæculares habere poteſtatem condendi leges in qualibet materia, quæ omnes obligent. Nonne aduertis quot errores ſubpullulent ex verbis tuis? & nihilominus adiungis, conforme hoc eſſe prouerbiis Salamonis non aduertens Salamonem contrarium planè aſſerere. Quia dum introducit ſapientiam diuinam loquentem. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Docet manifeſtè, ſolum leges iuſtas à ſapientia diuina deriuari, alias verò, quas ſæpius Principes in rebus ad ſe

non

non pertinentibus, aut in perſonas non ſubiectas, aut alio titulo iniuſtas ſtatuunt, à ſemetipſis facere, nec à Deo approbari. Ad hoc quod adiungit Iuſtinianum ac Theodoſium ſtatuiſſe leges ad perſonas Eccleſiaſticas, bona & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes, reſponſum eſt, eos hac in re exceſſiſſe limites ſuæ poteſtatis. Et quando addis Apoſtolum velle huic legi obediendum eſſe, euidentiſſimam & grauiſſimam falſitatem dicis. Loquitur enim Apoſtolus vniuerſaliter, vt ſubditi obediant ſuperioribus, & quando paulo inferius adducit exemplum Principum ſæcularium, loquitur de Principibus, qui tunc infideles erant, atque adeo intelligi nõ poteſt, Apoſtolũ velle Chriſtianos obedire eiuſcemodi Principibus, ſi loquamur de legibus ad cultũ diuinum, & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentibus, ſed ſolum in legibus ciuilibus, & de rebus temporalibus, quibus legibus oportebat Chriſtianos obedire, vel ad euitandum ſcandalum, vel ad ſeruandam pacem & vnionem, ne videlicet gentiles ſibi perſuaderent legem Chriſtianam gubernationi politicæ contrariam eſſe, &c.

AVTHOR.

[Vlterius præcipit Apoſtolus ob omnibus dandum eſſe tributum, qui enim Principi tributum dat, Deo dat, cui vectigal vectigal, cui tributum tributum. Sunt enim miniſtri Dei ad tributa. Quem locum explicãs Angelicus Doctor, S. Thomas Aquinas Magiſter omnium Theologorum, ſol vnicus ſcholæ Chriſtianæ, dicit, quod ſi clerici à tributo liberi ſunt, hoc eos non habere iure diuino, vt quiſ-

quiſpiam ſibi perſuadere poſſet, ſed ex priuilegio Principum, & loquitur de Principibus ſecularibus. Demum, de authoritate Principis cum S. Paulo concludo: Non enim ſine cauſa gladium portat. Ecce authoritatem Principis ſæcularis, vt poſſit punire pœna ſanguinis. Quā quia Prælati nō habent à Deo, ideo poſtquam malefactores clericos degradarunt, & dignitatis clericalis inhabiles declararunt, vltra non pergunt, ſed extrema morte afficiendos ſæculari brachio tradunt. Et ne quiſpiam arbitrari poſſit, verba eius conſilium & non præceptū continere ad ſtabilienda & confirmanda hæc omnia, adiungit Apoſtolus. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, nō ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ita vt ex conſcientia quoque in rebus omnibus ſupra dictis à S. Apoſtolo inſtructi teneamur obedire Principibus ſæcularibus.

Responsio.

In his verbis primo notandum eſt, authorem pro placito & arbitrio ſuo ſcripturas effingere aut corrumpere. Nullibi enim in S. Paulo inuenitur ea ſententia: Sunt enim miniſtri Dei ad tributa, nec etiā altera, Dei enim miniſter eſt ad vindictam. Etſi bene eius vltimæ ſenſus adſit, nihilominus citanti ſcripturas licitum non eſt, eas mutare, aut alterare, ſi non eſt imperfectus ſenſus, vt eſt illius. Sunt enim miniſtri Dei ad tributa. S. Paulus enim non dicit Principes miniſtros Dei eſſe ad recipiendum tributum, ſed ad procurandum publicam quietem, ita enim S. Chryſoſtomus, & alij Sancti hæc verba exponunt: Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes.

uientes. Nec S. Thomas in quo author totam vim ſuam ponit, contrarium docet: ait enim tributum veluti ſtipendium eſſe, quod Principibus datur pro labore, quem habent in gubernandis populis: & certum eſt ſtipendium non dari Deo, atque ideo non ſunt Principes miniſtri Dei ad recipiendum tributa, ſed ad gubernandum populos. Vnde quando S. Thomas ait, hoc ipſum, id eſt, pro ipſo, non ſignificat pro Deo, ſed pro recipiendo tributo ſeruientes, vbi author deceptus eſt. Quantum ad illud, quod poſtmodum author citat S. Thomam, ad probãdum, Eccleſiaſticos priuilegiis Principum exemptos eſſe à tributo dando. Hoc ipſum verè dicit S. Thomas, & congruenter hiſtoriis, vt paulo inferius dicemus. Illud autem non dicit S. Thomas, quod ipſi author adfingit, eos iure diuino hoc priuilegium non habere, ſed potius contrarium, docet enim S. Thomas Principes ſuis priuilegiis exemiſſe Eccleſiaſticos à tributo, quia hoc æquitati naturali conſentaneum erat, volens dicere, in hoc Principes ius naturale, quod ſimiliter diuinum eſt, confirmaſſe. Quantum ad vltimum, quod hic author neget, Eccleſiam habere poteſtatem puniendi pœna mortis, neſcio ſimilia vbi legerit, niſi forte apud hæreticos VValdenſes, Huſſitas, Marſilium de Padua, & eiuſmodi farinæ homines, qui neutrum gladium Eccleſiam negabant habere. Verum eſt, Eccleſiam materiali gladio non vti, nec reos pœna mortis afficere, verum non ideo quod nequeat, ſed quia manſuetudini Eccleſiaſticæ conſentaneum nõ videtur, atque ideò eiuſcemodi delinquentes ad iuſtitiam ſæcularem remittit. Attende, ſi velis, San-

ctum Bernardum l. 8. de conſideratione ad Eugenium ſic loquentem. Vterque ergò Eccleſiæ & ſpiritualis ſcilicet gladius,& materialis, ſed is quidem pro Eccleſia,ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt. Ille ſacerdotis,is militis manu, ſed ſanè ad nutum ſacerdotis & iuſſum Imperatoris.Hoc eſt, vterque gladius & ſpiritualis & materialis Eccleſiæ, ſed ſpiritualem Eccleſia manu ſacerdotis,materialem autem manu militis,ſed ad nutum ſacerdotis exercet. Et hanc doctrinam Sancti Bernhardi authenticauit Papa Bonifacius in extrauaganti, vnam ſanctam de maioritate & obedientia. Finit author dicens,Sanctum Paulum,dum ait,obediendum Principibus,non cõſilium,ſed præceptum dediſſe: quod verum eſt,ſed intelligi debet modo ſupra explicato,obedire nempè eos debere Principibus,qui ſunt ſubiecti iuſto titulo, & in negotiis iis, ad quæ eorum authoritas ſe extendit.vnde ſequitur, Eccleſiaſticos non eſſe obligatos ab obediendum Principibus ſæcularibus,ſunt enim exempti, ſed ſolùm laicos,& hoc quidem in negotiis ciuilibus & Deo non contrariis.Ex quibus videre licet,quãtùm hoc tempore Deum offendat Reſpublica Veneta, quæ non ſolùm Eccleſiaſticos in carceres coniicit, ſed pariter laicos & Eccleſiaſticos vi conſtringit, ne ſummi Pontificis interdictum obſeruent, cum negotium hoc merè ſpirituale ſit & Eccleſiaſticum.

Propositio Secvnda Avthoris.

[Chriſtus Saluator noſter licet tanquam filius Dei æqualis Patri,Rex ſit Regum,& Dominus dominantium, nihilominus cùm veſtitus eſſet carne noſtra

noſtra mortali, nec ante mortẽ nec poſt ſanctiſſimã eius reſurrectionẽ, vnquã exercuit poteſtatẽ Principis tẽporalis. Non habuit regnũ temporale, vt dixit ad Pilatum: Rex es tu? tu dicis, reſpõdit. Verùm aduerte, licet Rex ſim, nihilominus regnum meum non eſt de hoc mundo, id eſt, temporale. Ideò quando populi illi ab eo miraculoſè quinque panibus & duobus piſcibus paſti, eum Regem facere volebant, aufugit, ne raperent; & facerent eum Regem. Nec iudicare voluit, vnde cupientibus, vt ſententiam in quadam eorum controuerſia ferret, &c. reſpondit: Quis me conſtituit iudicem ſupra vos. Imò miniſtrum Cæſaris Pilatum pro ſuo iudice agnouit. Nõ haberes in me poteſtatem, niſi tibi data eſſet deſuper, vt notat S. Thomas in epiſtola ad Romanos.

RESPONSIO.

Hæc ſecunda propoſitio non eſt ad propoſitum præſentis negotij, in quo non de regnis temporalibus, ſed de Eccleſiaſticis ſermo eſt, & ſolũ valet ad ſignificandũ peruerſum animũ & errores authoris. Dico igitur verum eſſe, quod Chriſtus, in quantum homo mortalis, non exercuerit in hoc mundo poteſtatem Principis ſæcularis, venit enim, vt ipſe ait, pati & ſeruire, mundum docere, rerum temporalium & honorum contemptum, & exemplo humilitatis & obedientiæ, monſtrare ſuperbis & inobedientibus viam paradiſi. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionẽ pro multis, Matt. 20. Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet, Lucæ 9. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, Matth. 11. Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pro-

pter nos egenus factus eſt,cum eſſet diues.2.Corint. 10.Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem,mortem autem crucis,Philip.2.Sed debebat hic author etiam adiunxiſſe, Chriſtum etiam vt hominem, ſi voluiſſet, potuiſſe aſſumere omnium temporalium rerum dominium; ſe Regem facere aut Imperatorem, vtrius officium magis allubuiſſet.Vt enim ait Sanctus Ioannes capit.11. Omnia ei dedit Pater in manus,& Sanctus Paulus cap.1. epiſt.ad Heb.Quem conſtituit hæredem vniuerſorum. Neque dicere debuiſſet, Chriſtum poſt reſurrectionem non exercuiſſe poteſtatem Principis temporalis, non adiungendo, Chriſtum poſt reſurrectionem etiam vt hominem, gubernaſſe totum mundum, non vt Principem temporalem, ſed vt Principem æternum, ſuperiorem omnibus Principibus temporalibus,vt S. Ioannes ait ſub initio Apocal.Qui eſt primogenitus mortuorum & Princeps Regum terræ. Et ipſe Chriſtus: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, Matth. 28. quæ poteſtas propriè temporalis non eſt, eſt enim æterna, nihilominus eſt ſupra omnes res temporales & æternas. Chriſtus enim,etiam in quantum homo, erat ſummus Pontifex, cum poteſtate excellentiæ, quin imò erat caput hominum & Angelorum, vnde ſuperiorem non habebat in terris, nec ab vllo de iure iudicari poterat,ſed tantum de facto, quando id fieri ipſe permittebat. Et hoc ſignificat Apoſtolus,dũ dicit:Humiliauit ſemetipſum, Philipp. 2.Vnde ad ea verba: Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi data eſſet deſuper, quibus videtur Chriſtus Pilatum pro iudice ſibi à Deo dato agnoſcere, reſpondetur in eo loco per poteſtatem

tem

tem intelligi permiſſionẽ;& ſenſus eſt eius loci, Pilatum nihil potuiſſe facere aduerſus Chriſtum, ſi Deus id non permiſiſſet, vt eodem modo alius locus intelligitur: Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum, Lucæ 12. Et hæc reſponſio eſt ſanctorum Patrum, Chryſoſtomi & Cyril. in expoſitione cap. 19. S. Ioannis. Verum quia S. Thomas in cap. 13. Epiſtolæ ad Roman. intelligit eum locum de poteſtate, quam habent Principes à Deo, dicimus, poteſtatem Pilati vt miniſtri Cæſaris fuiſſe à Deo, à quo omnis legitima deſcendit poteſtas. Sed quod hæc poteſtas ad Chriſtum ſe extenderit, factum eſſe ex ignorantia Pilati, qui dignitatem Chriſti neſciebat, atque ideo tanquam priuatum eius patriæ ciuem iudicabat. Quemadmodum ſi hoc tẽpore Clericus ſub nomine Laici, & in habitu laico ſiſteretur iudici ſæculari, poſſet iudicari ea poteſtate, qua alij laici iudicantur; non ideo tamen ſequitur, clericos iudicio laicorum eſſe ſubiectos, aut Chriſtum ſubiectum fuiſſe iudicio Pilati.

AVTHOR.

[Præcipit demum, vt tributum detur Principibus ſecularibus, id eſt, Cæſari: reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, Aliqui opponunt ſe huic propoſitioni, dicentes: Licèt Chriſtus ſoluerit tributum Cæſari pro ſe & Petro, nihilominus eum ſubiunxiſſe, quod ad ſoluendum obligatus non fuerit. Nunquid filii debent ſoluere tributum? In quo oſtendit authoritatem Principis temporalis, qui exemptus eſt à tributo. Ad hoc dubium ita reſpondetur, eius patriæ ciues nomine filiorum appellatos. vt aliqui Doctores dicunt, non fuiſſe obligatos ad ſoluendum tribu

tum, & cum ipſe & S.Petrus eius patriæ fuerint, dixiſſe, quod non ſint obligati. Aut vt melius dicatur, inſinuare voluit eius ſanctiſſima diuinitas, & dicere, quod tanquam filius Dei non ſit obligatus ad dandum tributum. Verùm quia excuſatio hæc altum & profundum nimis ſacramentum contineret, cuius tunc exactores & quæſtores Principis incapaces ſciebat, dixiſſe: Sed ne ſcandalizetur. Vbi apparet, quanti fecerit Chriſtus, ne ſcandalum præberet miniſtris Principum ſæcularium, allegans veram & realem, ab ipſis tamen non intellectam exemptionem.

Responsio.

Chriſtum iuſſiſſe vt daretur Cæſari tributum, verum eſt, ſed non eſt ad propoſitum, cum nemo neget ſoluendũ eſſe tributum Principibus ab illis, qui ſunt obligati dare, vt inquit Sanctus Paulus: Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal, &c. Verũ quantum ad tributum, quod Chriſtus ſoluit pro ſe & Petro, videtur tibi arriſiſſe hæreſis Marſilij Paduani, qui dixit, Chriſtum non cum deſcenſione, ſed neceſſitate coactum perſoluiſſe tributum. Quæ hæreſis condemnata eſt à Papa Ioanne XXII. in extrauag. licet, vt refert Cardinalis Turrecremata in ſumma de Eccle. l. 4. part. 2. cap. 37. Nõ enim aliam exemptionem allegas, vt probes, Chriſtum non fuiſſe obligatum ad dandum tributum, quam quia eius patriæ erat, & tales nominati fuerint filii Dei, & quia diuinitatem habebat, ſecundum quam erat filius Dei, & tanquam talis non fuerit obligatus. Prima ratio friuola tota eſt & vana: quia non ſolùm ciues eius patriæ non erant exempti,

xempti, verum ipſi ſoli erant obligati ad dandum tributum, vt Exodi cap. 30. apparet, vbi impoſitum eſt tributũ omnibus filiis Iſrael, vt quilibet dimidiũ ſicli perſoluat. Hoc tributum poſtmodum acceperunt Romani, vt ſcribit Ioſephus de bello Iudaico cap. 26. Secunda ratio eximit Chriſtũ vt Deum, non vt hominem, atque ideo vt homo ſecundum te erat obligatus. Hoc aſſerebat Marſilius Paduanus; & id ipſum ex tua ratiocinatione colligitur, vis enim probare, Chriſtum non fuiſſe Principem temporalem, & ad hoc probandum pro vltima & principali ratione adducis, quòd Chriſtus iubeat, vt Principi ſoluatur tributum; quæ ratio nullam planè energiã habet, niſi adiunxeris, quòd Chriſtus ſoluerit tributum. Et quia in his conſiſtit robur argumenti tui, ideò ſtruis obiectionem aduerſus teipſum, dũ dicis, aliquos opponere, Chriſtũ non fuiſſe obligatũ ad ſoluendum tributum, ſed ſoluiſſe, ne ſcandalizaret exactores tributi. Modò igitur abs te peto. Chriſtus vt homo, vel obligatus erat, vel non erat ad ſoluendũ tributum, ſi dicis fuiſſe obligatum, declaras te aſſeclam Marſilij, qui tanquam hæreticus condemnatus fuit: ſi ais non fuiſſe obligatum, fatearis neceſſe eſt, argumentum tuum robur planè nullum habere, & ad propoſitum nihil adfers. Veritas in hoc conſiſtit, Chriſtum etiam vt hominem vnaque Apoſtolos non fuiſſe obligatos ad dandum tributum, Chriſtus enim vt homo non erat perſona humana, ſed diuina, nec erat filius adoptiuus, ſed naturalis Dei, qui Rex eſt ſuper omnes Reges, atque ideò nullo Regi obligatus eſt ad ſoluendum tributum. Et quia quando Princeps aliquis ad dandum aliquid non eſt obligatus, neque familia eſt obligata,

ideò nec Apoſtoli Chriſti familiares & domeſtici eius ad reddendum tributum obligati erant. Atque hinc Sanctus Hieronymus in cap. 17. Matth. & Auguſtinus 1. l. quæſtionum Euangel. q. 23. colligunt, clericos obligatos non eſſe ad ſoluendum tributum Principibus ſæcularibus, quia ſunt familiares Chriſti & ob honorem Chriſti exempti. Intermitto adducere cætera verba tua circa hanc ſecundam propoſitionem tuam, ſunt enim exigui momenti, nec reſponſione opus habent, cum aduerſum nos non pugnent.

Propoſitio Tertia Avthoris.

[Cùm Chriſtus Ieſus Dominus noſter non exercuerit authoritatem Principis temporalis, non erit verum dicere eum, hanc authoritatem Petro & ſucceſſoribus, qui eius Vicarij ſunt, conceſſiſſe, non eſt enim Vicarius maior Principali ſuo. Vnde benè Sotus l. 4. Sent. tractans hanc materiam & Cardinalis Bellarminus de authoritate Papæ, dicunt ſe mirari Canoniſtas, quòd ſine ratione & authoritate Noui Teſtamenti audeāt affirmare, Papā eſſe dominū totius orbis directè in tēporalibus: doctrina verè ſcādaloſa & parùm ſolida. Scio equidem, quoſdā præter Canones, qui ceu leges humanæ diuinarum reſpectu, non poſſunt habere æqualem authoritatem, citare S. Thomam Aquinatem de regimine Principum c. 10. & 19. eiuſdem libri, vbi dicit: Summus Pontifex eſt Dominus totius orbis in temporalibus, verùm hic liber non eſt D. Thomæ, vt benè demonſtrat Cardinalis Bellarminus l. de poteſtate Papæ, &c.]

RESPONSIO.

Tertia hæc propoſitio ſimilis eſt ſecundæ, nihil enim facit ad propoſitum negotij principalis ab authore intenti,& ſolùm valet ad demonſtrandam peruerſam voluntatem,& exiguam in allegandis au thoribus ſinceritatem. Non facit ad propoſitum: intentum enim ſuum erat demonſtrare ſententiam excommunicationis & interdicti latã à ſanctiſſimo Papa Paulo V.nullã &inualidam eſſe,ad quod probandum,tantùm erat dicere,Papa non eſt Rex tem poralis mundi,ac dicere , Rex Franciæ neminem poteſt ad triremes condemnare, quia non eſt Epiſcopus. Ad ferendum enim excommunicationem & interdictum,non requiritur authoritas Regia & temporalis,ſed Pontificia & ſpiritualis: quemadmodum ad pœnam triremium infligendam, non eſt neceſſaria poteſtas ſpiritualis,cum ſufficiat temporalis. Exigua ſinceritas in allegandis authoribus deprehenditur in eo,allegat enim Sotum & Bellarminum,cum neuter vtatur terminis tam immodeſtis,vt dicant mirari ſe Canoniſtas, quod auſi ſint abſque aliqua ratione aut authoritate noui teſtamenti aſſerere,Papam eſſe Dominum totius orbis directe in temporalibus, doctrina vere ſcandaloſa & parum ſolida.Hæc admiratio ab ipſo ficta & excogitata noſtris in ſcriptis nullibi inuenietur,multo minus quod dixerimus, doctrinam illam Canoniſtarum abſolute ſcandaloſam & abſque ratione eſſe,quin nec diximus abſolute, Canoniſtarum eam eſſe ſententiam,nouimus enim ipſos etiam Canoniſtas hac in re diſcrepantes eſſe, & Sotus pro ſe allegat Ioannem Andream,Bellarminus pro ſua opinione allegat Turrecrematam & Nauarrum,& po-

terat etiam citare Innocentium IV, in cap. Nouit, de iudiciis,& gloſſam eo in loco, vbi adiungit diſtinctionem directe & indirecte. Et differẽtia, quæ inter iſtos authores eſt, non conſiſtit in eo, vt tribuant aut auferant Papæ poteſtatem ſupremam in negotiis temporalibus, omnes enim eam concedunt, hæreticis exceptis. Sed cõſiſtit in modo, quod pars eorum credat, Papam habere eam poteſtatem eo modo, quo eam habent Principes ſæculares, pars altera autẽ exiſtimet poteſtatem Papalem propriè & in ſe ſpiritualem eſſe, poſſe tamen in ordine ad res ſpirituales pleniſſima authoritate de temporalib. rebus diſponere, vt inter alios diuinè demonſtrat author opuſculi, de regimine Principum l.3. cap.11.& 13. ſiue ille D. Thomas ſit, ſiue alius, Bellarminus enim non negat abſolute illum librum S. Thomæ eſſe, ſed refert aliquos de eo dubitare, & non ſine cauſa, refertur enim in eo opuſculo hiſtoria quædam, quæ poſt mortem D. Thomæ contigit, & ipſe Bellarminus ait, poſſibile eſſe, eam hiſtoriam poſtmodum in eo libro inſertam fuiſſe ab alio, atque ideo non ſe ſtabiliens in ea reſponſione, quod liber ille Diui Thomæ non ſit, aliam magis ſolidam ſubiungit, & eſt, declarandam eſſe eius libri ſententiam cum alia eiuſdem. Sed non eſt ſilentio prætereunda, aut impunis relinquenda grauis eius authoris temeritas, qua vtitur, dum de ſacris Canonibus loquitur, & ait. Scio equidem aliquos vltra Canones, qui veluti leges humanæ, concurrentibus diuinis non poſſunt habere æqualem authoritatem, citare etiam Sanctum Thomam, &c. Hæc eſt grauis ſacrorum Canonum contemptus, qui ex ore viri catholici nunquam auditus eſt, quantũ enim appa-

ret, is author nihili facit, doctrina ſua ſacris Canonibus conſona ſit nec ne, ſed nec etiam eos proponenti dignatur reſpondere, ac ſi nullius plane eſſent authoritatis, poſtmodum etiam appellans abſolute leges humanas, ac ſi cum aſſiſtentia Spiritus ſancti factæ non eſſent, loquitur modo ſanctis Patribus inuſitato, qui eos ſemper ſanctos & ſacros à Deo inſpiratos nominant. Audi hac de re Sanctum Leonem ad Anatolium. Nimis hæc improba (ait) nimis ſunt praua, quæ ſacratiſſimis Canonibus inueniuntur eſſe contraria. Demum cùm addit ſacros Canones diuinis concurrentibus, non poſſe habere æqualem authoritatem, ſignificat Canones in hac materia contrarios eſſe legibus diuinis, atque ideò parui æſtimandos eſſe, quæ reprehenſio non ſolùm magiſtris canonum, ac ſi leges Deo contrarias ſtatuerint, ſed etiam toti Eccleſiæ iniurioſa eſt, quæ eoſmet canones ceu regulas mediantibus ſummis Pontificib. aut ſacris Cõciliis à Spiritu S. præſcriptas veneratur.

AVTHOR.

[Ad infringendum robur noſtræ huius propoſitionis dicunt aliqui, Alexandum VI. Papam diuiſiſſe Indiam Regibus Hiſpaniarum & Portugalliæ, fuit enim, inquiunt, ceu Vicarius Chriſti, naturalis Princeps temporalis. Et Leonem III. eadem ratione Carolo Magno dediſſe Imperium Occidentis. Sed hi toto cœlo aberrant. Quia Alexander nõ tanquam Dominus, ſed tanquam iudex compromiſſarius ab ipſis Regibus ad ſopiendam & exſtinguendam diſcordiarum flammam electus, per iudicium determinauit, maria diuidenda eſſe, & vt claſſis vnius per hoc, alterius per aliud mare nauigaret, &

quod quiſque acquireret, hoc iure belli ſuum faceret, iuxta diuiſionem ab ipſo factam, vt Hiſtorici aiunt, Leonem III. verum eſt, cùm à Populo Romano à Sede Apoſtolica deturbatus, & à Carolo Magno ad eandem reſtitutus fuiſſet, feciſſe, vt populus eum Imperatorẽ proclamaret, vt ait Platina, quod factũ Hiſtorici modò Romano Populo attribuũt, qui videns ſe à Græcis Imperatoribus malè gubernari, antiquo iure alium Imperatorem elegerit: modò dicunt, Carolum, cùm Dominus ſtatus eius eſſet, ab Irene & Nicephoro Imperatore comparaſſe titulum, modò quòd Irenes & Nicephorus Impetor ea diuiſione contenti fuerint. In ſumma quicquid ſit, certum eſt, Papam à Sede Apoſtolica detruſum, nihil poſſidentem, Carolo non dediſſe Occidentis Imperium, quod iam habebat, eiúſque iure belli Dominus erat.]

RESPONSIO.

Quemadmodum Propoſitio non eſt ad rem, ita nec etiam rationes pro & contra. Propterea ſolùm occupabor in detegendis huius Neotheologi erroribus. Dicit igitur Alexandrum VI. diuiſiſſe maria Regibus Hiſpaniæ & Portugalliæ, & decreuiſſe, quicquid iure belli acquirerent, hoc eorum eſſet. Vbi ſi verba hæc, iure belli, ſignificant iuſtum bellum, quod præſupponit acceptam incuriam ab eo, cui bellum infertur, vt illud declarat Aug. l. quæſt. in Ioſue q. 10. benè dicit: Si autem ſignificant bellum inferri poſſe, infidelibus Indianis, etſi moleſtiã nullam inferant Chriſtianis, ſolùm ad acquirendas terras, non benè loquitur, & cõtra omnes meliores Theologos, vt ſunt Cardinalis Caietanus in cõm. 22. q. 66. & Sotus l. 5. de Iuſtitia & Iure q. 3. a. 5. & in

4. Sent.

4.Sent.diſt.5. q.1.art.10. & Victoria 2.relectionum de iure belli: Qui dicunt infideles veros prouinciarum ſuarum Dominos eſſe, vt enim S.Thomas docet 22.q.10.a.10. fides & gratia non deſtruunt naturam,atque ideò non tollunt dominium iuſtũ, quod homines habent,antequam fidem recipiunt, nec licitum eſt ad acquirendas prouincias exire, vt ad capiendas feras ſine ratione venatum exiri ſolet. Vnde Sotus dicit, Alexandrum VI. non aſſignaſſe Indiam Regibus Caſtiliæ, & Portugalliæ, ſed tantum conceſſiſſe, vt dum pergerent Prædicatores in nouas illas inſulas, illi armatam manum ſubmitterent, qua Prędicatores & Chriſtiani noui defenderentur. Quibus etiam adiungi poteſt,Alexandrum VI.Põtificem tanquam caput Chriſtianitatis,cùm proſpiceret periculum belli orituri inter Principes Chriſtianos ob commercia cum Indis, voluiſſe ſolũ Regem Caſtiliæ nauigare ad Indiam Occidentalem, Portugalliæ verò Regem ad Orientalem. Attingit poſtmodum hic author, tranſlationem Imperij factam à Papa Leone III. & dum noſſet controuerſiam, quæ hac in cauſa inter Bellarminum & Matthiam Illiricum exiſtit, placuit ei, vt ſemper ad deteriorem partem inclinat, ſequi potiùs hæretici errores; atque ea de cauſa dicit, Carolum Magnum à Populo Romano Imperium habuiſſe, aut titulum à Nicephoro & Irene comparaſſe,aut Nicephorum &Irenem diuiſioni Imperij conſenſiſſe, & ſummatim certum eſſe,Papam non dediſſe Carolo Magno Imperium Occidentis. Cùm tamen Bellarminus authoritate triginta trium Hiſtoricorum, decem Imperatorum, & omnium Imperij Electorum, ſeptem Summorum Pontificum, & ratione euidenti,

diſcurrens per omnes titulos, quibus Imperium aliquod acquiri poteſt, probauerit, à Papa Leone III. Summo Pontifice Carolum Magnum accepiſſe Imperium. Atque adeò opinio Illirici, atque huius Neotheologi in hiſtoria, hæreſis, in Theologia temeritas appellari poteſt, quia omnibus Hiſtoricis & ſacris Canonibus repugnat. Et vt omittantur alia loca, Innocentius III. in c. venerabilem, de electione, ita dicit, Rom. Imperium in perſonam Magnifici Caroli Sedes Apoſtolica à Græcis tranſtulit ad Germanos. Et Clemens V. vna cum Concilio Generali Viennenſi in Clement. quæ incipit, Romani Pontifices, idipſum repetit. Quomodo igitur temerarius non eſt, qui contradicit duobus ſummis Pontificibus, & integro Generali Concilio. Nec verum eſt, Platinam contrarium ſcripſiſſe, ſolum enim dicit: Papa decreto & precibus populi Romani creauit Carolum Imperatorem, volens dicere, populum decreuiſſe rogandum Papam eſſe, vt dignaretur Carolum facere Imperatorem. Nec eſſe poteſt, quòd Carolus iure belli acquiſierit Imperium Romanum, quòd cum Romanis bellum nunquam geſſerit. Minus verum eſt, quòd ab Irene & Nicephoro Imperatore titulum comparauerit, hæc enim ſunt Matthæi Illirici figmenta ſine vllo fundamento. Nec verum eſt, Carolum à populo Romano habuiſſe Imperium, nunquam enim Populus Romanus aut Senatus habuit hanc poteſtatem, & omnes antiqui Imperatores, aut ab exercitu, aut ab anteceſſore electi fuerunt; ac proinde Maximus & Balbinus Imperatores à Senatu electi, ſubitò à militibus occiſi fuerunt, dedignabantur enim accipere Imperatorem à Senatu, vt refert Herodianus c. 8. hiſtoriæ ſuæ.

ſuæ. Ideo etiam S. Hieronymus, ep. 85. ad Euagrium, inquit: Imperatores eligi ab exercitu. Demum non obſtat, Papam Leonem non poſſediſſe Imperium, dum Carolum Magnum inueſtiret, non enim poſſeſſionem, ſed titulum ſolum & ius dedit, quibus fiebat, vt eſſet legitimus Princeps earum prouinciarum, quas Imperatores occidentales gubernare ſolebant, & haberet dignitates, & prærogatiuas, quas alij Imperatores habuerant. Et ad hoc efficiendum non fuit neceſſe, Papam poſſidere Imperium, ſed ſufficiebat eum Papam eſſe, & conſequenter habere poteſtatem Apoſtolicam, qui in caſu, quo illud neceſſarium aut vtile eſt Chriſtianitati, diſponere poteſt de Regnis & Imperiis Chriſtianorum, vt ſæpè & frequenter Summi Pontifices factitarunt.

PROPOSITIO QVARTA AVTHORIS.

[Authoritas promiſſa à Chriſto Saluatore noſtro S. Petro ſub metaphora clauium mere eſt ſpiritualis: *Tibi dabo claues regni cælorum*, non dicit regni terrarum. Et ratio id dictat, quod in hymno Eccleſiæ legitur: *Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia*. Qualiter enim regnum temporale & monarchia gubernanda ſint, iam ab initio mundi, authoritate magni illius Monarchæ totius vniuerſi, ſcilicet Dei, conſtitutum erat, itaque Chriſtus Saluator noſter non fundauit monarchiam temporalem remanet ergo, quòd fundarit ſpiritualem, quod apertè videre eſt in S. Ioannis c. 20. vbi cum dixiſſet: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, omnino eandem dat Apoſtolis, vnáque cum his S. Petro limitatã: inſufflauit in eos & dixit: Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo in loco ex ipſa actione,

quam Chriſtus exercet, & ex verbis, quæ profert colligitur, quòd authoritas Pontificis ſpiritualis ſit & de peccato, & in animas ſolum ſecundum verba orationis, Eccleſiæ ad S. Petrum, qui beato Petro poteſtatem animas ligandi & ſoluendi tradidiſti: Quæ limitata eſt, vt dixi. Quin imò authoritas excõmunicandi data S. Petro eſt conditionata. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, & Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, vbi Saluator authoritatem excommunicandi dat, ſed ſuppoſito peccato & pertinacia in peccato, &c.]

RESPONSIO.

Adeò in diminuenda Pontificis dignitate hic author proficit, vt ſit ſuſpectus credere tantùm Pontificem eſſe ſimplicem aliquem Sacerdotem & Parochum, aut nullam planè iuriſdictionem habere, nihílque aliud poſſe, quàm ad obſeruantiam legis diuinæ adhortari, quòd concionatoris officiũ eſt, baptizare, confeſſiones excipere, quod Parochorum eſt, qua in re videtur renouare velle hæreſin VValdenſium, Marſilij de Padua, & Ioannis Huſſ, quam hac ætate omnes moderni hæretici amplectuntur. Sed accedamus ad eius verba. Primò ait, poteſtatem pontificiã merè ſpiritualẽ eſſe. Ad quid illud merè? nonne melius erat dicere, principaliter ſpiritualem eſſe? Nauarrus, quem tu adeò extollis & legi vis, in c. Nouit. de iudiciis, & ſolidiſſimum Doctorem appellas, dicit quidem, Pontificem merè temporalem non eſſe, ſed non dicit merè ſpiritualem eſſe, ac ſi nullo modo attingere poſſit diſpoſitionẽ rerũ temporalium. Quin imò dicit, poteſtatem eſſe eminentiſſimam, quæ cùm in ſe ſpiritualis ſit, & cõſequenter temporali ſuperior, poſſit & debeat dirigere tempo-

temporalem, quando deuiat & deflectit, vt ſuperiùs dictum eſt. Nec hymnus Eccleſiæ, *Non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia*, vult, quòd monarchia temporalis iam fundata fuerit. Sed hoc tantùm vult dicere, regnum Chriſti, cuius claues Petrus habuit, non eſſe regnum temporale, quod abſque eo, quòd aliquis illud perdat, acquiri non poſſit; ſed eiuſcemodi regnum eſſe, quod omnia regna gubernat, non auferendo dominium ab illis, qui illud iuſtè habent, alias enim dicere poſſes, nec Deum habere poteſtatem in res temporales, quia non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia. Dicit ſecundò, Chriſtum Apoſtolis & S. Petro dediſſe poteſtatem limitatam, ſupra peccatum ſcilicet, Ioannis enim 20. inſufflauit & dixit: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hæc planè hæreſis eſt eorum, qui Papæ & Eccleſiæ omnem adimunt iuriſdictionem. Quæ hæreſis verbis ipſius Chriſti eodem in loco, parùm ante verba ab authore citata damnantur. Prius enim quàm diceret, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, dixerat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Quibus verbis abſolutam poteſtatem & illimitatam dedit, loco ſui gubernandi Eccleſiam, atque ideò aiunt Theologi, eum his verbis dediſſe poteſtatem iuriſdictionis, aliis verò poteſtatem ordinis, & quando poſtmodum capite ſequenti dixit S. Petro: Paſce oues meas, certum eſt, non reſtrinxiſſe poteſtatem ad abſolutionem peccatorum, ſed dediſſe poteſtatem ampliſſimã gubernandi & regendi totam Eccleſiam, quia hoc verbũ: Paſce, idem eſt, quod in lingua Græca, in qua ſcripſit Ioannes, cum eo, quod eſt in c.19. Apoc. Et ipſe reget eos in virga ferrea; & illo Micheæ 2. iuxta

tranſlationem ſeptuaginta interpretum: Ex te exiet mihi Dux,qui regat populũ meum Iſrael. Sic quòd ſecundum modum loquendi ſcripturæ, facere Petrum Paſtorem, idem ſit, quod facere Rectorem, Gubernatorem & Principem totius Eccleſiæ. Et quando dixit ei Matth.16. Quodcumque ſolueris, & quodcumque ligaueris, non reſtrinxit ad peccata poteſtatem, nec etiam ad perſonas, quia non dixit, quemcumque ſolueris vel ligaueris, ſed quodcumque,volens ſcilicet exprimere,poteſtatem quandam vniuerſalem ligandi & ſoluendi, id eſt, mandandi, condendi leges,diſpenſandi,remittendi,prout opus fuerit, ad ducendum & introducendum fideles in regnum cœlorum,cùm habeat pleniſſimam authoritatem præſcribendi omnibus ea, quæ credenda & facienda ſunt,remouendi etiam ſingula impedimẽta, quæ in via ſalutis occurrere & opponi poſſunt, vt prolixè oſtendimus l.1.de Pontifice.

Dicit tertiò, Papam habere tantùm poteſtatem in animas,& colligit iſtud ex oratione illa; Deus,qui beato Petro animas ligandi atque ſoluendi Pontificium tradidiſti. Si hæc ratio bona eſſet, Principes ſæculares etiam aliam, quàm in animas poteſtatem non habebunt.Dicit enim S.Paulus: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Vnde hic author aut nimis ſimplex eſt,non attendens,in ſcripturis animam accipi pro toto homine, aut ſtudium eius fuit, ſimplices, vèrbis Eccleſiæ malè intellectis, decipere. Et fortè diuina prouidentia ad tollendam viam eiuſcemodi deceptionibus, inſpirauit reformatoribus Breuiarij, vt auferrent ex illa oratione verbum hoc (animas) vt neque antiquitus in ea fuit,nec eſſe debet, cùm oratio ex verbis Euágelij

gelij deducta ſit: Quodcumque ligaueris & quodcumque ſolueris. Addit demum, quòd excommunicandi poteſtas ſit conditionata, præſupponens peccatum & obſtinationem in peccato. Quæ doctrina noua & falſa eſt; nec poterit adduci author vllus, qui ſimile quid dixerit. Verum eſt, præſupponi peccatum, & obſtinationem in peccato: cùm enim excommunicatio ſit grauiſſima pœna, ſine culpa eáque grauiſſima, qualis eſt peccatum mortale, infligi nequit. Verum etiam eſt, præſupponi inobedientiam, aut vt rectius dicamus, contumaciam; nec ſufficere quodcumque peccatum ad excommunicandum, niſi adiungatur pertinacia; dixit enim Dominus: & ſi Eccleſiam non audierit. Vnde excommunicari aliquis non poteſt, quia fur aut adulter eſt, niſi prius admonitus obedire recuſet. Sed multum inter ſe differũt pertinacia & inobedientia; fieri enim poteſt, vt aliquis pertinax ſit in peccato aliquo, de quo ab Eccleſia non ſit admonitus, & eiuſmodi licet pertinax excommunicari non poteſt; è contrario verò fieri poteſt, vt aliquis ſit inobediens, & excommunicari poſſit, etiamſi in inobedientia poſtmodum pertinax non ſit, & verba Domini, ſi Eccleſiam non audierit, ſignificant inobedientiam, nõ pertinaciam propriè loquendo. Nec opus eſt, vt in probatione huius multum fatiger, ſunt enim hiſce authores pleni, aduerſarius autem aſſertionem ſuam non aliter, quàm authoritate malè intellecta probat.

PROPOSITIO QVARTA AVTHORIS.

[Licet aliqui ſint, qui, neſcio quo fundamento nixi, aſſerunt, perſonas & bona Eccleſiaſtica exempta eſſe à poteſtate Principis iure diuino, nihilominus

nus contraria opinio, nimirum de iure humano tantùm exempta eſſe, melior & conformior eſt ſacræ & diuinæ ſcripturæ, dictis ſanctorum Patrum & hiſtoriis.]

RESPONSIO.

Si hic author alicuius eſſet reuerentiæ erga ſanctam Eccleſiam, nunquam ita liberè & abſolutè loqueretur, perſonas & res Eccleſiaſticas iure ſolùm humano exemptas eſſe. Concilium enim Tridentinum generale, ſeſſ. vltima, cap. 20. clarè docet, immunitatem Eccleſiaſticam ordinatione diuina, & decretis Eccleſiaſticis inſtitutã eſſe. Quis eſt Chriſtianorum igitur, qui ſe huic & tantæ authoritati opponere audeat? Hæc hæc authoritas ſola eſt, prius enim Colonienſe Concilium parte 9. c. 20. illud ipſum verbis hiſce declarauit. Immunitas Eccleſiaſtica eſt res antiquiſſima, & introducta iure pariter diuino & humano. Et in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſione nona, ita legitur. Nullo nec diuino nec humano iure habent Laici poteſtatem aliquam in perſonas Eccleſiaſticas. Quę verba propriè contraria ſunt verbis huius authoris, qui dicit Principes laicos iure diuino habere poteſtatem in perſonas Eccleſiaſticas. Ex quo magna nimis huius noui Goliath temeritas apparet, qui ſe huic agmini exercitus Dei, quale eſt Concilium generale, audet opponere. Et ante hæc Concilia, Bonifacius Papa in cap. quanquam de cenſibus, hac de re tanquam plane nota, & ab omnibus recepta, ſcripſit, quod perſonæ & res Eccleſiaſticæ à poteſtate ſæculari, iure diuino liberæ ſint. Et ante hunc Pontificem Ioannes VIII. vt refert Gratianus d. 96. can. ſi Imperator, refert; Deum omnipotentem ordinaſſe, quod

Sacer-

Sacerdotes & alij Clerici non ordinẽtur aut iudicentur à poteſtate ſæculari,ſed ſolum à Pontifice.Quod Pontifex hic de perſonis, multo ante Papa Simachus vna cum toto Romano Concilio II. in eius præſentia celebrato de bonis Eccleſię tradit.Et ſcripturæ quidem ſacræ non contraria, legitur enim Geneſ. 47. quod Ioſeph Patriarcha, cũ eſſet Prorex & Vicarius generalis Pharaonis, exemerit Sacerdotes ab oneribus, quæ reliqua plebs ſufferebat. Et 1. Eſdr.c.7.ab eiſdem Artaxerxes Perſarum Rex ſimiliter Sacerdotes Hebræos abſoluit;lumen enim naturale,quod à Deo immediate prouenit, dictat,hoc eſſe cõueniens. Vnde Alexãder III. Papa in Concilio Lateranẽſi pulcerrimã hanc exclamauit ſentẽtiam.Nõ eſt æquum Eccleſiam Dei,tempore Chriſtianorum principũ,minus liberã eſſe,quam fuit tẽpore Pharaonis,cap.non minus de immunitate Eccleſiaſticorũ.Sed videamus quibus argumentis probet ſententiam ſuam hic author, dum dicit ſententiam eorum qui aſſerunt exemptionem perſonarum & bonorum Eccleſiaſticorum de iure humano eſſe, conſonam magis ſacræ ſcripturæ, ſanctis Doctoribus & hiſtoriæ eſſe.

AVTHOR.

[Quia præter hæc quæ diximus, in prima propoſitione, quod Sacerdotes in antiqua lege ſubiecti fuerint Principi ſæculari, præterquam quod Salamon priuauerit Abrathar ſummo Hebræorum ſacerdotio,vt cap.2.l.3. Regum videre eſt. Tempore primitiuæ Eccleſiæ vſque ad Iuſtinianum Imperatorem, nullum in iure legitur priuilegium, de Eccleſiaſticis facta exemptione.]

RESPONSIO.

Et nos in confutatione primæ propoſitionis demonſtrauimus, quod in antiqua lege Sacerdotes & Leuitæ ſubiecti fuerint Principi Eccleſiaſtico, & quia Author dixerat, Moyſen fuiſſe Principem politicum, cui ſubiecti erant Sacerdotes, teſtimoniis ſcripturæ & S S. Patrum probauimus, Moyſen ſummum Sacerdotem fuiſſe. Ad exemplum Salamonis reſponderi poteſt, Salamonem illud feciſſe, tanquam diuinæ voluntatis miniſtrum, prædictum enim iam fuerat, Heli poſteritatem ceſſaturam, ideo ſubiungit ſcriptura, vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo. Accedit quod facta Principum non ſint leges. Verum quod ante Iuſtinianum non exciterit in Eccleſia priuilegium exemptionis, falſum eſt manifeſte. Cõſtantinus enim Imperator qui ducentis annis Iuſtinianum præceſſit, & primus Imperatorum, qui palam ſe Chriſtianum profeſſus eſt, quam primum Eccleſiaſticos liberos à communibus Reipublicæ oneribus declarauit, vt legitur in epiſtola eiuſdem Conſtantini ad Auilinum, quæ refertur ab Euſebio lib. 10. cap. 17. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & præter hoc Conſtantini priuilegium, multa alia ſunt in Codice Theodoſiano, antiquiora Iuſtiniano, vt refert à te citatus Couarruuias tuus cap. 31. quęſtionum practicar.

AVTHOR.

[Sanctus Paulus ait: Ad tribunal Cæſaris ſto, Cæſarem appello. Et inter infinita exempla alia, legitur in vita Ottonis primi Chriſtianiſſimi Imperatoris, quod propria authoritate Ioannem Papam XII. ob peſſimos mores depoſuerit.]

RES-

RESPONSIO.

Ad hoc argumentum antiquitus à nonnullis hæreticis propoſitum optimè reſpondet Cardinalis Turrecremata l. 2. cap. 96. ſuæ ſummæ. S. Paulum fuiſſe coactum appellare ad Cæſarem, & eum pro iudice ſuo agnouiſſe, de facto, non de iure, tūc enim poteſtas Sancti Petri non agnoſcebatur nec credebatur, atque ideo ſi Paulus dicere voluiſſet, non cognoſcere ſe alium iudicem, quam Vicarium Christi, riſum excitaſſet Iudæis, à quibus erat accuſatus, & gentilibus; à quibus erat iudicandus, & ita ipſemet dicit, coactus ſum appellare Cæſarem. Quod attinet ad hiſtoriam Papę Ioannis, & Ottonis Imperatoris, duæ falſitates & errores in tam pauculis verbis autoritate propria continentur, falſiſſima ſunt de facto & de iure. Dico de facto, Otto enim ſciens ſe tanquam laicum non poſſe iudicare Eccleſiaſticum, petiit à Concilio Romæ congregato, vt determinarent illud, quod fieri deberet. Sācta Synodus, quid decernat, edicat. Ita loquitur Otto ad Concilium; itaque Otto non depoſuit ſummum Pontificem authoritate propria, ſed authoritate Concilij. De iure dico. In nullo enim authore Catholico inuenietur, Papam ab Imperatore deponi poſſe, bene autem Imperatores à Papa, Vt Otto IV. fuit depoſitus ab Innocentio III. Fridericus II. ab Innocentio IV. & multo antea Heinricus IV. à Gregorio VII. atque adeo hic author in ſua opinione præter hæreticos antiquos & modernos, ſocios alios non habet, & in particulari Marſilium de Padua, vt teſtatur Cardinalis Turrecremata lib. 4. ſummæ par. 2. cap. 37. Verum nec à Concilio iudicari poteſt Papa, niſi in caſu hæreſis, in quo omnes Catholici cōueniunt,

& hic eſt alter authoris error, quia Papa Ioannes XII.non fuit accuſatus de hæreſi,ſed ſolum de malis moribus, & Concilium illud quod depoſuit Papam Ioannem XII.non fuit Cõcilium legitimum, ſed conciliabulum,ſchiſmaticum, & acephalum, atque ideo paulo poſt abrogatum & caſſatum fuit. Legat,qui ſcire volet hanc hiſtoriam, tomum decimum Cardinalis Baronij, aut breuitatis ergo additionem Onuphrij ad Platinam.

AVTHOR.

[Et ſi exemptio eſt de iure diuino, quare Papa Adrianus I.vult, vt Carolus Magnus habeat authoritatem eligendi Romanum Pontificem, in cap. Adrianus,quod & Leo VIII.fecit in fauorem Ottonis primi,vt in ea ipſa diſtinctione legitur.]

RESPONSIO.

Subtilitatem & acumen argumenti huius plurimum miror. Quid negotij commune habet exemptio Eccleſiaſticorum, cum nominatione perſonæ ad pontificatum? ideo hoc tempore Eccleſiaſtici Galliæ exempti non ſunt, quia Rex perſonas nominat vacantibus Eccleſiis. Et vbicunque ſunt Iuſpatronatus, quandoquidem patroni qui ordinariè Laici ſunt, habent ius nominandi, deperdita eſt exemptio? Habuerit igitur aliquandiu Carolus priuilegium Papæ, ſede vacante nominandi aliquem ad Pontificatum, per hoc tamen Imperator nõ dedit Papę authoritatem aliquam,nec eam auferre aut imminuere potuit,cũ vt ſuperius diximus, nominatæ perſonæ, aut alias canonicè electæ Deus ipſe det pontificalẽ poteſtatem, per quã eiuſcemodi perſona iure diuino fit ſuperior, & caput omnium Chriſtianorũ,ſiue Principum, ſiue priuatorum. De priuilegio

uilegio Imperatori Ottoni à Leone Papa conceſſo, idipſum dici poſſet, ſi illud priuilegium non fuiſſet vanum, & abſque effectu. Et hoc dictum ſit, poſito quod verum ſit, id quod Gratianus ſcribit in citatis Canonibus, Adrianus,& in Synodo. Verum Illuſtriſſimus & doctiſſimus noſter Cæſar Baronius tom.9. annalium, pag. 323. clariſſimis documentis demonſtrat, nunquam eiuſcemodi priuilegium cõceſſum fuiſſe Imperatori ad eligendum ſummum Pontificem, atque ita totum aduerſarij argumentum ruit, habens nimirum conſequentiam malam, & antecedens falſum.

AVTHOR.

[Hæc doctrina non ſolum eſt S.Pauli,vt propoſitione prima probaui,ſed etiam S.Chryſoſtomi, S. Thomæ Aquinatis, Soti Theologi præſtantiſſimi, diſt.25.l.4.ſent.Couarruuiæ,c.31.practicarũ queſtionũ,qui etiã pro ſe citat Innocentiũ III.Papã, Alciatum,Ferrarienſem, Medinam,& alios,& duo hi authores, Sotus ſcilicet, & Couarruuias in hoc negotio particulari plurimi faciendi ſunt, cum vterque poſt Concilium Tridentinum ſcripſerit.]

RESPONSIO.

S. Paulus & S. Chryſoſtomus non loquuntur de exemptione Eccleſiaſticorum, ſed ſolummodo docent, quemlibet obligatum eſſe, obedire ſuis ſuperioribus,vt ſupra dictum eſt.S. Thomas non negat, exemptionem eſſe de iure diuino, licet affirmet,eſſe de iure humano, quia poteſt eſſe, & eſt de iure humano & diuino,vt loquuntur ſacri Canones.Sotus licet neget, exemptionẽ eſſe de iure diuino ſtrictè,nihilominus ait,cõſentaneũ eſſe lumini naturali, & adiungit neminem Principũ, nec omnes pariter

poſſe huic exemptioni derogare. Vnde manifeſte doctrina Soti contraria eſt negotio Venetorum, qui tot modis immunitatem Eccleſiaſticam, ac ſi in poteſtate eorum eſſet derogare eis, quando libuerit violare & proſcindere audent. Nec verum eſt Sotum poſt Concilium Tridentinum ſcipſiſſe, quia licet primæ ſeſſioni celebratæ ſub Paulo III. interfuerit, nihilominus mortuus eſt, antequam Concilium finiretur, & ita non vidit vltimum illud decretum, quo declaratur, quod immunitas Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum, ſit introducta per diuinam ordinationem, quod decretum ſi vidiſſet, neutiquam illi contradixiſſet. Couarruuias, vt ſupra attigimus, ſemper partialis nimis viſus eſt pro Iuriſdictione regia, nihilominus is ipſe docet, Pontificem juſto titulo potuiſſe liberare, Eccleſiaſticos à poteſtate ſæculari, & quod nullus Principum, etiam ſummus poſſit derogare huic immunitati. Quapropter apparet etiam Couarruuiam improbare factum Venetorum; atque ideo Author non aduertit, quid dicatur, dum notat hos authores plurimi faciendos eſſe. Demum ſilentio prætereundum non eſt, quod addit Author, Couarruuiam allegare pro ſua opinione Innocent. III. Quo in loco notandi ſunt duo errores, Authoris vnus, Couarruuiæ alter. Author errat, nunquam enim Couarruuias citauit pro ſe Innocent. III. quem ſibi nouerat eſſe contrarium. Couarruuias errat, quia pro ſua opinione allegat Innocentium IV. in comment. ſuper cap. de maioritate & obedientia, & tamen Innocentius IV. in eo ipſo loco ait, quod exemptio facta à ſummo Pontifice cum conſenſu Imperatoris non ſit plena, atque ideo fateri oportere à Deo ipſo

Ec-

Eccleſiaſticos à poteſtate Principum ſæcularium exemptos eſſe. Quomodo clarius poteſt dicere Innocent. IV. quod exemptio Eccleſiaſtica ſit de iure diuino? Et nihilominus Couarruuias audet dicere, Innocentium negare ſupradictam exemptionem eſſe de iure diuino. Vnde Panormitanus ſuper cap. nimis de iureiurando refert Innocent. IV. tenere, exemptionem Eccleſiaſticorum eſſe de iure diuino. Ecce igitur quantis paucula illa Authoris verba erroribus ſcateant, qui non contentus fuit allegaſſe Sotum & Couarruuiam, verum etiam probationes eorum ſubiicit hiſce verbis.

Avthor.

[Et demonſtratio eorum efficaciſſima eſt, præter authoritatem enim affirmatiuam S. Pauli, S. Chryſoſtomi, S. Thomæ, præter conſuetudinem primitiuæ Eccleſiæ, adferunt etiam duo argumenta negatiua validiſſima, quæ talia ſunt. Si clerici, & bona Eccleſiaſtica, exempta ſunt iure diuino, vbi hoc ius habetur? in quo Euangelio? in qua Epiſtola Apoſtolica? in quo libro noui aut veteris Teſtamenti? Alterum argumentum tale eſt, Neminem ſæcularium Principum ad tranquillum Reipublicæ ſtatum attentum, ad hoc reſpicere, ſed permittere vt Eccleſiaſticis immunitatibus eis fruantur, quibus ipſe vult eos frui, quibus verò non vult, non permittere vt fruantur. Et licet nonnulli per legem humanam intelligant Canonem: nihilominus quantum colligitur ex doctrina primæ propoſitionis, intelligendum eſt, Priuilegium Principis, aut conſuetudo ab ipſo Principe diſſimulata, aut canon receptus, qui non eſt ſupra ius diuinum.

bræos Leuitas.& Geneſ. cap.47. Ægyptios Sacerdotes, & 2. Oeconom. Ariſtotelis, Græcos myſtas liberos & exemptos fuiſſe, Quod ipſum apud alios populos in vſu fuiſſe, teſtatur Cæſar C. 6. de bello Gallico. & Plutarchus in vita Camilli, & alij authores, quos breuitatis ergo omitto. Ad ſecundam rationem negatiuam reſpondeo, quod ea ratio non legatur apud Sotum, nec Couarruuiam, ſed author eam ex proprio cerebro effinxit, nec ratio eſt, ſed calumnia aduerſus omnes Principes, ac ſi omnes Machiauelliſtæ eſſent, aut concederent, & tollerent exemptionem clericis, prout vtile aut inutile eſt Reipublicæ. Nos vero ſcimus, in Eccleſia Dei multos Principes religioſos eſſe, & pios, timentes Deum, vt debent. Sed ſi verum eſſet, quod tamen non conceditur, multos Principes non permittere exemptionem, niſi prout vtilis eſt Reipubl. quis modus argumentandi erit ille? Multi Principes non permittunt exemptionem, igitur non eſt de iure diuino? quod tantum eſſet, ac ſi diceret: Multi Chriſtiani furantur, mœchantur, falſa teſtimonia dicunt, igitur præcepta, non furaberis, non mœchaberis, non falſum teſtimoniũ dices, non ſunt de iure diuino. Probandum fuiſſet, Principes non permittentes exemptionem, niſi quando eis placet benefacere, aut non facere malè: & tunc benè concluderetur non eſſe de iure diuino: ſed de ſimplici facto, aut vt melius dicatur de præuaricatione ſimplici vnius legis, colligi non poteſt, quod ea lex non ſit de iure diuino. Diſcurſus poſtmodum authoris, circa ius, an ius canonicum, an priuilegium Principis aut conſuetudo ſit, totus vanus eſt & friuolus, exemptio enim Eccle-

ſiaſticorum, prꝫterquam quod ſit de iure diuino, iuris etiam humani eſt omnibus, De hac enim exemptione inueniuntur plurimæ leges ciuiles, multi canones, & antiquiſſima conſuetudo, quod quidem non niſi ab iis, qui nihil legerunt, negari poteſt. Demum hæc concluſio, quod Principi ſæculari non poſſit aufferri, aut imminui poteſtas in Eccleſiaſticos, per qualemcunque Canonem, quòd Canon de iure humano ſit, poteſtas autem principis de iure diuino: falſa eſt, collecta ex principiis, quæ repugnat omnibus Doctoribus Catholicis, tam Theologis quam Canoniſtis: falſam eſſe manifeſtum eſt, contraria enim eſt plurimis decretis & conciliis, ſummis Pontificibus, ipſiſmet etiam legibus Imperialibus, & lumini naturali, vt ſuprà demonſtratum eſt. Ex falſo principio collectam eſſe probatum eſt in reſponſione ad primam propoſitionem, vbi declaratum eſt, poteſtatem principum in laicos non eſſe de iure diuino, vnde nec in clericos de iure diuino erit. Quod demum hæc ratio ſit contra omnes Doctores Catholicos tam Theologos quam Canoniſtas, clarè apparet, Sotus enim & Couarruuias, anteſignani inter eos, qui dicunt exemptionem Eccleſiaſticam non eſſe de iure diuino, ſcribunt ſummum Pontificem, potuiſſe excipere Eccleſiaſticos, omnéſque principes obligari ad agnoſcendam hanc exēptionem, nullúmque eorum neque omnes ſimul eam tollere aut imminuere poſſe. Et hoc quidem dicunt iiſdem in locis, quæ ipſe author pro ſe allegat. Vnde ſequitur hunc authorem Venetos docuiſſe doctrinam nouam, erroneam, ſcandaloſam, ſchiſmaticam & ſeditioſam, & ſi quidem negauerit eam eſſe nouam, alios tamen

men non eueniet authores & ſocios, quam hæretico & ſchiſmaticos,& in particulari F.Petrum Martyrem Lutheranum, qui ſcribens ſupra Epiſtolam ad Romanos,& declarans cap.13. hæc eadem omnino verba adfert, quæ ſcribit hic noſter aduerſarius.

Propositio Sexta Avthoris.

[Dum Princeps Venetus legitimus & naturalis Dominus ſuæ ditionis,qui excepto Deo, nullum alium ſuperiorem, in temporalibus agnouit vnquam, leges ſtatuit ſupra bona Eccleſiaſticorum, quę ſub ſuo Dominio ſunt,punit Eccleſiaſticas perſonas in caſibus grauibus & atrocibus, & diſponit de bonis nōdum ad Eccleſiaſticos deuolutis,idque authoritate quam à Deo immediate habet, qua nunquam priuatus fuit,aut priuilegio conceſſo, aut canone accepto,imò in poſſeſſione eius eſt,immemorabili multorum ſæculorum, non annorum modo conſuetudine non peccat: Ratio eſt,qui enim contra legem aliquam non facit, non peccat, multo minus debet dici peccare is, qui legem obſeruat.]

Responsio.

Tandem poſt multas ambages Author redit ad propoſitum,& ſcopum ſuum penitus explicat. Sed quia loqui neſcit,niſi omnis generis errores in ſuo diſcurſu immiſceat,eo modo Venetorum Principem depingit,ac ſi eſſet Monarcha abſolutus. Dicit quod ſit naturalis Dominus ſui ſtatus.Si ita eſt,Reſpublica Veneta libertatem perdidit,nec verè vocari poteſt Reſpublica,quia Dominum habet & na-

turalem Dominum. Dominus eſt ille, qui de ſuo facere poteſt quod vult, vendere illud, donare, impignorare, commutare. Dominus autem naturalis eſt, qui dominium habet ex hæreditate, ſucceſſione ſanguinis, aut ortu, non electione, aut donatione. An conueniat Duci Veneto, hoc modo, vt ſit naturalis Dominus ſtatus Veneti, ad iudicium vniuſcuiuſque, qui res eius Reipublicæ nouerit, me remitto. Vlterius dicens hic author quod Princeps Venetus non cognoſcat ſuperiorem in temporalibus, excepto Deo, quid eſt hoc aliud, quam facere eum dominum abſolutum, vt ſunt Reges, in quos Reſp. omnẽ ſuã poteſtatẽ tranſtulit? Verũ ſi Reſp. Veneta vera & libera Reſp. eſt, vt ipſa prætendit, non tranſtulit omnẽ ſuã poteſtatem in Priecipẽ, ſed ei illam partem communicauit, quæ ſibi placuit, quam etiã augere & minuere, totámque auferre poteſt, vti etiam Principem pœna mortis punire, quando ſe Dominum faceret, vt iam ſemel exemplum ſtatuit in perſona Marini Fallerii, ac conſequenter Dux Venetus, non ſolùm pro ſuo ſuperiori in temporalibus, recognoſcere debet Deum, ſed etiam Rempublicam, aut vt melius dicamus magnum Concilium. Sed relinquamus iſtos errores, qui ſi Venetos non premunt, multo minus exteros prement. Veniamus ad punctum controuerſiæ. Affirmat hic Author, Ducem Venetum non committere peccatum ſtatuendo leges in præiudicium Eccleſiæ, vt ſcilicet incarcerentur Eccleſiaſtici, quam ob cauſam reprehenſus eſt à ſummo Pontifice, & dum eidem non obediret, excommunicatus eſt, & quod peccatum non committat tripliciter probat. Primò, quia habet à Deo poteſtatem immediate in perſonas & bona

bona Eccleſiaſtica. Secundò, quia hac poteſtate, nec per priuilegia conceſſa, nec canones acceptatos priuatus eſt. Tertiò, quia in poſſeſſione eſt tempore iam immemorabili. Prima ratio falſa eſt, non ſolum ob ea quæ diximus in primæ propoſitionis refutatione, ſed etiam ob id, quod ipſe Author adiungit eo in loco, & per euidentem experientiam. Dicit enim Author eo in loco: Ducem punire poſſe Eccleſiaſticos in caſibus grauibus & atrocibus, quod ſignum eſt, quod à Deo non habeat immediatè poteſtatem, ſed ab aliquo alio, qui eam limitatè conceſſit: Si enim de iure diuino immediate poteſtatem habet in Eccleſiaſticos, haberet in omnes exceſſus tam graues, quam leues, atroces quam non atroces. Dicit ſimiliter, Ducem diſponere poſſe de bonis ad Eccleſiaſticos nec dum deuolutis, quid ea limitatio ſignificat? aliud nihil, quam quod non habeat poteſtatem abſolutam in bona Eccleſiaſtica, atque ideo non habere à Deo immediate, nam ſi hoc modo haberet, nemo eius poteſtatem reſtringere, & limitare poſſet, vt nemo pontificis poteſtatem limitare poteſt. Ad hæc quæro, an Reſpublica imminuere & augere poſſit authoritatem Ducis, & eum à magiſtratu deponere, ſi ad modum legum Venetarum non viuat nec ne? certum eſt poſſe, alias enim libera non erit, Dux ergo immediate à Deo poteſtatem non habet, ſed à Republica, & ita poteſtas Ducis humana eſt, limitata ſubiecta poteſtati maiori etiam humanæ. Secunda ratio ſimiliter falſa eſt: Quia ſi Dux aut princeps non eſt ſpoliatus poteſtate ſua per priuilegia conceſſa ab ipſo perſonis Eccleſiaſticis, hoc ideo eſt, quod ſpoliari non poſſit niſi veſtitus: & princeps Venetus non fuerit vnquam tali poteſtate veſtitus, cum Reſ-

publica Veneta modo exorta ſit, quando Eccleſiaſtici,à poteſtate laica iam exempti erant. Quamuis etiam dici poſſit,dum laicus fit Eccleſiaſticus, tunc principem priuari ſua poteſtate; quam in talem perſonam habebat ob priuilegium diuinum Eccleſiaſticis datum, & canones plurimos à tota Chriſtianitate receptos,quibus nec vllus princeps, nec omnes ſimul derogare poſſint, vt paulo ſuperius demonſtrauimus authoritate Soti & Couarruuiæ, quos pro ſe allegauerat aduerſarius.Et ſi non fuiſſet alius,ſufficere debuiſſet canon ille famoſiſſimus, Si quis ſuadente,17.q.4. vbi omnes illi excommunicantur, qui violentas manus iniiciunt clericis aut monachis,reſeruata abſolutione ſedi Apoſtolicæ; nec ibi excipiuntur principes,aut alij Domini ſæculares. Et hic Canon non modo nunquam fuit reuocatus,ſed Martinus V.in concilio Conſtant.cum vellet mitigare ſeueritatem illius excommunicationis, nihilominus excepit eos, qui notorie iniiciunt manus in perſonas Eccleſiaſt. tales enim ſine alia declaratione voluit vitari, neque illis prodeſſe hanc ſuam indulgentiam. Tertia ratio poſſeſſionis immemorabilis,refutatur ipſiſmet verbis Venetorum,non enim aliam ob cauſam anno 1605. renouarunt legem quandam,aut vt illi vocant partem factam iam anno 1536. ne Eccleſiis donentur bona immobilia,niſi,quod nunquam vſque ad hoc tempus obſeruata fuiſſet,vt ij ipſi fatetur.Accedit hiſce: quæ poſſeſſio,quæ conſuetudo valere poteſt aduerſus veritatem,charitatem,& iuſtitiam? atque ideo enormis falſitas nimis eſt; Ducem Venetum non peccare, dum eiuſmodi leges ponit, & perſonas Eccleſiaſticas in carceres coniicit.

Deinde

Deinde qui tempore hoc videt aut audit grauiſſimos & horrẽdos Ducis Veneti, quos perpetrat exceſſus, dum ſacerdotes & religioſos in vincula coniicit, ad violandum interdictum Apoſtolicum Eccleſiaſticos cogit; monaſteria militibus implet; & demum ceu Valens quandoque Imperator, & Hunericus Vandalorum Rex Arrianus vterque, publica perſecutione Eccleſiam moleſtat, qua ratione dicere poteſt, Ducem hunc non peccare, niſi fortè à paſſionibus ſuis occæcatus, &, vt inquit Apoſtolus, in reprobum ſenſum datus ſit. Omitto alia Authoris, vbi dicit, quod non peccet, qui non agit contra legem, nec qui obſeruat legem, nec qui ſequitur doctrinam S. Pauli, ſunt enim res notæ nimis, & dignæ potius leuiculo puero, quam graui Theologo. Verum vltima cenſura quam adhibet author, dum ait, eos qui tenent exemptionem Eccleſiaſticam, eſſe de iure diuino, ſibi videri, modo parum fundati, modo parum circumſpecti, modo nimij adulatores, non eſt cenſura lata aduerſus homines, ſed blaſphemia in Spiritum ſanctum prolata. Cum enim hæc ſententia expreſſa ſit à Conciliis generalibus Lateranenſi, & Tridentino, & vere dicatur concilia generalia congregata eſſe à Spiritu ſancto, atque ideo rectè dicatur cum Concilio primo Hieroſolymitano: Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nonne ſequitur, quod Spiritus ſanctus modo parum ſit fundatus, modo parum circumſpectus, modo nimis temerarius, modo nimis adulator, ſi aduerſarius in ſua cenſura non mentitur.

PROPOSITIO SEPTIMA AVTHORIS.

[Dum igitur ſereniſſima Reſpublica culpa digna

non eſt, nec peccatum committit, faciendum id de quo præcedenti propoſitione diximus, &, ideò à Paulo V. ſummo Pontifice in breui cenſuræ ab ipſo publicatæ excommunicata eſt, & locis ſacris interdi cta, &c. nulla eſt eius ſententia, non ſolum de iure poſitiuo, ob non ſeruatum ordinem præſcriptum à Canone de ſententia excommunicationis in 6. vt in Manifeſto legitur: ſed etiam de iure diuino, quia poteſtas excommunicandi conditionata eſt, ſi peccauerit in te frater tuus, atque ideo vbi noxa nō eſt, nō habet locum excommunicatio, & ſententia lata in non habentem peccata nulla eſt ob defectum materiæ. Nec ſit aliquis tam rudis ingenij, qui cogitet, licet ſereniſſima Reſpubl. vt probauimus, non peccet, retinendo quod ſuum eſt, nihilominus peccare dum detrectat obedire Pontifici, & in opinione ſua perſiſtit. Conſtantia enim in opinione bona, non eſt obſtinatio, & peccatum non habens, non debet dici inobediens aut pertinax: qui enim obſeruat legem, facit opus ſanctum & meritorium, & qui non obedit in rebus, quæ ſibi iniungi non poſſunt, peccatum non committit.

Responsio.

Duo affirmat aduerſarius in hac propoſitione: Primum eſt excommunicationis ſententiam publicatam à ſanctiſſimo noſtro Paulo Papa V. nullam eſſe de iure poſitiuo. *Quod non fuerit obſeruatus ordo præſcriptus à Canone de ſententia excommunicationis in* 6. Alterum eſt, nullam eſſe de iure diuino. In vtroque manifeſte errat. Dicit ergo primo, eam ſententiam nullam eſſe de iure poſitiuo, quod non ſit obſeruatus ordo præſcriptus à Canone de ſententia excom-

excōmunicationis in 6.Primū notorie falſū eſt,quia in titulo de ſententia excommunicationis in 6.Tres ſunt tantum Canones,qui ordinem iudiciarium determinant. Capite primo præcipitur, vt ſententia proferatur in ſcriptis.In cap.ſolet.ſtatuitur, ne quis excommunicetur poſt appellationem.In cap. ſtatuimus. iubetur, ne quis excommunicetur, niſi prius de ea certior fiat, id eſt, niſi præceſſerit trina monitio. Et licet quilibet defectus non faciat ſententiam nullam, nihilominus hac excuſatione non habemus opus: Sententia enim ſanctiſſimi Domini noſtri, facta eſt in ſcriptis præuia trina monitione, octo diebus pro primo, octo pro altero,& totidem pro tertio termino aſſignatis. Nec interpoſita eſt appellatio, nec, cum Papa ipſe ſit ſupremus Iudex,interponi potuit. Atque ideo obſeruatus eſt exactè integer ordo iudiciarius præſcriptus à Canonibus de ſententia excommunicationis in ſexto. Decebat aduerſarium producere Canonem aliquem,& docere,qua in re non fuerit obſeruatus, ſed quia facere hoc non poterat, ſuffecit ei terminis hanc rē generalibus ſolum attigiſſe & decepiſſe ignorantes. Vlterius dicit, quod ſententia ſanctiſſimi nulla ſit de iure diuino ex defectu materiæ,quia excommunicatio pœna eſt, quæ abſque culpa infligi non poteſt, atque ideo cum Reſpublica peccatum non habuerit,eam non potuiſſe excommunicari.

Ad hoc reſponſum eſt, & demonſtratum, quod grauiter peccarit maxime ſtatuendo iniquas Eccleſiæ leges, incarcerando perſonas Eccleſiaſticas, & præter hæc manendo inobediens, nolenſque res malefactas emendare & corrigere. Et ſi dubium fuiſſet, num Reſpublica peccatum haberet, necne cer-

tum eſt eius rei iudicium non ad Rempublic. ſed ad Pontificem, tanquam iudicem ſupremum pertinere. Quod quidem nec aduerſarius negare poteſt, qui quarta propoſitione aſſeruit, Papæ poteſtatem eſſe ſuper peccata: ſi igitur Papa iudex eſt ſuper peccata, ad ipſum pertinebit diſcernere, an res peccatum ſit, necne, quemadmodum in figuram huius rei in veteri Teſtamento ad ſacerdotes pertinebat iudicare leproſus ne aliquis eſſet, nec ne. Cum autem ſummus Sacerdos iam iudicauerit Ducem Venetorum grauiter peccaſſe, & infectum eſſe lepra ſpirituali, atque ideò eum à conſortio fidelium mediante excommunicatione ſepararit, quo modo defendi & excuſari poteſt? Dicere autem, conſtantiam in bona opinione non eſſe pertinaciam, verum eſt, quam diu quæſtio dubia eſt, ſed quando à Iudice iudicata & definita eſt, qualis hæc eſt de qua loquimur, perſuaſio eius, qui Venetorum partes defendendas ſuſcepit, non eſt amplius opinio, ſed error, & conſtantia in ea pertinacia eſt.

Octava Propositio Avthoris.

Verum eſt S. Gregorium docere. Sententia Paſtoris iuſta ſiue iniuſta timenda eſt, ſed ad hoc netium ea ſententia accommodari non poteſt, quia magna eſt differentia inter ſententiã Iudicis Eccleſiaſtici, quæ iniuſta eſt, & eam quæ nulla eſt, vt doctiſſimè obſeruarunt Nauarrus de cenſuris Eccle. cap. 27. & Sotus 4. ſentent. d. 22. & iniuſta quidem timenda eſt, nulla tamen obſeruanda non eſt. Quapropter cum cenſuræ publicatæ à ſummo Pontifice Paulo V. vt dictum eſt, nullæ ſint, ſunt enim ceu ſcriptum aliquod in aere aut aqua formatum, hoc eſt, ſine ſuſtentaculo & materia, cenſeo eas non debere obſer-

obſeruari, in Eccleſia quoque veſtra nihil innouandum eſſe.

RESPONSIO.

Quemadmodum Aduerſarius ex falſis principiis concludit ſententiam ſummi Pontificis, quia inualida & nulla eſt, non eſſe timendam, ac conſequenter ſacerdotes Venetos in ſuo dominio celebrare poſſe diuina officia, ac ſi interdictum non ſtaret: ita cum nos omnia eius argumenta proſtrauerimus, vanáque fundamenta deiecerimus, demonſtrando ſententiam Domini noſtri Pauli Papæ V. validam & iuſtam, atque ita firmam & ſolidam eſſe, ac ſi marmori aut æri inciſa eſſet, ſecurè inferimus, quod timenda ac obſeruanda ſit, atque ideo Sacerdotibus Venetis, & ſub eorum Dominio exiſtentibus omni diligentia ſeruandum eſſe interdictum illud, niſi offendere velint Maieſtatem diuinam, & perdere ſalutem animarum ſuarum & populorum. Et hæc circa has octo propoſitiones dicta ſufficiant. Verùm quia aduerſarius ſub finem propoſitionum ſuarum, inter alia impertinentia multos errores admiſcet, paucis vnum poſt alium detegendum duximus.

Primò ait, ſecundum doctrinam Nauarri ſententiam excommunicationis, quando nulla eſt timendam eſſe & obſeruandam, tam diu quouſque populus de nullitate eius ſufficienter inſtruatur, & hoc ad euitandum ſcandalum. Et adiungit populum plenè de nullitate excommunicationis per Ducis edictum inſtructum eſſe. Hoc nihil aliud eſt dicere, quam dicere, quod quando Iudex affirmat ſuam ſententiam eſſe iuſtam & validam, reus verò eam iniuſtam & nullam pronunciat, tunc reo creden-

dum eſſe non Iudici. Doctrina certè Theologo tali digniſſima. Et quæ ſententia erit vnquam, iuſta & valida, vbi reo credendum fuerit? Secũdo dicit quod excuſare non poſſit religioſos quoſdam, qui maluerunt Venetiis excedere potius, quam officia diuina peragere, in quo plurimos ſcandalizarint. Excuſatione opus nõ habent hi religioſi, & ſi ob obedientiam eorum erga Pontificem nonnulli ſcandalizati ſint, opus erit, vt dicatur illis, quod ſaluator aliquando Phariſæis dixit. Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum, Matth. 15. Tertiò, dicit defendere libertatem Principis ſui naturalis, iuris eſſe diuini, ſententiæ autem Eccleſiaſticæ ſunt de iure humano, quod iuri diuino cedit. Multũ olei videtur hic Doctor perdidiſſe in iure diuino, quod hoc ei ad ſingula verba in buccam veniat, ex quo etiam naſcitur, quod tam diuinè argumentetur. Defendere libertatem Principis eſt de iure diuino, ius humanum cedit iuri diuino, Sacerdotes igitur ad defendendam Ducis ſui libertatem contemnere debent excommunicationes & interdictum Papæ, Sed nos reſpõdemus, ſi iuris diuini eſt defendere libertatem Principis alicuius terreni, multo magis de iure diuino erit defendere libertatem Eccleſiæ, quæ ſponſa eſt cœleſtis Principis: vlterius dicimus, quòd libertas, quam hoc tempore Dux Venetus prætendit, ſit libertas coniiciendi in carceres eos, qui ſubditi eius non ſunt, & ſtatuendi leges, contra iuſtitiam & pietatem, ac proinde de iure diuino eſt eam non defendere, ſed impugnare potius. Quibus adiungimus ſententias Eccleſiaſticas, quantum ad poteſtatem eſſe de iure diuino, & in Euangelio fundatas Matth. 18. Quarto dicit aliquos decipi putantes, controuerſiam

uerſiam hanc de fide eſſe, cùm ſit ſolum de moribus,&ſi aliquid eius expreſſum ſit in ſcriptura,quod faciat negotium fidei, eſſe illud pro opinione Reipublicæ Venetæ,ſic expreſſe à S.Paulo edoctæ. Reſpondeo principalem controuerſiam non eſſe de fide:ſed eos qui ſuſciperunt patrocinium & defenſionem Reipublicæ Venetæ, immiſcuiſſe in ſuis tractatibus errores in materia de fide.Et aduerſarius, qui ſolita ſua prudentia ait,quod opinio Venetorum à S.Paulo edocta ſit,non aduertit eas res, quę à Sancto Paulo expreſſe edoctæ ſunt, non poſſe nominari opinionem,ſequeretur enim, quod dubitari poſſit de doctrina Sancti Pauli,cum opinio incerta ſit & dubia. Veritas eſt,quod opinio Venetorum nullo modo in D. Paulo inueniatur, ſed bene in Sancto Paulo epiſt.ad Hebr.ca.13. ſcriptum reperitur:Obedite Præpoſitis veſtris,& ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, tanquam pro animabus veſtris rationem reddituri.Et contra hanc doctrinam,quæ non opinio,ſed catholica & certiſſima fides eſt, agunt hoc tempore Veneti, decepti à ſimilibus vobis,non Doctoribus, ſed ſeductoribus.

Quinto dicit,Sacerdotes non debere ſeparari à capite ſuo,quod eſt Princeps, Quid aliud dicit Proteſtantium hæreticorum aliquis in Anglia? Quis vnquam audiuit Principem ſæcularem caput eſſe Sacerdotum,ac conſequenter caput Eccleſiæ,niſi poſt quã Rex Angliæ Heinricus VIII.deſciuit à Papa, & nominari voluit caput Eccleſiæ Anglicanę? Et tamẽ ait iſte,quod nõ de fide,ſed de moribus ſit quæſtio?

Sextò,laudat Eccleſiaſticos Venetos, qui parati ſunt ad exponendam vitam pro Principe ſuo. Noua iſthæc eſt ſpecies Sanctorũ,qui exponere volunt

vitam pro Principe, cogente eos ad perpetranda ſacrilegia,& ne obediant Vicario Chriſti: Hactenus in laudem Sanctorum lectum eſt in officio diuino, Iſti ſunt triumphatores, qui contemnentes iuſſa Principum meruerunt præmia æterna. Deinceps dicendum erit. Iſti ſunt triumphatores, qui contempſerunt Deum, vt ſeruarent iuſſa Principum, ſi his nouellis Doctoribus fides adhibenda eſt.

Septimò dicit, Venetos ſtatuiſſe pœnam religioſis, niſi Eccleſias apertas permittant, & celebrent officia diuina, ne ſcilicet vano timore hæc intermittantur in ea ciuitate, quæ ſemper catholica fuit, & iam magis, quam vnquam ſe talem eſſe palam profitetur. Ad hoc non ego reſpondebo, ſed dabo locũ Spiritui ſancto, vt ipſe reſpondeat per os Samuelis, 1.Reg.15. Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia quam victimæ, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & ſcelus Idololatriæ nolle acquieſcere. Et vt non dicatur fieri hic ſermonem de obedientia Deo debita, audiat quid dicat Dominus Luc.10. Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit. Itáque certò ſciat Reſpub. Veneta diuina officia & ſacrificia Deo facta contra obedientiam Vicarij Chriſti, Chriſto non placere, neque placare, ſed magis excitare iram Dei aduerſus offerentes, & eos, qui Sacerdotes ad offerendum compellunt.

Octauo monet, vt doctrina Nauarri fundatiſſimi Doctoris in cap. nouit. de Iudiciis not. 3. & in manuali c.27. de cenſuris legatur, dicens ſe eum in omnibus

omnibus ſupradictis fautorem habere. Adhortatur demum, vt quicunque periculum declinare velit ſe recipiat ad ſecuriſſimum notabilis illius doctrinæ portum: quod ſinguli Eccleſiaſtici, ſi aliqua exceptione gaudent, ea gaudeant non iure diuino, ſed ex priuilegiis Principum, quæ ab ipſis reuocari, minui, & pro arbitrio ampliari & extendi poſſunt. Reſpondeo immeritò Nauarrum ab eo adferri, ac ſi faueret erroribus eius hucuſque edoctis. Et quia libri impreſſi ſunt, & ab omnibus paſſim feruntur ad iudicium Lectoris me remitto. Sed quod Principes ſeculares reuocare poſſint, aut minuere priuilegia exemptionum, quæ habent Eccleſiaſtici, eſt doctrina tam falſa & recens, quod, vt ſuperius diximus, in ſpecie ipſe Couarruuias eam improbauerit, qui vnus tamen eſt authorum Eccleſiaſtici exemptioni, haud benè fauentium.

Cum iam ſatisfecerim, vt exiſtimo omnibus huius Authoris obiectionibus, reſtat ſolum, vt moneam, exhorter & orem, (vt ex toto corde facio) nobiliſſimam illam Rempublicam, & ſereniſſimum eius Principem, vt bene conſiderent, quibus Doctoribus ſe credant. Et vt longius non procedam, hic Doctor, cui reſpondeo, ait Nauarrum totum ſibi fauere, & tamen Nauarrus in ſumma c.25.num.16.ait, peccatum eſſe Eccleſiaſticos cogere, aut eiſdem præcipere ne ſeruent interdictum. Et capite Nouit. de iudiciis notab.6.num.30. Clericos & Monachos exemptos eſſe à poteſtate Principum ſæcularium iure diuino, quantum ad cauſas criminales, ſpirituales, & alia Clericatui annexa, & ſubiungit hanc eſſe communem ſententiam Theologorum & Canoniſtarum. Igitur ex ſententia Nauarri peccat contra

ius diuinum Princeps ille, qui coniicit in carceres Eccleſiaſticos & Monachos, aut eoſdem præſumit iudicare in cauſa criminali: Et ſimiliter peccat contra ius diuinum, quando Clericis aut Monachis præcipit, vt Miſſas celebrent, aut diuina officia, ſunt enim hæ res ſpirituales, & demum peccaret contra ius diuinum, ſi eam exemptionem, quã Monachi & Clerici habent à Deo, proſus tollere aut minuere niteretur. Ecce igitur quam falſa docuerit hic Doctor, & quemadmodum ſub nomine Nauarri vobis impoſuerit. Similiter faciunt omnes alij, à quibus huc vſque ſimilis materiæ libri referti omnes nouitatibus, & mendaciis, in lucem prodierunt. Admoneo ſimul, & rogo, vt cogitetis neminem filiis melius velle, quam Patrem & Matrem, & ideo dixiſſe Paulum etiamſi multos habeatis Pædagogos, non tamen habetis multos Patres. Mater veſtra eſt ſancta Eccleſia Romana, Pater veſter eſt ſummus Pontifex, qui loco Chriſti vos nutrit, & educat, donec perfecti ſitis & capaces hæreditatis Paradiſi. Ideo præſupponere debetis multo melius vobis velle hanc matrem, & hunc patrem, quam Pædagogos iſtos, qui vos contrarias regulas docere conantur. Vltimo tandem exhortor, & obſecro, attendatis diuina iudicia, quæ ſæpius etiam in hac vita manifeſtata ſunt. Legitur in vita Stanislai Epiſcopi & Martyris Papam Gregorium VII. ob peccata Regis Boleslai tuliſſe interdictum in vniuerſam Poloniam, excommunicaſſe Regem, eidemque abſtuliſſe regium titulum. Mãſit prædictus Rex induratus & impœnitens. Deus eum caſtigauit, faciens vt incolis contemptui, exteris vero execrationi eſſet. Nec hoc conuertebatur, ſecũdum flagel-

lum

lum ſubiunxit Deus,vt vna pars regni rebellaret, in altera diſſenſiones, & ſeditiones graues oborirentur. Nec hoc ſuffecit,adiunxit tertium flagellum, vt ceu mente captus, dum per ſyluas vnà cum canibus errabundus diſcurreret,tandem quodam die repentina morte corrueret, & à propriis canibus diſcerperetur. Ecce finem horrendum eius, qui excommunicationem & interdictum Vicarij Chriſti ſpreuit, & nihilominus hic nunquam auſus fuit præcipere, ne excommunicatio & interdictum ſeruaretur. Eundem finem habuit Ludouicus Bauarus Imperator, qui contẽnens cẽſuras Papæ Ioannis XXII. & poſt hunc Papæ Benedicti XII. quodam die ex improuiſo irruẽte ſuper eum equo, ſubitanea morte extinctus tantum ſpatij reliquum non habuit, vt abſolui à peccatis & cẽſuris potuerit, vt ſcribit Ioãnes Villanus l.12. c.105. Idem Deus modo eſt, qui tunc,eiuſdem potentię cuius tunc;atque ideo ſi tam ſeuerè puniuit eos, qui ad contemnendum cenſuras neminem impellebant, ſed ipſi ſolum eas ſpernebant, inſoliti nihil faceret, ſi hoc tempore puniret eos, qui non ipſi ſolum cenſuras nihili faciunt, ſed minis mortis quoque alios ad earum contemptum impellunt. Obediamus ergo Spiritui ſancto, qui in Pſalmo nos exhortatur:Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Et alibi: Nolite tangere Chriſtos meos.Et alibi: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Apprehendite diſciplinam,ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.

FINIS.

Digitized by Google

DEFENSIO IOHANNIS MARSILII,

IN FAVOREM RESPONSI OCTO PROPOSITIONES continentis:

Aduerſus quod ſcripſit Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dom. Cardinalis Bellarminus.

Prouerb. cap. 1.

Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.

VENETIIS.

Apud Robertum Meietum.

M. D. CVI.

Cum licentia Superiorum.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

PROOEMIVM

CVm nuſquam viderem in lucem prodire defenſionem octo Propoſitionum ab Illuſtriſſimo Domino Cardinali Bellarmino impugnatarum, ſicuti rumor erat intra paucos dies proditurам:auſus ſum, eo zelo motus quem in fidelium corde accendit Chriſtiana charitas, rem aggredi, certus hunc laborem nec Domino Deo diſplicere poſſe, qui eſt ipſiſſima veritas, pro qua ſcribere intendo:nec Sereniſſimæ huic Reipublicæ, cui inſeruio pro puſillo eo talēto quod diuinæ Maieſtati placuit mihi concedere:pro cuius defenſione credendum ſine dubio, octo illas propoſitiones cõſtitutas fuiſſe:vt appareat, infamatam eſſe immeritò veram & Catholicam doctrinam, eiúſque Authorem pro bono opere, vt ita dicam, lapidatum, (Ioh. 10.) quaſi blaſphemaſſet.

Hoc qua potero perſpicuitate & ſynceritate, præſtare conabor, vt ne vnus quidem ſit qui non animaduertat valida cum ratione de his qui iuſtam & æquam Seraniſſimæ Reipublicæ cauſam impugnãt, id dici poſſe quod ad rem eandem regius Propheta dixit, Pſ.63. Sagittæ paruulorum ſunt factæ plagæ eorum.

Reſpondebo ea modeſtia quam docet Apoſtolus, Philip.4. ad ea omnia capita quę Dominus Cardinalis immeritò reprehendit: nec magnus eorum numerus me terrebit qui contrariam opinionem ſectari poſſent, modò conſtantiæ adhæream Prophetæ Micheæ, Reg.3.c.22. ſiquidem veritas, modò

ædificium firmetur, cœleſtis Architecti conſilio, [Supra firmam petram,] (Matth.c.7.Lucæ c.6.)

Precor Dominum Deum, veri omnis hominis fontem perpetuum & inexhauſtum, vt mentem meam illuminare velit ad cauſæ tam iuſtæ & æquæ defenſionem.

Beatiſſimam item Virginem, ſanctiſſimam ipſius matrem, vt religioſiſſimæ ſuæ Ciuitatis rationes, ſicut anteà ſemper, velit protegere: nam ſi meritò Roma vocatur [Ciuitas Petri,] hæc etiam, quòd ſanctiſſimæ Annunciationis ipſius die fundata fuerit, & ob perennia ab ipſa, omni occaſione accepta beneficia, quódque ſemper in Religione & libertate Virgo fuerit, meritò [Ciuitas Virginis,] nuncupari poteſt.

Glorioſum denique Euangeliſtam S. Marcum, ſub cuius alis militamus, ſcriptorem peculiarem, & præconem magnificum Triumphi Chriſti Saluatoris noſtri, vt protectione ſua continuáque interceſſione nobis adeſſe velit, quò liberi à periculis, ea pace frui poſſimus, quam ipſe Dei nomine in illo ſuo ſemper aperto nec vnquam clauſo libro nobis pollicetur.

De Artificiis Domini Cardinalis.

PRimum artificium fuit, non priùs dictum tractatum editum fuiſſe, quàm à Dominorũ Cardinalium conuentu Romæ ad res conſimiles deputato, è quorum numero eſt Dominatio ſua Illuſtriſſima, prohibitus fuerit, cum omnibus illis ſcriptis quæ tunc temporis prodierunt, circa rẽ Dominorum Venetorum, nullam dictæ prohibitionis peculiarem cauſam adducendo, ſed tantùm generales quoſdam titulos & reſpectus. At ne ſana & Ca-

tholica doctrina ſepulta maneret, cum infamatione perpetuáque ignominia nominis nondum cogniti Catholici eius doctrinæ authoris: arcanum & altiſſimum Dei iudicium permiſit vt ab vna parte celebris & magnus impugnator ſuſcitaretur: ab altera verò propugnator nō minùs humilis ac demiſſus quàm Catholicus: qui altiſſimū Charitatis præceptum prohiberi non poſſe cognoſcens, nec minùs illud inculpatæ tutelæ, quod ab humana aliqua lege iuxta diuinam conceditur, & in multis caſibus titulo præcepti imperatur, doctrinam illam defendendam ſuſcepit, non ſolùm ne ipſe author, eiúſque doctrina ſine defenſione manerent, verùm etiam quia cùm liber ille ſpeciatim cauſæ ſuę, ipſam Chriſtianiſſimæ Reipublicæ Venetæ, omniúmque Principum Chriſtianorum cauſam adnexam habeat, iudicauit, nulla ratione prohiberi poſſe, vt dum Domini quidam Cardinales in poteſtatis ac iuriſdictionis eorum præiudicium & diminutionem ſcribunt, ipſorum etiam fideles ſerui ac ſubditi defenſionem ſuſcipere, totíſque viribus ipſorum authoritatem firmare non poſſint, non ſecus ac dicti Domini Cardinales Pontificis Romani authoritatem modis omnibus augere & ampliare contendunt, cùm multò magis quod ſuum eſt defendere, quàm alienum captare, purgare ſuum factum, quàm offendere concedatur.

Iam vt hoc iuxta meam obligationem, æquiſſimúmq; meum optatum fiat, ab ipſo limine, vt omnem, etiam apparentem hoc opus prohibendi occaſionem tollam, Proteſtor corā Sanctiſſimæ Trinitatis Conſiſtorio, corā immaculata Virgine Dei matre, totáq; cœli aula, coram eo tribunali quod de

operibus

operibus meis, & maximè occultis ac reconditis meis cogitationibus iudicium feret, mihi in hoc opere non eſſe animum aliam quàm Catholicam & Oecumenicam doctrinam tenendi, méque non ſolùm vlli Sacræ & Canonicæ Scripturæ textui à Domino Cardinali allato, alitérve, nõ repugnaturum, ſed neque vlli Eccleſiæ vniuerſalis definitioni, tanquam de fide, quinimò non dicturũ me quicquam quod à Catholicis Doctoribus dictum, defenſum, & confirmatum non ſit, ipſorum ſententiam, quantum potero réſque poſtulabit, ad verbum adducendo: quúmque per imprudẽtiam ſecus facerẽ, quod, Deo dante, non futurum ſpero, hac de re monitus, promptus ero ad retractandum, gloriæ adſcribens, quum in ſcriptis meis errarem, id facere quod pluribus libris fecit illud tam humile quàm ingenioſum huius noſtræ Occidentalis, Eccleſiæ lumen ſplendidiſſimum, D. Auguſtinus. Secundum eſt, dum verbis Authoris expoſitionem ſenſui eiúſque menti contrariam tribuit, vt inde concluſiones eliciat quos reprehendat modò vt hæreticas, modò vt ſchiſmaticas, modò vt erroneas, modò vt temerarias, modò vt ſcandaloſas, modò vt fatuas: ídque hac loquendi formula, ſi author ſic intelligat, benè loquitur, ſin hoc alio modo, propoſitio eſt hæretica, erronea &c. qua ratione quis non videt poſſe reprehendi non ſcriptorem ordinarium, ſed omnes Sacræ ſcripturæ textus, vt exempli gratia dixit Dominus noſter Ieſus Chriſtus (Ioh. c. 14.) quia Pater maior me eſt, aliquis ad imitationem Domini Cardinalis dicere poſſet, ſi hanc propoſitionem intelligat de Diuinitate, eſt hæretica, nam qualis Pater, talis Filius: Symb. Ath. verum ſi de humanitate intelli-

gat, veriſſima eſt & Catholica : atque ſic pergere in ſingulis, quærendo, vt dicitur, in ſcirpo nodum. Quum propoſitio dubia videtur, ſolet ſemper, quoad fieri poteſt, in meliorem partem accipi, iuxta ſynceritatem charitatémque Chriſtianam, quod etiam ipſe Dom. Cardinalis docet, de Gerſone loquens fol. 81. ſuæ Reſponſionis, vbi ſic ait : Quamuis verum ſit potuiſſe Commiſſarium ea verba prætermittere, cenſuram tamen adeò rigidam non merentur, qualis hæc Gerſonis, qui in malum ſenſum accepit quod in bonum accipere poterat. Hæc ſunt Domini Cardinalis verba, quæ miror ipſum octo propoſitionibus reſpondendo non obſeruaſſe, eóque magis quod vbique legitur Apologia ſuæ Dominationis Illuſtriſſimæ, quamuis manuſcripta contra Carerium, in qua ſæpe obiicit ei, quòd immeritò ipſum reprehenderit, propoſitiones ſuas in malum ſenſum detorquendo, cùm eas in bonum accipere & interpretari potuerit.

Tertium eſt, dum materias confundit: vnde è tanta confuſione ſimiles concluſiones emergunt: vt exempli gratia Author de Principis ſecularis poteſtate verba faciens, ait poſſe illùm in omni materia leges condere, temporali videlicet, & iuxta ſuum finem, quæ vltima verba quamuis non dicantur, neceſſariò tamen ſubaudiuntur, quandoquidem pro more præſupponit Si eſt, & quid eſt quod dicitur, vt res notas, nimirùm dari poteſtatem temporalem, & hoc nomen res tantùm temporales, non verò ſpirituales complecti: quam rem ſua Dominatio Illuſtriſſima ſimulans non intelligere, concludit, Si Princeps temporalis po-

teſt

teſt in omni materia leges condere, ergo poteſt leges conſtituere, vt Sacerdotes nubant, item de modo celebrandi miſſam, & eiuſmodi: hac autem ratione quis non videt doctrinas veneno infici, vt refutentur? Sed author, quantum ex attenta ipſius operis lectione agnoui, nulla alia in re laborat, præterquàm in duabus hiſce poteſtatibus, temporali nempe & ſpirituali diſtinguendis: adeò vt de vna loquens, in alterius limites non excurrat: & materiam, acta, muniáque vnius deſcribens, ea non confundat cum materia, actis, & muniis alterius, doctrinam ſcilicet obſeruans, à Domino Cardinali aliiſque neſcio qua de cauſa hodie neglectã, Nicolai primi Papæ, in epiſtola ad Michaelẽ: [Cùm ad verum ventum eſt,] loquens de Chriſto Saluatore noſtro, [vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit:] quem locum explicans Illuſtriſſima ſua dominatio, lib.5. de Rom. Pont. c.5. dicit, [Nicolaus primus in Epiſtola ad Michaelem disertè docet Chriſtum diſtinxiſſe actus, officia, & dignitates Põtificis, & Imperatoris, ne aut Imperator iura Pontificis, aut Pontifex iura Imperatoris præſumeret vſurpare.] Eapropter Illuſtriſſimam ſuam dominationem has poteſtates nunc confundere miror, ſiue dum ſiniſtrè authoris verba exponit, ſiue (quod peius) dum has duas poteſtates, vt dicetur, in Pontifice Romano vult confuſas eſſe, vi & iure Pontificatus, quæ omnino diſtinctæ ſunt, non ſolùm excitato textu, ſed etiam eo quod pius Bernardus dicit de Conſid. ad Eugenium Papam l. 2. [Apoſtolis interdicitur dominatus, ergo tu, & tibi vſurpare audes, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolus do-

minatum? Forma Apoſtolica hæc eſt, interdicitur dominatio, indicitur miniſtratio:] atque etiam ſuperiùs dubium illud ſoluens quod fieri ſolet, eſſe adhuc Papam prouinciarum ſuarum Principem temporalem, ex quo has duas poteſtates in ipſo confuſas eſſe colligitur, reſpondet idem Bernardus, [Eſto vt alia quacunque ratione hæc tibi vendices] (de temporali Papæ dominio loquens) [ſed non Apoſtolico iure, nec enim ille dare, quod non habuit, potuit:] quod reſponſum Illuſtriſſima ſua Dominatio valdè probat, lib.5. de Rom. Pontif. cap. 10. adeò vt non poſſint nec debeant hæ duæ poteſtates confundi, ſiue ad authorem redarguendum, ſiue ad oſtendendum Pontificis poteſtatem eſſe illimitatam, contra ipſiuſmet Domini Cardinalis ſententiam, Syncerè alibi propoſitam explicatámque, nunc verò derelictam.

Quartum eſt, dum dicit Authorem ignorare Logicam, & quinque primas Propoſitiones ad rem non facere, vt nempe lector eas tales eſſe putans, in iis expendendis non moretur, atque illud quod tribus vltimis concluditur, portentoſum ipſi videatur. Interim tamen Author ceu bonus Logicus Ariſtotelis præceptum obſeruat, firmans in ſuis argumentis ac euidenter demonſtrans præmiſſarum veritatem, vt inde validiſſimas concluſiones educat, illius axiomatis non neſcius, [Propter quod vnumquodque tale, &c.] adeò vt cùm ſint primæ quinque propoſitiones, præmiſſæ è quibus validè tres vltimæ eliciuntur, abſque quòd author ambages quærat, vt ait Illuſtriſſima ſua Dominatio, eas firmat ac demonſtrat, vt bonum decet Logicum.

Quintum eſt circa typographica quædam errata, quæ, non vt vulgò fieri ſolet, typographo, ſed authori adſcribens, digreſſiones in ea ipſius Domini doctrina & authoritate non dignas facit, vt in eo numeri errore Innocentij III. in quo Typographus I. omiſit, vt ſit IIII. & in illo alio Nouellæ 83. vbi Typographus pro 3. poſuit 5. & in eo D. Pauli, vbi dicit, ſunt enim Miniſtri Dei, quod Authoris ſenſui ſufficiebat, addidit, vt quidem puto per imprudentiam, vocem, ad tributa, quæ in multis exemplaribus pennâ correcta legitur, quamuis mediocri etiam iudicio præditis non fuerit eiuſmodi correctio neceſſaria, cùm ipſa per ſe cognitu eſſet facilis.

Sextum eſt dum per hypotheſes procedit, exempli gratia ponit Papam in temporalibus ſupremam in Chriſtianos authoritatem habere, Poteſtatem temporalem, quà poteſtatem ſpirituali ſubordinari, & id genus alia, quæ non ſolùm pro certis ponit abſque probatione, ſed affirmat hæreſim eſſe ſecus dicere, non oſtendens aduerſus quem ſcripturæ locum, aut Eccleſiæ definitionem, tanquam de fide, ſint eiuſmodi propoſitiones.

Septimum eſt dum ſæpe citat Authores prohibitos, dicens modò ſibi videri placuiſſe authori eorum opinionem, modò hæreticas opiniones illum innouare, nec, vt ſuprà dictum eſt, affirmatiuè dicit hanc opinionem eſſe hęreticam, quia repugnet certo Scripturæ loco, vel certæ Eccleſiæ definitioni. Quot res dixerũt ac dicunt authores hæretici, quę à Catholicis dictę ſunt & ſingulis horis dicũtur? non eſt improbãda doctrina, quod eã hæreticus dixerit,

ſed quidem quia ſit hæreſis, quod minimè probatur, dicendo ſimpliciter, Authorem illum eam pronunciaſſe, verùm addere oportet eiuſmodi doctrinam in illo authore pro hæreſi ab Eccleſia damnatam eſſe. Hic modus loquendi Dom. Cardinalis, plebem & ignaros terrere poteſt, non verò prudentes & oculatos, qui artificium hocce animaduertentes, non modò ſimilibus epithetis fidem non adhibent, ſed nec illis, erronei, temerarij, ſcandaloſi, ſeditioſi, & noui Theologi, ſiquidem alio non nituntur quàm maledicentia & licentia, quam Illuſtriſſima ſua dominatio, & Dom. Cardinalis Baronius ſibi arrogarunt non modò Catholicorum ſcriptorum nomen lacerandi, ſed ipſorum etiam Principum, de quibus, & cum quibus ipſimet ſancti Pontifices, antiquis & fœliciſſimis temporibus, cum incomparabili quadam reuerentia, ac epithetis eminentiſſimis ſemper loquuti ſunt, ipſi verò viciſſim correſpondentes, diuitiis, priuilegiis, & honoribus Pontificiam dignitatem ampliarunt.

Exiſtimans huc vſque ſufficienter eſſe detecta cauto & Chriſtiano lectori artificia Domini Cardinalis, contra miſerum hũc propoſitionum authorem, ad ſecundum caput obiectionum, quas in ſuo proœmio facit Illuſtriſſima ſua dominatio, tranſitus fiet.

RESP.

RESPONSIO

DOCTORIS THEOLOGI

AD EPISTOLAM SIBI SCRIPTAM A REVERENDO AMICO SVO:

De Monitorio Cenſurarum à Sanctitate Pontificis Pauli V. promulgatarum contra Dominos Venetos.

Et de nullitate illarum Cenſurarum è ſacris literis, ſanctis Patribus, aliiſque Catholicis Doctoribus deſumpta.

Reuerende Domine

EPISTOLAM tuam legi, & valdè miratus ſum, quòd ipſe prima quæ occurrunt nuntia ſemper à te accipere ſolitus, ſpeciatim verò vbi me de re quapiam conſulendi ſeſe offert occaſio, hoc tempore, quo in ciuitate veſtra tot rerum maximi momenti rumores vigent, vltimò à te monitus fuerim: interim tamē ſollicitè adeò petis à me quid ſentiam de monitoriis iſtis Pontificiis aduerſus Rempublicam

veſtram editis,ac de proteſtationibus nullitatis harum Cenſurarum ab ea in ſui defenſionem,ſuarúmque rationum fulcrum exhibitis. Ego,licèt poſſem non hallucinari in cauſa concipienda huius tuæ moræ,eámque materiæ difficultati adſcribere,licèt perſuadere mihi non poſſem quis animum tuum ſcrupulus torquere poſſet: nihilominùs tamen in tui gratiam,ab inſolitis quas dicis occupationibus excuſationem tuam deſumam,tibíque pro more gratificari volens,me etiam ea quam optare videris acceleratione vtendo tibi ſatisfacere poſſe arbitrabor: cùm ad id præſertim paratum me videam ob exactiſſimam conſiderationem quam totis hiſce diebus ſuper propoſita materia feriò adhibui. Scire igitur optas ſi benè mentem tuam aſſequor: An Cēſuræ à Sanctitate D.N.Pontificis Pauli V. promulgatæ contra veſtros Dominos Venetos,ſint inualidæ ac nullæ,ſicut in ipſorum Maniſeſto declaratur, adeò vt cùm nullæ ſint,in Eccleſia tua poſſis in ſanctiſſimorum Sacramentorum celebratione,ac in illorum omnium ſacrorum diuinorúmque myſteriorum exercitatione pergere, quæ ante harum cenſurarum promulgationem exercebas, ídq; citra vllum conſcientiæ ſcrupulum.

Vt igitur diſtinctè & perſpicuè reſpondeam his tuis quæſitis,octo propoſitionibus id omne complectar quod ſuper materia propoſita dici poterit, ex Theologorum more,quarum doctrina, ſicut ab omni proprio compendio vel adulatione erit aliena,ſic etiam ſacris literis,ſanctorum patrum dictis expoſitionibúſque & omnipotenti veritatis rationiſque robore nitetur,vt nullus niſi proteruus,eam impugnare audeat.

RESPON.

RESPONSIO CARD. BELLARMINI

AD LIBELLVM INSCRIPTVM:

Reſponſio Doctoris Theologi ad epiſtolam ſibi ſcriptam à Reuerendo amico ſuo, de Monitorio Cenſurarum à Sanctitate Pauli V. promulgatarum contra Dominos Venetos.

BELLARMINVS.

NOVA iſthæc licentia edendi Venetiis libellos, ſine Authorum nomine, ſine ſuperioris Eccleſiaſtici permiſſu, nec tempore, nec Typographiæ loco expreſſis, manifeſtum eſt indicium, inobedientiam cum euidenti fidei periculo in dies augeri. Non enim aliam ob cauſam ſacrum generale Concilium Tridentinum ſeſſione 4. ſub pœna excommunicationis ſtatuit ne libri ſacris de rebus imprimantur ſine Authoris nomine, ſine Ordinarij approbatione, in libri frontiſpicio appoſita, quàm vt aditus hæreſibus occludatur, quæ eiuſcemodi libellis in Ciuitates & Prouincias facilè introduci ſolent. Quiſquis itaque hoc tempore videt Venetias flocci pendere authoritatē ſacri Concilij, excommunicationem ab eo comminatam, ac

præſens periculum hæreſeos: & quotidie libellos prodire erroribus plenos, ſine authorum nomine, ſine vlla approbatione, quid inferat aliud, quàm ciuitatem illam peſte hæretica (quæ non ſolùm animæ, cui fundamentum ſalutis aufert, pernicioſa, ſed etiam totius ſtatus perturbatio & ruina eſt) ſenſim breuíque tempore infectum iri? Sed quia tanto malo remedium efficacius adferre non poſſum, illud quanquam exiguum non intermittam, vt ſcilicet eiuſmodi libellos, quum ad manus veniunt, refutem: ſperans alios me doctiores idem facturos, & quò non peruenerit vna reſponſio perueniet alia, eodémque ſanctæ charitatis Spiritu, fratribus noſtris opitulari conabimur, Deum omnipotentem orantes, vt oculis miſericordiæ aſpiciat eos, qui ſe iuſto eius iudicio in ſenſum reprobum datos oſtendunt.

Incidit in manus meas cuiuſdam libellus qui ſe Theologiæ doctorem nominat, & reſpondet, aut ſaltem fingit ſe reſpondere amico cuidam Sacerdoti, à quo interrogatus fuerat, an cenſuræ à Paulo V. aduerſus Venetos publicatæ validæ aut inualidæ ſint, & vtrum non obſtantibus iſtis liceat ſibi in ſua Eccleſia celebrare diuina myſteria, & adminiſtrare ſacramenta, prout anteà ſolitus erat. Reſpondet verò ſupradictas cenſuras & nullas & inualidas eſſe: ac proinde Sacerdotes Venetos, & alios eiuſdem dominij, poſſe vt anteà ſolebant, illæſâ conſcientiâ Miſſas celebrare, diuina officia peragere, & adminiſtrare ſacramenta. Quò verò procedat Theologicè (vt ipſe ait) reuocat totam hanc materiam ad octo propoſitiones. Has ſingulas fideliter proponemus, & ad ſingulas ſubiungemus reſponſionem, occaſionem

nem daturi hominibus iudicio præditis, vt conſiderent Theologus-ne ſit doctor iſte, an potiùs ſeductor: & vt conqueri nequeat à nobis aliquid prætermiſſum eſſe verba quoque ipſius ſubiungemus.

De obiectionibus Dom. Cardinalis in ſuo procemio.

Cap. II.

Marſilius.

DVas facit obiectiones Dom. Cardinalis in ſuo procemio. Prima eſt editos eſſe Venetiis libellos contra formulam à ſacro Concilio Tridentino præſcriptam ſeſſ. 4. & hoc amplificat dicens hîc prodire quotidie eiuſmodi libellos. Secunda, Venetiis inobedientiam augeri, cum euidenti fidei periculo: quibus ordine reſpondebo. Et vt à priore exordiar, quæ falſa nititur amplificatione, quî fieri poteſt vt vera ſit ea hyperbole? Siquidem quo tempore ſcripſit Illuſtriſſima ſua Dominatio, non prodierant in fauorem Sereniſſimæ Reip. niſi duo parui libri, vnus ſub nomine Authoris, nempe Ioh. Gerſonis vniuerſitatis Pariſienſis Cancellarij, alter hic quem defendimus. Verum eſt, ne de Gerſone dicam, hunc octo propoſitionum libellum ſine authoris nomine editum eſſe (vbicunque fuerit impreſſus) hoc igitur tantum-ne eſt malum? quot quæſo libri in omnibus prouinciis extra Italiam, ab iis qui obſeruant ſacrum Concilium Tridentinum, leguntur ſine authoris nomine & ſine temporis notatione, iuſta de cauſa omiſſis? Quot libelli ſpirituales in Italia editi leguntur, ſine authoris nomine, & ſine tempore, ſpeciatim verò celebre illud confeſſionarium, cuius initium, Quia confeſſio &c

quod nullus vnquam legere dubitauit? Illa Spongia equitis Poloni èdita Neapoli, etiam ſine Authoris nomine, ab omnibus vulgò legitur. Sacrum Concilium ſub pœna Excommunicationis, iubet vt in edendorum librorum limine ponatur authoris nomen & licentia Superiorum: nihilominus tamen hæc duo aliquando, & non ita pridem, Romæ prætermiſſa fuerunt. Dictæ obiectiones, ne quid aliud dicam, minimi ſunt momenti apud eum qui ſcopum & mentem intelligit ſacri Concilii: quod magno cum iudicio, ſuæ ordinationis præuaricatores non excommunicat ipſo facto, ſed minatur tantùm, perinde ac ſi iuſtas ob cauſas ſupradictæ conditiones omitti poſſint: atque vt alias taceam, ſacra congregatio ſuper Indice, declarauit Authoris nomen omitti poſſe, cauſa humilitatis, vel ob iuſtas alias cauſas. Denique ſacri Concilij ſcopus eſt, vt in libris qui eduntur errores non ſint vllius generis, ac ſpeciatim in fide, qui cùm non ſint in hoc libello, ſicut apertè demonſtrabitur, cùm præſupponere debeam ipſum antequàm ederetur, perlectum fuiſſe, & approbatum à viris doctis, nullo ſui compendio motis, Catholicis, quique talem authoritatem habent, non video cur hæc actio ab Illuſtriſſima ſua Dominatione tantoperè debeat reprehendi: eam ſanè tunc redarguerem quando foret in contemptu clauium, ſed cùm tendat in bonum finem, iuſtas ob cauſas, laudem potiùs quàm reprehenſionem mereri mihi videtur. Hic libellus, non nego, clauis eſt, at non aperit, vt inquit Dom. Cardinalis, ſed claudit portam hæreſibus: videor enim mihi agnoſcere illius fabrum eam hoc fine in ſuæ charitatis fornace fabricare potuiſſe: quandoquidem hæreſis maximè

omnium

omnium hodie diſſeminata quæque eſt in Italiæ limine,& Reipublicæ dominiis contigua, eſt ea ſacramentariorum, qui ſacramentorum vſum, Eccleſiarum & Miſſæ frequentationem, Religionis exercitia,& externum Dei cultum prohibet. Cum autem religioſæ hæ operationes ab Interdicto prohibitæ ſint, ſi per octo tantũ dies continuos in Dominio Veneto id obſeruatũ fuiſſet: huiuſmodi hæreſeos peſtis in dies ſerpere & introduci potuiſſet contra Rei publ. Religioſiſſimæ & maximè Catholicæ voluntatem: enimuerò populus qui non cauſas ſed tantùm effectus conſiderat, cùm iidem ſint hæreſeos & interdicti, in pietate negligentior fieri, conſcientiæ libertatem ſumere, verámque Religionem deſerere cœpiſſet, ipſéque à multis verba hæc non ſine admiratione audiui, Pontifex cuius eſſet hortari ad miſſam, ad ſanctiſſimæ communionis frequentationẽ, & ad Eccleſias, prohibere pietatis exercitia non deberet, quæ ſi ab hæreticis prohibeantur, ſanè à Catholicis, multóque minùs à Pontifice prohiberi non debent. Præterea Venetiis, antiqua & recenti memoria, nunquam Interdictum ob grauem illam cauſam obſeruatum fuit, nec viſum eſt vnquam à diuino cultu vllo pacto ceſſatum fuiſſe. Huc reſpexit, quantum ipſe arbitror, octo propoſitionum author, non ignorans multa damna quæ ab Interdictis contingunt, & cap. Alma Mater, recenſentur, vnde Sotus 4. diſt. 22. dicit illa non niſi perpauco tempore durare debere, quia vergunt in periculum diuini cultus: ſed malorum malum eſt hæreſis, cui remedium adferens hic liber, cur clauis hæreſibus portam aperiens, non verò eam claudens dici debeat neſcio. Tandem iudicare non poſſum, quod

omni cum modeſtia,profundiſſimáque humilitatē dictum ſit,vtrum in periculoſis hiſce temporibus eſſet melius,Sereniſſimam Rempublicam leues ob cauſas ac temporales excommunicaſſe ac interdicto multaſſe,vel aditum patefacere doctrina cōmuni', quomodo poſſint homines abſque peccato & ſchiſmatis periculo, Dei gratiam retinere, nec tamen interdictum obſeruare, cùm longè faciliùs à diuina omnipotentia animi Principum placamentum ſperari poſſit,quódque aliis modis ſedentur illi motus, quàm Venetiarum Principi facilitas in hæreſi profliganda vbi ſemel in ſuum dominium irrepſerit.

Quoad ſecundam obiectionem, certum eſt Dei præceptum de obedientia Superiori exhibenda in temporalibus aut in ſpiritualibus,cum limitationē intelligi, iuſta præcipienti:nam ſi Superior aliquis rem mihi imperaret contra legem Dei, parēre illi non teneor. Oportet obedire magis Deo quàm hominibus,ait D.Petrus,Act.cap.4. primus Papa poſt Chriſtum Dominum noſtrum.Nunc,cùm ſereniſſima Reſpublica Deo iurauerit, ſe defenſuram & conſeruaturam in ſua libertate illæſum illud Dominium quod à ſuis Anteceſſoribus accepit,ab illicita omni ſubiectione,contra naturæ legem,quinimò contra Iuſtitiam & Sacramentum faceret, ſi præcepto Pontificis acquieſceret, quo antiquam ſuam libertatem lædit,Dominium eius minuit, & cui non ſolùm obedire non tenetur ex citato loco, quia oportet obedire magis Deo quàm hominibus,verùm modis omnibus reſiſtere tenetur cuilibet eam ad obediendum cogere volenti, ſiquidem vt rectè Cicero 1. de officiis de Iniuſtitia loquens,

Iniuſtitiæ

Iniuſtitiæ genera duo ſunt, vnum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab his quibus infertur ſi poſſunt, non propulſant iniuriam. Ergo Domini Veneti non modò non ſunt inobedientes, verùm ſi ſecus facerent quàm faciant, aut facere certò ſtatuerint, ſummo namque ſuæ libertatis zelo tenentur, peccarent peccato iniuſtitiæ. Huc multùm facit quod Dom. Cardinalis Baronius dicit tomo 10. anno 878. de S. Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano, aduerſus quem cùm Papa Hadrianus duo monitoria publicaſſet, vt Epiſcopos quos in Bulgariam miſerat, reuocaret, quia munus hocce non ad ipſum, ſed ad ſedem Apoſtolicam Romanam ſpectabat: vltimò Papa Iohannes VIII. tertium monitorium emiſit, vt intra ſpatium triginta dierum ab hac oblata eos reuocaret, alioqui cenſuris ſe addictum ſciret, & à Catholica Communione ſeparatum, Si Ignatium, eiúſve ſucceſſores vnquam paruiſſe neſcitur: vnde poſt mortem maxima edidit miracula, & Sanctus habetur, ab Eccleſia tum Græca, tum Latina canonizatus, cuius feſtum 23. Octobris celebratur. Huius Sancti factum ab Authore ſupradicto, hac ratione excuſatur. [Neque eſt quod quis ob litem hanc Ignatium fuiſſe animo in Apoſtolicam ſedem infenſo exiſtimet, vel ingrata, cùm quæ iuris eſſent ſuæ Eccleſiæ defendere iuramento teneretur, obſtrictus etiam æternæ vitæ diſpendio: non enim aliena retinere, ſed ſua poſſidere ex poſſeſſione prædeceſſorum ipſe iuſtum putauit, cui haud dubium ſponte ceſſiſſet, ſi id facere ſibi licuiſſe crediſſet. Probatum vas igne erat, excoctúmque fornace omni rubigine carens.] Non eſt igitur peccatum ad Sancti

huius imitationem Sanctitati ſuæ non obedire quò retineatur illa Iuriſdictio,in cuius defenſionem iurauit Reſpublica,cùm eam à maioribus ſuis acceperit. Id ipſum dicit P. Richeomus Ieſuitarum Prouincialis in ſua Apologia Lugduni Gallorum edita hoc anno 1606.ca.24.de excommunicationibus & pōtificiis Interdictis verba faciens,ait(inquit ille de ſuo aduerſario)[nos admodū cauere vt dicam* quid acturi, quid molituri eſſemus, ſi adeò iratum numen haberemus vt ad ſe Clementē (ſcilicet octauum)extinctum accerſeret, vt Bonifacios octauos, vt Benedictos decimos tertios, vt Iulios ſecundos induceret,qui chriſtianiſſimos Galliæ Reges excōmunicarunt,ipſóſque regno ſuo interdixerunt,]*Ocœnum*, reſpondet ille,*Olabes,quid ageremus*? [audi ſi pilum habes hominis ſani, nempe vt breui dicam, quod in illo tempore probos ac bonos francos, quod moderatos, ac frugi Eccleſiaſticos cum Rege Philippo Pulchro, cum Ludouico duodecimo accepimus feciſſe, qui ius ſuum ac regni cùm mordicus tuerentur, nunquam propterea à Sancta Sede Apoſtolica deſciuerunt,recognouerunt in ſpirituali dominatione Pontificem officij Chriſtiani potiſſimas partes deſeruêre nunquam. Ecce, vult hic author nec Reges Chriſtianiſſimos Philippum Pulchrum & Ludouicum duodecimum, nec ſubditos tam laicos,quàm Eccleſiaſticos,inobedientię peccatum cōmiſiſſe,qui vt tuerentur, ſicut ipſe loquitur, mordicus iura Regni,duorum illorum Pontificum cenſuris non obediuerunt: quinimò ipſe Dominus Cardinalis, de Conciliorum authoritate lib.2.c.19. ad quā rem etiam citat Turrecrematam li.2.c.106. addit,ſi Pontifex Chriſtianæ Reipublicæ pacem tur

baret

baret,non quòd velint aliqui ipſum non habere iudicem ſuperiorem, in eiuſmodi caſibus Eccleſiam fore ſolam ſine remedio, ſed poſt preces ad Deum Dominum noſtrum, vt ipſum conuertat,poſt modeſtas admonitiones, licere repugnare, & vim vi repellere, & armis: ad reſiſtendum enim & vim vi repellendam, non requiritur,vlla authoritas.Igitur ſiue non obediendo, ſiue reſiſtendo viriliter Pontifici, ex ſupradictis rationibus & authoritatibus,& ad poteſtatis ſuæ temporalis defenſionem ,non verò in contemptum clauium, dici non poteſt Sereniſſimam Rempubl. vlla ratione malè facere,vel in ipſa culpam eſſe inobedientiæ,quæ cùm non adſit, multò minùs eam creſcere dici poteſt.

Cætera quæ in hoc proœmio continentur, quia ſunt potiùs calumniæ & maledicentiæ, non fortè à malo animo Illuſtriſſimæ ſuæ Dominationis oriundæ, ſed potiùs à magno affectu erga ſuam opinionem,qui veritatem,æquitatémque cauſæ videre non ſinit,omittenda cenſeo,vtpote cùm aliud ei reſponſum dari non debeat, quàm illud quod in Propoſitionum fauorem hac tota Defenſione adducetur.

Defenſio primæ Propoſitionis.

Cap. III.

Prima Authoris Propoſitio.

Poteſtas quam habent Principes ſæculares, imò & ipſe Pontifex, tanquam Princeps temporalis ſtatuum & prouinciarum quas poſſidet,eſt ipſis à Deo immediatè abſque vlla exceptione cōceſſa.Pro

intelligẽtia & explicatione huius Propoſitionis aduertendum eſt, de iure gentium dominium & ſeruitutem, imperium Principis, & obedientiam ſubditi, quatuor modis introducta eſſe, ſcilicet electione, hæreditate, donatione, aut iure belli: ideóq; omnes ij Principes qui vno quatuor horum modorum ad thronum principatus euecti ſunt, aut eum hoc tempore poſſident, legitimi & iuſti ſunt domini. Tales dico qui poteſtatem habent à Deo imperandi, condendi leges, exigendi tributa, iudicandi, plectendi & caſtigandi ſubditos abſque vlla exceptione.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

PRima hæc propoſitio euidentiſſimos duos errores continet. Primus eſt in verbo immediatè, ſecundus in alio, ſine exceptione. Ordiar à ſecundo, quia manifeſtior eſt. Si verbum hoc, ſine exceptione, intelligatur ſine exceptione ſubditorum, erronea eſt propoſitio: In clericos enim Principes ſæculares poteſtatem non habent, cùm ſaltem iure humano ſint immunes omnium Catholicorum ſententia, licèt etiam immunes ſint iure diuino, vt inferiùs dicemus. Si autem intelligatur ſine exceptione poteſtatis, propoſitio hæretica eſt, nulla enim poteſtas eſt Principis vllius Chriſtiani, quæ poteſtati Vicarii Chriſti aliquo modo ſubdita non ſit, cùm Vicarius Chriſti ſit Paſtor vniuerſalis, & caput omnium Chriſtianorum, ſiue Principes ij, ſiue priuati ſint. Si intelligatur ſine exceptione rerum & negotiorum, propoſitio ſimiliter hæretica eſt, nam ſecundum ſacras ſcripturas,

ras,ſacrorum Conciliorum decreta, res ſpirituales laicis ſubiectæ non ſunt, ſed solùm Eccleſiaſticis: hac in re conueniunt Doctores omnes tam Theologi quàm Canoniſtæ. Adeo nunc alium errorem in verbo immediatè. Hoc verbum bifariam intelligitur: vno modo quòd Principes,quatenus ſuperiores immediatè habeant à Deo poteſtatem imperandi ſuis ſubditis, hoc eſt quòd præceptum obedientiæ ſit immediatè à Deo, & hoc verum eſt & à nemine negatur, neque enim ſuperior erit, ſi imperare nequit, nec ſubditus ſi ad obediendum non ſit obligatus:hoc Deus in ſacris literis iubet,hoc lumen naturale dictat, vt quilibet ſubditus obediat ſuo ſuperiori. Altero modo quòd Principes ſæculares habeant à Deo immediatè pro ſubditis, hos aut illos populos, v. g. Rex Chriſtianiſſimus Gallos, Rex Catholicus Hiſpanos, Reſpubl. Veneta Venetos, & conſequenter poteſtatem habeant in hos populos. Et hoc falſum eſt manifeſtè, & ipſe huius libelli author propriis ſuis verbis hoc ipſum fateri cogitur. Declarans enim ſuam Propoſitionem ait, quatuor modis acquiri principatus,electione,hæreditate,donatione,& iure belli,hoc eſt titulo iuſti belli. Certum eſt autem hos titulos non eſſe diuinos ſed humanos,qui igitur hiſce modis acquirit dominium & poteſtatem in hos aut illos populos, non habet poteſtatem à Deo immediatè, ſed interueniente electione, vt Imperator aut Rex Poloniæ, aut ſucceſſione hæreditaria, vt Hiſpaniæ, & Franciæ Reges,aut donatione, vt ſunt feudatarij Principes,aut bello iuſto, vt olim Godefridus, aliique Domini terram ſanctam acquiſiuerũt. Ac proinde qui à Rege Chriſtianiſſimo

ſciſcitaretur:quo iure Franciam poſſideat, non reſpondebit iure diuino,ſed titulo ſucceſſionis hæreditariæ,& qui Ducem Venetorum rogaret quo titulo ſuum Principatum obtineat,non reſpondebit iure diuino,ſed titulo electionis humanæ. Fit hinc diſcrimen conſpicuum inter Principatum Eccleſiaſticum Papæ,& principatum Principum ſæculariũ & politicorum:quod Papa non ſolùm titulo communi à Deo ordinato,vt ſuperiores ſubditis ſuis im perent,præcipere & imperare poſſit,ſed à Deo illi immediatè conceſſum ſit, omnes Chriſtianos pro ſubditis habere:& licèt Papa à Cardinalibus eligatur , nihilominus ab ipſis poteſtatem non habet, ſed à Deo,qui Petro,& in ipſius perſona , omnibus ſucceſſoribus eius dixit,Paſce oues meas. Quanquidem euidentiſſima ratione demonſtrari poteſt.Papa enim à primatu Apoſtolico nullam prouinciam,nullam ciuitatem , aut perſonam alienare poteſt,nec fieri poteſt vt verus ſit Papa , & non ſit ſuperior omnium Chriſtianorum,& hoc ideò quia titulus poteſtatis ſuæ diuinus eſt. Reges autem & Principes poſſunt ſuos perdere,aut omnes,aut partem eorum alienare ciuitates aut prouincias, alteríve Principi ſubiicere , atque ita amittere poteſtatem in has aut illas ciuitates & prouincias , quia titulus poteſtatis eorum non eſt diuinus , ſed humanus.Similiter nemo poteſt Pontificiam poteſtatem imminuere , ſiue illud Collegium Cardinalium,ſiue Concilium generale , ſiue ipſe Pontifex ſit,cùm enim Pontificia poteſtas à Deo immediatè originem trahat, arbitrio creaturarum ſubiecta non eſt. Contrarium videre eſt in Principatibus ſæcularibus , ſæpiùs diminui eorum poteſtatem,

tem,nonnunquam à populis,nonnunquam à Principibus ſuperioribus,atque hunc in modum Principatus monarchici,Reſpublicæ liberæ fiunt : & è contrario Reſpublicæ liberæ,Principatus Monarchici : & hoc ſolùm quòd poteſtas horum non à Deo immediatè,ſed ab hominibus emanet. Quòd ſi Principes ſæculares non habeant poteſtatem à Deo immediatè in laicos,multò minus in clericos habebunt , qui vt mox dicemus iure diuino & humano immunes ſunt. Vera igitur propoſitio hæc erit : Principes ſæculares non habent poteſtatem à Deo immediatè in laicos ſibi ſubditos , ſed per viã iuſti tituli humani,in clericos autem in eorum dominiis habitantes,nec diuinam nec humanam habent.

DEFENSIO.

Marſilius.

PRo tutela primæ Propoſitionis,tria demonſtrabimus,Primum has duas particulas , immediatè & ſine exceptione , à Domino Cardinali reprehenſas, veriſſimas eſſe,ab Authoribus Catholicis, imo etiam ab ipſo Domino , eodem quo author ſenſu vſurpatas,propoſitas & approbatas. Secundum , non eſſe modum quem in refutando ſeruat, chriſtianæ charitati,vt par eſſet, conſonum. Tertio loco,errores indigitabo quos in ipſius tractatione adnotaui.Ad primum , exceptionem perſonarum Eccleſiaſticarum in delictis , rebúſque temporalibus, non eſſe à Deo in vllo ſacræ ſcripturæ loco præſcriptam,docet expreſſis verbis Medina,author ſolidiſſimus.& Catholicus, de Reſtitutione q.15.cu

ius hæc ſunt verba.[Videtur oppoſitum eſſe verum ſcilicet quod non ſit de iure diuino,poſt legem veterem abolitam,obligante, Clericos, ſeu perſonas Eccleſiaſticas à poteſtate ſæculari eſſe exemptas, ſed hanc exemptionem dicerem clericos ex conceſſione poteſtatis ſæcularis obtinuiſſe, & obtinere. Quod validiſſimis argumentis pro ſe probat,& aduerſam argumentis apertè reſpondens, ſpeciatim concludit.[Denique hac ratione vnica videtur tenendum quod dicimus,quia ſcilicet, nil debet dici eſſe de iure diuino,quod ex ipſo iure diuino oſtendi non poſſit:cùm ergo præfata clericorum exemptio non poſſit ex iure diuino oſtendi, ſequitur &c.] Quod facillimè probat ea omnia loca reſoluendo, quæ vulgò in contrarium adduci ſolent. Hæc ſententia fuit etiam Couarruuiæ lib.Practicarum quæſtionum,cap.31.concluſ.2.cuius hæc ſunt verba: In rebus temporalibus,& in criminalibus quæ ſpiritualia non attinent, clerici & eorum res non ſunt iure diuino à iuriſdictione Principum ſecularium exempti:Et quamuis hic author à Domino Cardinali reprehendatur,ceu in Sereniſſ.Regis Catholici iuriſdictionem nimis inclinans, defendi poſſet viciſſim dicendo,Dom.Cardinalem quoque in iuriſdictionem Eccleſiaſticam nimis inclinare:mihi ſufficit eſſe illum Catholicum ſolidúmque Doctorem,ac pro ſententia ſua, præter multa validáque argumenta,citat Innocentium de maiorit.& obed. cap.2.Ferrarienſem in pract.tit.de Confeſſione, §. plenam,col.1.Alciatum cap. cùm non ab homine, col.2.de iudiciis.Lugdunenſem in additionibus ad conſilia Alex.8.lib.1.Huius eiuſdem ſententiæ ſunt victoria,Sotus,fuitque anteà Dom. Cardinalis lib.
de clericis,

de clericis,cap.ſub hoc titulo,an exemptio ſit de iure diuino,aut de iure humano:ſed quid immoror in recenſendo ipſum Dominum alibi hoc dixiſſe cùm hoc ipſo loco,etiam nolens,id fateatur,videlicet ſecundum authores omnes Catholicos exemptionem eſſe ſaltem de iure humano?fatetur itaque cenſere Authores Catholicos,non eſſe illam de iure diuino,vt dicit Author , & præter hoc S. Iohannes Chryſoſtomus clarè loquitur,dicens, [Manifeſtum eſt quòd iſta omnibus imperentur non ſolùm ſecularibus,ſed etiam ſacerdotibus,] nec igitur à Deo nec à D.Paulo eſt exemptio , qui de ſeculari poteſtate per os Dei loquitur.Hinc certò conſtat particulam illam,ſine exceptione à Deo,doctrinam eſſe bonam,ſanam,& Catholicam , Authorum multorum Catholicorum,imò vt in tota defenſione probabo,veriſſimam & ſolidiſſimam.

Secundò arguit particulam,immediatè,quam ponit Nauarrus Doctor ſolidiſſimus & Catholicus, cap.Nouit,de iudiciis,notab. 3. in definitione poteſtatis laicæ, quinimò collationem eandem inſtituens,quam Dominus Cardinalis,inter poteſtatem laicam & Eccleſiaſticam,dicit, Poteſtas laica prædicta,immediatè à Deo, eſt ſic ſcilicet quod Deus indidit hominibus rationem naturalem per quam concluditur eſſe debita in hominibus talis poteſtas,propter bonũ regimen eorũ. Vbi etiam affert pro ſua ſententia Durandũ,Iohannem Pariſienſem, Almaynum,Gerſonem,alióſque authores Catholicos,vnde concludit quòd ſicut præceptum de non occidendo eſt de iure naturę immediatè à Deo , ita Principis laici authoritas de occidendo pro Reipublicæ quiete,immediatè ſit à Deo. Verum quidem

eſt,hãc poteſtatẽ,vt ait Author,hoc obtinere,nõ vero illud,humano modo,ſiue hæreditate,ſiue electione,ſiue donatione,ſiue iure belli,ſed hoc nõ ꝓhibet quin immediatè ſit à Deo,vel facit vt ſit ab hominibus,queãdmodũ dicit D.Cardinalis:primò quidẽ ab hominibus eſſe nequit,nã D.Paulus hoc apertè dicit,ad Rom.c. 13.Omnis poteſtas eſt à Deo : hæc eſt poteſtas ergo à Deo: prætereà nullus homo aliũ obligare poteſt in cõſcientia ad ipſius leges obſeruandas:Princeps ſecularis ſuos ſubditos obligare poteſt in cõſciẽtia ad ipſius leges obſeruandas:ergo nõ habet authoritatẽ ab hominibus ſed à Deo : & hoc ibidem dicit D.Paulus,qui poteſtati reſiſtit,non dicit hominis, ſed Dei ordinationi reſiſtit : qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Iam verò,quemadmodum iuxta Dom.Cardinalem nemo negat Pontificiam poteſtatem eſſe à Deo immediatè, quamuis electio fiat ab Illuſtriſſimis ac Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus,qui homines ſunt:ita negari non debet,quamuis humanus ſit ad Principatum laicum euectionis modus.poteſtatem eius à Deo eſſe immediatè:quod exemplo philoſophico patefaciam.Certum eſt animam rationalem à Deo in corpus humanum priùs non infundi, quàm omnia organa,inſtrumenta, & diſpoſitiones inſint,quæ corpus illud ad eam recipiendam aptum reddant:& hoc totũ dicitur à philoſophis conditio ſine qua nõ,an igitur propterea dicere quis audeat, animã rationalẽ non immediatè creari & infundi à Deo in corpus humanũ,ſed mediantib.diſpoſitionibus?procul abſit à Chriſtiano talis blaſphemia: ſic igitur,licèt modus,quo hic vel ille Princeps obtinet Principatũ,ſit humanus,nẽpe conditio ſine qua nõ

quouis

quouis tamen modo poteſtatem immediatè accipit à Deo ob rationes dictas. Veritate conuictus ſatetur itidem Dom. Cardinalis, eſſe illam immediatè à Deo, dicens, Hoc verbum immediatè, bifariam poteſt intelligi, primò quòd Principes quatenus ſuperiores immediatè habeāt à Deo poteſtatem imperandi ſuis ſubditis, hoc eſt quòd præceptū obedientiæ ſit immediatè à Deo, & hoc verum eſt: & quamuis vocem poteſtatis cum voce imperij velit confundere, idem tamen iuxta ipſum ſignificant: ac per vocem authoritatis aut iuriſdictionis meliùs explicaretur, ad tollendam enim homonymiam ita verti debet græca vox ἐξουσία, quæ poteſtatem, id eſt imperandi authoritatem ſignificat. Authoris igitur doctrina in duabus illis particulis, ſine exceptione, & immediatè, ſana eſt, Catholica, atque etiam ab ipſo Dom. Cardinali approbata, quam licèt, neſcio in quem finem, reprehendere ſimulet, iuſto tamen Dei iudicio, non modò eam non reprehendit, ſed probat.

Ad ſecundum, quod attinet, ſibi pro arbitrio Illuſtriſſima ſua Dominatio fingit expoſitiones ab Authoris mente, quantum cum ratione colligi poteſt, remotiſſimas, dein ab his elicit contumelioſa illa epitheta, hæretici, erronei, &c. Vt doctrina hæretica ſit & erronea, debet expreſsè aſſeri ac pertinaciter ab eo defendi qui eam proponit, ſiue contra Sacras literas, ſiue contra Eccleſiæ definitionem de fide, ſiue per neceſſariam conſequentiam eliciatur, quæ alicui ſacræ Scripturæ loco, vel dictæ definitioni aduerſetur. Contumelia inſuper eſt maior quàm vt homini, nedum Catholico inferri queat. Vnde etiam Abbas Moſes, vt legitur in vitis Patrum, lib.3.

honorem vitare volens,quo Iudex ille ipſum afficere volebat,cùm in illum,cui adhuc erat ignotus, incidiſſet, dixit ei Abbatem hæreticum eſſe: iudicans nimirum hoc ſummum eſſe peccatum & maximè infame quod in homine redargui poſſet: ideóque Iudex honoris ipſi tribuendi loco, magnoperè illũ apud ſe deſpexit, nec ampliùs eum quæſiuit: hæc igitur agendi ratio Dom.Cardinalis non admodum benè ſapit, dum ad ſuum arbitrium expoſitionem affert, vt deinde redarguat illum qui verba non dixit nec dicere potuit eiuſmodi expoſitionem admittentia.

Prætereà modus ille longum parallelum, vel potiùs prolixam collationem faciendi inter laicam, & Eccleſiaſticam poteſtatem,ſanè neceſſarius non eſt. Enimuerò qui dicit laicam poteſtatem eſſe à Deo immediatè, & ſine exceptione in temporalibus, nõ negat Poteſtatem Eccleſiaſticam immediatè eſſe poſſe à Deo, & ſine exceptione in ſpiritualibus: talem igitur collationem inſtituere ſuperfluum fuit ac minimè neceſſarium. Accedamus nunc ad errores, & Illuſtriſſima ſua Dominatio ignoſcet mihi,ſi vocibus illis vtar, errat, & error,non enim oſtendere poſſum Authorem rectè loquutum eſſe, ipſique iniuriam fieri,quin ſimul demonſtrem, Dom.Cardinalem immeritò eum offendere, & conſequenter errare, nec in eum finem mitiora his verba, & ab iis qui de re quapiam pro & contra diſputant,vſitatiora inuenire potui. Quales poſteà ſint errores illi quos deſignabo, cuius ſcilicet ſpeciei, an in Theologia, an in fide, in philoſophia,in hiſtoria, &c. lectoris iudicio committam, vt maledicentiam & dicteria vitem.

Errat

Errat I. quia cùm ſit certiſſimum, duo contradictoria non poſſe eſſe ſimul vera, ipſe ambo ea pro veris amplectitur, & primò ſic dicit: Principes quatenus ſuperiores, immediatè habent à Deo poteſtatem ſuis ſubditis imperandi. poſteà conſilium mutans ait: Si Principes ſeculares poteſtatem immediatè non habeant à Deo in laicos, multò minùs eam in clericos obtinent: & paulò inferiùs. Igitur propoſitio vera hæc erit: Principes ſeculares poteſtatem in laicos ſibi ſubditos non habent à Deo immediatè. Harum propoſitionum aut alteram eſſe veram & alteram falſam, aut eum qui ambas pro veris habet, grauiter errare neceſſe eſt.

Errat I I. quoniam has duas voces confundit: titulum poteſtatis, & poteſtatem ipſam: quæ duo planè diſcrepant, titulus enim eſt conditio ſine qua nō acquiritur poteſtas, ſed poteſtas, eſt ea authoritas & iuriſdictio, quam Deus immediatè dat Principi, qui ab hominibus titulum illum accipit, quod animæ rationalis exemplo manifeſtè probatū fuit, idque Dom. Cardinalis concedere cogitur, nam admittit vt verum, Pontificis electionem licèt ſit ab hominibus, ipſum tamen poteſtatem à Deo immediatè accipere, ergo à pari, &c.

Errat III. quia dicit hæreſin eſſe, affirmare Deum temporalem poteſtatem ſpirituali non ſubieciſſe: cùm nullus ſit ſcripturæ locus, aut Eccleſiæ definitio, quæ dicat Principem, quà Princeps eſt eſſe Pontifici ſubiectum, ſed quà Chriſtianus. Quando nullus erat in Mundo Princeps Chriſtianus, ſanè Principatus ratione, nullus erat ſubiectus Pontifici, ſed contrà, S. Ioh. Chryſoſtomus dicit Principi infideli Pontificem ſubiectum fuiſſe in temporalibus,

etiamſi Apoſtolus ſis, etiamſi Euangeliſta, neq; tamen pietatem, id eſt religionem, iuxta vocem græcam εὐσέβιαν, ſubuertit iſta ſubiectio. Igitur poteſtas laica ſpirituali non ſubiecta eſt, ratione poteſtatis: eatenus enim Princeps laicus Pontifici in tẽporalibus eſt ſubiectus, quatenus eſt Chriſtianus, neque in hoc à priuato differt. Itaque poteſtas laica, qua talis, ſubiecta non eſt vel ſubordinata Eccleſiaſticæ, ſed tantùm quatenus Chriſtianus qui eam exercet, reliquis eſt ſimilis. Poteſtas autem Summi Turcæ, poteſtas Perſarum Regis, aut magni Canis, nihil cum Pontificia commune habent, attamen ſunt poteſtates: ideóque forſan Dom. Cardinalis vocem Chriſtiani adiunxit, ſed hoc perinde eſt ac ſi diceret, omnes ſubiectos eſſe nõ ratione poteſtatis, ſed Chriſtianitatis, atque ita quod proponit non probat.

Errat IIII. quia cùm duntaxat de temporali poteſtate author eſſet loquutus, ſibi fingit, quaſi de ſpirituali loquutus eſſet, dicens, Hæreſin eſſe, aſſerere negotia ſpiritualia laicæ poteſtati ſubiecta eſſe, quis de hoc dubitat? Verùm author ne ſomniauit quidem, quantum exiſtimo, de ſpiritualibus negotiis loqui, dum de alio non agit quàm de poteſtate temporali, hanc verò quis neſcit, per ſe non niſi ad temporale extendi, non ad ſpirituale?

Errat V. quia dicit Principem interrogatũ quam ob cauſam Regnum poſſideat, non dicturum iure diuino, ſed vel hæreditate, vel iure belli, ex quo infert, Igitur immediatè à Deo poteſtatem nõ habet. At ego dico non reſponſurum illum hoc modo, verùm petenti ab ipſo vnde poteſtatem & authoritatem habeat ſubditis illis imperandi, eam ſe à Deo imme-

ſmmediatè habere dicturum, ſciſcitanti autẽ à quo titulum illum aut eiuſmodi poteſtatis inueſtituram habeat, ab hominibus ſe habere reſponſurum. Hæc duo, Poteſtas & Titulus, tantopere inter ſe diſcrepantia, confundi non debent: author, vt conſtat, de titulo, qui mera eſt conditio, non loquitur, ſed de Poteſtate, de authoritate, & iuriſdictione, quę à Deo eſt: quis autem ignorat Galliarum Regem, vt in exemplo maneam Dom. Cardinalis, interrogatum cur aliquem morti addicat, cur leges condat quæ obligent in conſcientia, non dicturum, ſe hoc facere iure hæreditario, ſed authoritate quam immediatè habet à Deo, hæreditas enim poteſtatem non tribuit, ſed eſt conditio in eo homine neceſſaria, cui Deus immediatè authoritatem daturus eſt.

Errat VI. quia dicit Principem non habere immediatè à Deo pro ſubditis omnes in ſua Ditione degentes & Põtificem immediatè habere pro ſubditis omnes Chriſtianos: exiſtimo authorem bonũ fuiſſe Logicum, quamuis Dominus Cardinalis aliter ſentiat, & arbitror illum ſciuiſſe correlatiua, eſſe ſimul natura. Si igitur imperandi poteſtas immediatè ſit à Deo in Principe laico, ſubditorum obligatio ſuo Principi obediendi immediatè eſt à Deo: & quemadmodum ob titulum ſubditi huic Dominio, vel ob delictum in eo commiſſum, ſubditus fio eius Principi, ita Chriſtiani character Pontifici me ſubditum facit. Ac velut hic non meus eſt Princeps, niſi vel hæreditate, vel electione, &c. ita nemo eſt Pontifex, quin priùs à Cardinalibus electus fuerit: iam vt baptiſmalis character hominem

in Spiritualibus Papæ ſubditum reddit, ita naſci aut delinquere in Dominio Veneto, Reipublicæ Venetæ ſubditum facit, naſci aut delinquere in Regno Gallico, ſubditum facit Regis Galliarum, nec in hoc vllius generis diſcrimen video.

Errat V I I. quia pro certo ponit quod adhuc inter Catholicos Doctores dubium eſt, an Pontificis poteſtas, ipſo moriente, remaneat in Eccleſia, an verò cum morte Pontificis Eccleſia ſpolietur eiuſmodi poteſtate, adeò vt volentes opinionis Romanæ ſectatores, vt cum Nauarrô loquar, (cap. Nouit.) vt Epiſcoporum poteſtas emanet à Pontifice: ipſo moriente, ad hoc argumentum reſpondere neſciunt, Igitur Epiſcopi ſine authoritate manent, ſed ambages agunt, omnino exiſtimantes, & in Eccleſia poteſtatem non remanere, & eam remanere, ea dicendo quæ intelligi nequeunt. Quòd autem Dom. Cardinalis pro certo habeat, poteſtatem in Eccleſia non remanere, clarum euadit: nam dicit moriente Principe authoritatem remanere in Communitate, ſaltem in iis qui electione facti ſunt: ſed moriente Papa, in Cardinalibus qui ipſum eligunt, vel in Eccleſia poteſtatem non remanere. Hanc opinionem licèt tueantur Gaetanus, & Romani, contrariam tamen ob ſupradictum argumentum, aliáque multa, defendunt Pariſienſes, ac percelebre Sorbonæ Collegium, ſpeciatim verò Ioh. Maior, Iacobus Almaynus, & Gerſonus, vt refert Nauarrus, c. Nouit. de iudic. not. 3. qui authores Catholici ſunt, ipſéque Nauarrus, qui ceu dubiam hanc opinionē proponit, quam Dom. Cardinalis hoc loco pro certa habet, licèt eam ipſe alibi dubiam conſtituat.

Errat V I I I. quia dicit, vocem, paſce oues, D. Petro

Petro dictam eſſe,non Eccleſiæ, & tamẽ iuxta multos Doctores,tam vox,paſce oues,quàm ea,tibi dabo claues, dictæ quidem fuerunt D. Petro, ſed nomine totius Eccleſiæ, vt probant Pariſienſes, nec quia D.Petro dictũ fuit, paſce, vel tibi dabo claues, idem reliquis Apoſtolis dictum non fuit, concedentibus omnibus Apoſtolos æqualem authoritatem habuiſſe, quamuis Petrus ob eam confeſſionem, & ob patefactum peculiarem amoris effectum,præeminentiæ titulum inter alios Apoſtolos meritus ſit. Hoc quàm ſit verum elicitur è loco D. Matth. ad 18. vbi loquens Chriſtus Dominus noſter cum omnibus Apoſtolis eadem verba dixit quæ D.Petro. [Quæcunque alligaueritis ſuper terram,erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis:] quem locum explicans Dom. Cardinalis, lib. 1. de Rom. Pontifice,cap.12.dicit, [eſt igitur communis expoſitio Hilarij, Hieronymi, Anſelmi, & aliorum in hunc locum, nec non Auguſtini, tract.22. & 49. in Ioannem, Dominum loqui de poteſtate clauium, qua Apoſtoli & eius ſucceſſores ligant & ſoluunt peccatores:] quam paulò poſt dicit tum de ordinis tum de Iuriſdictionis poteſtate intelligi, quam loco citato Apoſtolis promiſſam eſſe vult, ſed datam Iohannis 20. vbi Saluator omnibus Apoſtolis dicit, [Pax vobis, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos,] eam ſcilicet quæ eſt Iuriſdictionis: quæ verò eſt ordinis,in vltima cœna. Quòd deinde verba D. Petro dicta tibi dabo claues, & paſce, dicta ſint etiam Eccleſiæ,id aſſerunt D. Auguſtinus tract.50.in Ioh. [Si in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum,non ei diceret Dominus, tibi dabo claues Re-

gni cœlorum,ſi hoc Petro dictum eſt,non facit hoc & Eccleſia, ſi autem hoc in Eccleſia ſit, Petrus quãdo claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit,] quas accepit, quum ei dictum fuit, paſce oues meas: quo in loco D. Auguſtinus eandẽ conceptionẽ reſumit. S. Leo ſermone 30. de Anniuerſario ſuæ aſſumpt.explicando locũ,[tibi dabo claues: Tranſiuit in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes,Decreti huius conſtitutio commeauit.] S.Cyprianus,lib.de ſimplic.Prælatorũ,[Erant & cęteri Apoſtoli,quod fuit Petrus pari cõſortio præditi, & honoris & poteſtatis, ſed exordiũ ab vnitate proficiſcitur,& primatus Petro datur,vt Eccleſia vna mõſtretur.] Ex his & ſimilibus multis S. Patrum Doctorúmque locis, elicitur authoritatem D.Petro datam,reliquis omnibus Apoſtolis & Eccleſiæ pariter datã fuiſſe, ſufficit innuiſſe non adeò certũ eſſe quod D.Cardinalis innuit, vocem paſce, dictã eſſe D.Petro,& non Eccleſiæ,cùm promiſſio, [tibi dabo claues,]æquè ac promiſſionis exequutio, videlicet [paſce,] de aliis etiam Apoſtolis & Eccleſia,iuxta S.Doctores,intelligatur.

Errat IX.quia dicit Pontificem à ſpirituali ſua Iuriſdictione nullã Prouinciã alienare poſſe,nã Pontifex eorũ qui ſunt in aliqua prouincia nõ eſt dominus,quòd ſint eius prouinciæ,ſed Paſtor eſt eorum, quia ſunt Chriſtiani, & ideo prouincias aut perſonas alienare nequit: primò quia nõ ſũt omnes prouinciæ Chriſtianorũ: ſecundò,quia licèt Chriſtiani agnoſcãt illũ pro Superiore, hæc tamẽ Superioritas nullo Dominiꝗ nititur,ac proinde vbi nõ eſt dominiũ,nec alienatio eſſe poteſt,(de illis prouinciis loquor quæ põtifici ſubiectæ nõ ſunt in tẽporalibus.)

Quòd

Quòd autē ſummus pōtifex nō ſit dominus, ea verba nō ſunt atendenda quibus eodē titulo quo Chriſtus, ſimpliciter appellatur, Noſtri domini,ſed potiùs titulus quē in ſuis literis ſibi tribuit, ſeruus ſeruorū Dei,ſpectandus venit.Et quoniā Saluator Lucæ 22.dū lis erat inter Apoſtolos, quis eorū videretur eſſe maior,dixit, [Reges gentiū dominantur eis, vos autem non ſic.Qui inter vos maior eſt,fiat ſicut miniſtrator:]ideò contrariū ſtatui debet.Propterea etiā S.Ioh.20.dixit eis, [ſicut miſit me Pater,& ego mitto vos, nō in poteſtate magna & maieſtate,] vt veniet ſecūdo Aduētu, ſed vt primo venit in humilitate, iuxta S.Bernardū ſermone primo de Aduētu. Hinc idē D.Petrus, quale ſit Eccleſiæ Paſtorū munus innuere volens,epiſt.1.c.5.[Paſcite,] ait, [qui in vobis eſt gregē,nō coactè, ſed ſpōtaneè, non turpis lucri gratia, ſed volūtariè,nō tanquam dominantes in cleris,ſed forma facti gregis ex animo.] Quo nititur doctrina citata S. Bernardi ad Eugenium Papam : [Apoſtolis interdicitur dominatio,indicitur miniſtratio.] Nec Saluator dixit D.Petro, [paſce oues tuas,] ſed, [paſce oues meas:] ipſe enim eſt ſupremus Paſtor, ſummus Sacerdos, qui, vt ait Apoſtolus Heb.7.[ſemper habet ſacerdotiū,]ſupremus eſt Iudex,[Vnus eſt legiſlator, & Iudex Chriſtus Ieſus,]Iacobi 4.Sed Pōtifex aliíq; Prelati Eccleſiaſtici, ſunt diſpenſatores myſteriorū Dei,1.Cor.4.Cùm igitur Sūmus Pōtifex nil habeat ſuū iure pōtificatus, nil etiā alienare poteſt, quinimò quia poteſtas eius ſpiritualis eſt & in animas, eas à Chriſti D. N. Eccleſiæ capitis dominio alienare non poſſet, niſi ad fidei abnegationem illas cogendo ; quod horrenda eſt blaſphemia, non enim aliam in animas

poteſtâtem habet Pontifex quàm ſpiritualem, eas conuertendi, ad vitam æternam dirigendi, quæ ſuperioritas quamuis ſit de iuriſdictione ſpirituali & eminentiſſima, cùm tamē dominium adnexum nō habeat, hinc à ſe nullam animam alienare poteſt, quod ſæcularis Princeps de bonis ſuis facere poteſt; res enim poſſidet alienabiles, licèt ne hoc quidem Princeps in rebus magni momenti facere poſſit, niſi in euidentem vtilitatem, &c.

Errat X. quia dicit Principē ſecularem ſuos ſubditos amittere poſſe; at ſuos Pontificē non poſſe amittere: quod vtinam eſſet verum, ſed quot populi ab Eccleſiæ Romanæ obedientia deſciuerunt? ſufficit dicere illam arborem quæ tegebat vniuerſam terram, nunc vix duos tréſve ramos habere.

Errat XI. quia dicit Pontificis poteſtatē à Concilio vel à Cardinalibus imminui non poſſe, at ſecularis Principis poteſtatem à ſubditis poſſe minui: dixi iam ſemel nolle me diſputare vtrū Pontificia poteſtas, moriente Pōtifice, maneat in Eccleſia, vel an ſit Concilium ſupra Papam, hoc certum eſt in cauſa hæreſeos eſſe ſupra Papam, & ratione delictorū ſcandaloſorum, remedia in Eccleſia non defuêre: ſed ratione agamus: quis populus Principis abſoluti poteſtatē imminuere poteſt? nullus ſanè: quo iure? quis doctrinā eiuſmodi proponet? populus igitur ſuum Principē deiicere poteſt? eius poteſtatē imminuere, &c. Principes igitur nō ampliùs Principes erunt, ſed ſubditi? cùm ſuo arbitrio populus ipſis è capite corōnā, ſceptrū è manibus, purpuram ex humeris demere, eóſq; è ſolio Regio deturbare poſſit? hæc eſt ratio accēdendi rebellionū, ſeditionū, & cōiurationū facē: ad hæc tā euidentia horrendæ peſtiletiæ ſemina,

minaria nolo reſpōdere, Principū eſt ſuam cauſam tueri. Nō tamen nego Principē abſolutam ſuam poteſtatē moderari debere iuxta ſua conſilia, ſuíq; dominij leges, ſicut Pontifex ſuam debet regere iuxta conſilium Dominorū Cardinalium, qui procul ſint à cōpendio & excæcante animi affectu, quique de ipſius & Eccleſiæ bono ſint ſolliciti iuxta Canones, iuxta Concilia: etſi enim fortè Princeps nō tenetur ſuis legibus quoad obligationem, tenetur ſaltem quoad directionem, &c.

Errat XII. quia dicit in Principibus laicis mutationes videri Rerumpubl. in Principatus Monarchicos, quod in Eccleſia videri poſſe negat: ac primò ſi ſermo ſit de ſupremo Eccleſiæ Paſtore, Chriſto Saluatore noſtro, certū eſt Monarchiam ſibi nūquā ablatum iri, nā Regni eius non erit finis, neque hoc accidit ob titulum aut non titulum, vt inquit Dom. Cardinalis, ſed quia in ipſo locum nō habet vis, quæ iſtiuſmodi mutationum cauſa eſt: verùm ſi de ipſius miniſtris intelligatur, quis negare poteſt ſanctam Eccleſiam ad Reipublicæ formam cœpiſſe regi? legatur c.15. Actorum Apoſtolicorum, vbi D. Petrus narrat, [ſicut narrauit Cephas:] D. Iacobus iudicat, [ego autem ita iudico,] & edictum omnium nomine vulgatur, [Apoſtoli, Seniores, Fratres: Fidelibus, Salutem. Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, &c. An tunc Petrus primatum obtineret, ſicut Venetiarum Dux, qui licèt magnam habeat præeminentiam, toti tamen Reipublicæ ſubditus eſt, ei diſcutiendum relinquo ad quem ſpectat: hoc mihi ſufficit, Edicta ſcilicet quæ in primitiua Eccleſia Reipublicæ nomine prodierunt, nunc vnius tantùm nomine fieri, quod an mutationem denotet, dicat ille ipſe Do-

minus qui id negat.

Errat vltimò, quia dum rationem diſcriminum inter vtramque poteſtatẽ afferre nititur, hanc affert, quòd nempe titulus vnius immediatè, titulus verò alterius immediatè ſit à Deo: dico illum errare bifariam, quia ſi per titulum intelligat poteſtatem, nõ ita eſt, poteſtas enim non eſt titulus, nec titulus eſt poteſtas: ſin per titulum, modũ intelligat obtinendi poteſtatem, æquè humanus eſt vnus ac alter, nec me ſinent conuinci mendacij Conclauiſtæ: quamuis etiam poteſtas Eccleſiaſtica nõ ſit adeò immediatè à Deo, vt ſecularis, eſt enim in Chriſto homine tanquam in capite Eccleſiæ, cui Deus eam immediatè communicat: [Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra,] Ioh.20. ipſe deinde cõmunicat eam Pontifici: cùm ſit igitur ipſe, vt ait Apoſtolus, 1. ad Timoth. 2. Mediator Dei & hominum, dici debet Deum ſuperioritatem Eccleſiaſticam dare Pontifici mediatè, id eſt per Chriſtum mediatorem: quæ poteſtas non eſt principalis, ſed vicaria, nec Dominium, ſed miniſterium potiùs ac ſeruitutem denotat: ideò magna cum ratione ipſemet dedecori hoc non adſcribit, ſed ſupremo illo titulo Serui Seruorũ Dei ſe ornat, vt & Paſtoris & Epiſcopi, qui omnes tituli Miniſterium potiùs quàm Dominium, humilitatem potiùs quàm maieſtatem denotant, hæc ſiquidem non in domibus Pontificis, quà talis eſt, ſed in domibus Regum ſunt, iuxta Saluatoris dictum: Matth.c.11. Lucæ c.7.

AVTHOR.

HÆc doctrina non eſt mea, ſed D. Pauli Apoſtoli, in epiſtola ad Rom.cap.13. imò ipſiuſmet Spiritus S. qui per os eius loquutus eſt, & penna eius

eius ſcripſit. Verba autem Apoſtoli hæc ſunt: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo. In expoſitione huius loci S. Chryſoſtomus ita loquitur: Fecit hoc Apoſtolus, vt oſtendat Chriſtum, leges ſuas non ad hoc induxiſſe, vt politicas euertat, ſed vt ad melius inſtituat, oſtendens quòd iſtæ omnibus imperentur, & Monachis & Sacerdotibus non ſolùm ſecularibus, id quod ſtatim in initio declarat: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis, etiamſi Euangeliſta, etiamſi Propheta, ſiue tandem quiſquis fueris, nec tamen pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

Locus D. Pauli c. 13. ad Rom. eſt de poteſtate vniuerſali, & docet diuinam inſtitutionem eſſe vt ſubditus obediat ſuperiori, non autem docet Principes ſæculares iure diuino immediatè ſubiectas habere has aut illas perſonas. Et veriſſimum eſt omnem poteſtatem à Deo eſſe, ſed quædam eſt immediatè à Deo, qualis erat Moyſis & Aaronis, & hoc tempore Papæ: quædam verò mediante ſucceſſione, aut electione, alióve humano titulo. Ad teſtimonium S. Ioh. Chryſoſtomi in Paulum reſpōdeo: Sanctum Chryſoſtomum non dicere Sacerdotes & Monachos, ob authoritatem D. Pauli obligatos eſſe ad obediendum Principibus ſæcularibus, ſed ſuis ſuperioribus, qualeſcunque ij ſint. Verum tamen eſt Eccleſiaſticos obſeruare debere leges illas ciuiles quæ contrariæ non ſunt Eccleſiaſticis, & ob

commercia laicis & clericis communia, neceſſariæ ſunt: ſic enim ſcribit Papa Nicolaus ad Imperatorem, in negotiis rerum ſæcularium ſiue temporalium, Eccleſia vtitur legibus Imperialibus, nihilominùs ad hanc obſeruantiam legum Principum ſæcularium, Eccleſiaſtici ſunt tantum, quantum ad directionem, non quantũ ad vim ſcilicet vi rationis non legis: exempli gratia: Si Princeps ſæcularis pretium frumentis ſtatuit, obligati ſunt Eccleſiaſtici illud, pretio à Principe conſtituto, venundare & emere, non quòd hac lege teneantur, ſed quia obligati ſunt ad emendum & vendendum illud iuſto pretio, & hoc loco ratio dictat, illud eſſe pretium iuſtum, quod à Principe eſt conſtitutum. Si autem caſu Eccleſiaſticus aliquis eam legem non ſeruet, ideò non eſt vocandus ad iudicium, nec puniendus à Principe laico, cuius ſubditus non eſt, ſed ſolùm à ſuperiore Eccleſiaſtico.

DEFENSIO.

Marſilius.

IN his paucis verbis Illuſtriſſima ſua Dominatio quatuor obiectiones proponit, quas diſtinctè nitar ſoluere, vt conſtet non præualere authoritatem ratione deſtitutam.

Errat primò, quia dicit locum D. Pauli ad Rom. c, 13. [Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,] de poteſtate in genere, nõ Principũ ſæculariũ intelligi: vellem mihi huius dicti rationem aliquam attuliſſet, quî fieri poteſt vt D. Paulus de poteſtate in genere loquatur, cùm ſcribat hoc caput ad os eorum obturandum, qui Chriſtianos ſeditio-

tioſos eſſe, doctrinámque ſcandaloſam prædicare diuulgabant,ſe nimirum ad obediendum Principibus ſæcularibus non eſſe obligatos,ſed ab eorum iuriſdictione immunes eſſe? ad hoc Paulus reſpondēs dicit,Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,nempe Sæcularibus, qui magnificè viuunt,imò per epithetum, *ſublimioribus*, vocem,*Poteſtatibus*, limitat. Hanc verò eſſe D.Pauli mentem,legatur perſpicuè apud D. Ioh. Chryſoſtomum,apud D. Thomam,apud D.Auguſtinum, apud Theophilactum, eius loci expoſitores, qui vnanimi conſenſu dicunt loqui Apoſtolum de Principibus ſæcularibus,& hoc negare audet Dom.Cardinalis,dicens, loqui ipſum de poteſtate in genere,& ſpeciatim de Pontificia, quæ tunc non ſublimis erat, ſed penes pauperem, ſimplicem , & humilem Apoſtolum. Prætereà ſi de poteſtate in genere loquatur, quomodo poteſtati in genere, aptatur illud quod ſubiungit, [cui tributum, tributum? non enim ſine cauſa gladium portat &c.]Maritus in vxorem ,pater in filios, præceptor in diſcipulum poteſtatem habent, an igitur hi tributum exigere, ſubditos ſuos morti addicere debent? Vt ſaluator oſtenderet Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo , ſicuti Pilato dixerat, nec ſublimem, id eſt mundanam eſſe poteſtatem, hoc vſus eſt argumento, Iohan. 18. [Si Regnum meum eſſet de hoc mundo , vtique miniſtri mei pro me decertarent,iam verò(ſcilicet quia miniſtri mei pro me non decertant) Regnum meum nō eſt hinc.]Ita proprium eſt Principis ſęcularis tributū exigere, geſtare, vel ipſius miniſtros, gladium in vindictam malorum, vt alteri cuilibet Poteſtati non competat. Ac licet quæ D. Paulus dicit, vi-

deãtur allegoricè,& ſẽſu ſpirituali aut myſtico appli cari poſſe Præſuli,ſpirituali quod v.gr. verbi diuini aut excõmunicationis gladium geſtet, quòd lacrymarum & pœnitentiæ tributum exigat: nihilominùs tamen quum de dogmate agitur, non eſt ad eiuſmodi ſenſus,multóque minùs quando ſunt contrarij, vt in hoc noſtro caſu,recurrendum. Ideóque Zuinglio, qui in his verbis,[Hoc eſt corpus meum, explicat verbum, *eſt*,per,*ſignificat*, quia de imagine dicimus, Hoc eſt crucifixum, hoc eſt Domina, id eſt, ſignificat Crucifixum, ſignificat Dominam, audacter reſpondetur opinionem ipſius hæreſim eſſe, quia licèt vſitata ſit hæc loquendi formula, tamen quum agitur de dogmate tanti momenti, quale eſt ſanctiſſimi,Sacramenti, eiuſmodi expoſitiones non ſunt afferendæ, ſed literali adhęrendum,ſcilicet vocem,*eſt*,denotare,*eſt*,&non, *ſignificat*:(Concil. Trident.ſeſſ.13.) ita cùm hæc doctrina plurimùm faciat ad Principis ſecularis authoritatem in orbe Chriſtiano ſtabiliendam non ad allegorias confugere,ſed ſenſui proprio & literali adhærere oportet.

Poſt rationem,ad authoritatem accedamus.Gloſſa interlinearis,in capit.13 ad Roman. verba explicãs, [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſub dita ſit, dicit,id eſt ſecularibus, bonis vel malis]:& paulò pòſt,[in hoc quod ſublimes,id eſt,mũdanis.] S. Iræneus lib.1. cap.24.[Non diabolus determinauit huius ſæculi regna, ſed Deus: Regis enim cor in manu Dei,]& per Salomonem, prou.c.8. ait, [per me Reges regnant.] Et Paulus hoc ipſum ait,[omnibus Poteſtatibus ſublimioribus ſubiecti eſtote.]Tertullianus lib.de Idololatria c.25.[Quod attinet

attinet ad honores Regum vel Imperatorũ,ſatis prę ſcriptum habemus in omni obſequio eſſe nos oportere,ſecundum Apoſtoli præceptum. ſubditos magiſtratibus & principibus.]D. Auguſtinus in expoſitione quarundam propoſitionum epiſtolæ ad Romanos,[Quòd autem ait,Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo:rectiſſimè admonet, ne quis ex eo, quod à Domino ſuo in libertatem vocatus eſt, factus Chriſtianus, extollatur in ſuperbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere ſeruandum eſſe ordinem ſuum, vt poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt,exiſtimet non ſe eſſe ſubdendum. Cùm enim anima conſtemus & corpore, quamdiu in hac vita temporali ſumus,& rebus tẽporalibus, ad ſubſidium degendæ huius vitæ vtimur, oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus,id eſt hominibus res humanas cum aliquo honore adminiſtrãtibus.] In quo loco tria animaduerto:primùm,D.Paulum ſecundum expoſitionem D.Auguſtini de Principe ſeculari ſpeciatim loqui, & non in genere, vt ait Dom.Cardinalis:ſecundum,D.Auguſtinum cùm eſſet Epiſcopus,dicere, [nos oportet ſubditos eſſe poteſtatibus :] tertiũ, vti illum voce,*oportet*,quę præcepti neceſſitatem arguit. Hinc conſtat quàm à Sanctorum, ſpeciatim verò à D. Auguſtini Theologorum luminis doctrina, remotum ſit quod Dom. Cardinalis dicit. D. Thomas Aquinas in cap.13.ad Rom. lectione prima.[Circa primum conſiderãdum eſt quod quidã fideles in primitiua Eccleſia dicebãt terrenis poteſtatibus ſe ſubiici non debere, propter libertatẽ,quã

hoc induxiſſe vt politias euertat,ſed vt in meli' inſtituat:]adeò vt loquatur D.Paulus de Poteſtate politica. Sed quia locũ hunc inferiùs exponemus,eum deſignaſſe ſufficiat. Probatum itaque manet tum ratione,tum Gloſſæ & Sanctorum authoritate, locum D. Pauli non de poteſtate in genere, vt ait Dom. Cardinalis, adeò vt Pontificiam aliáſque complectatur, ſed de poteſtate ſeculari intelligi. Qualis deinſuper ſit error Scripturam exponere ex ſuo ſenſu,& contra vnanimem conſenſum Patrum, in Concil.Trident. ipſa Seſſ. 4. ab ipſo Domino Cardin.citata,legendum mitto.

Errat II.quia dicit poteſtatem quam hodie Pontifex habet,eſſe immediatè à Deo,& non mediante Cardinalium electione, vt omnino fuit Moſis & Aaronis poteſtas.Quoticſcunque oſtendetur Deum alicui à Dominis Cardinalibus electo Pontifici loquutum eſſe,ad faciem in rubo ignis , aut in virga; vt Moſi & Aaroni loquutus eſt,Exod.cap.3. Num. cap.17. eius quoque electionem non verò poteſtatem ſolùm immediatè à Deo eſſe dicam:& ſi Deus loquutus eſt,ſempérque loquitur iis qui Pontifices eliguntur:vt ait Dom.Cardinalis,ad quid Conclauia,ad quid tot artes & monopolia, & cætera quæ ſequuntur?non igitur opus eſt vt Pontificem eligant Illuſtriſſimi Dom.Cardinales, quia immediatè à Deo eligitur,ſicut Moſes & Aaron electi fuêre: quæ eſt doctrina hæc noua? Deus ceu prima cauſa, permittit vt cauſæ ſecundæ agant ſuo modo, & quamuis in Pontificis ac Principum electione ſpeciali modo adſit ad bonum vniuerſale,non ideò cogit eligentium libertatem,aut expreſsè declarat,loquendo de ordinario modo, quando de reuelatio-

ne non conſtat, velle ſe vt hic & non ille eligatur, vt fecit erga Moſem & Aaronem, imò permittit aliquando in peccatorum noſtrorũ pœnam, vt Princeps malus, aut Pontifex ſimilis eligatur, ſed abſoluta electione legitima, Vicariam poteſtatem à Chriſto inſtitutam dat Pontifici, eam verò dat Principi quæ ab humanæ naturæ authore cũ ipſa natura inſtituta fuit. Nec diſcrimen illud video quod Dõ. Cardinalis inſtituit, Principẽ videlicet ab hominibus, Pontificem à Deo, & non ab hominibus eligi, vt Moſes & Aaron electi fuerunt.

Errat III. quia cùm D. Iohannes Chryſoſtomus de Principibus & Magiſtratibus politicis clarè loquatur, de quibus etiam, vt probatum eſt, D. Paulus ſpeciatim agit, ipſe liberè dicit de his illum non loqui, ſed de poteſtate in genere. Quî fieri poteſt vt D. Iohan. Chryſoſtomus de poteſtate in genere loquatur? ſi vel vnam coniecturam Dom. Cardinalis attuliſſet, non parùm mihi ſatisfeciſſet: verùm quia ſuæ reſponſionis aliam rationem non affert quàm ipſammet reſponſionem, non erit abs re errorem eius rationibus, & Sancti eiuſdem Doctoris authoritate demonſtrare. Ac primò ſi D. Paulus, vt probatum eſt, de Principibus ſecularibus ſpeciatim eo capite loquatur, quomodo fidiſſimus eius interpres de imperandi poteſtate in genere loquetur? Secundò, quas D. Paulus ſublimes poteſtates vocat, ille has toto ſuo Sermone Principum & Magiſtratuum nomine deſignat: eorum inquam Principum & Magiſtratuum qui leges politicas condunt, ac Reipublicæ onus ſuſtinent, quibus dari tributum iubet Apoſtolus, quia pacem conſeruant & in Ciuitate abundantiam, bella gerunt

ad

ad ſubditos protegendos,ſeditioſos malóſque ciues plectunt. Qui-nam ſunt,quæſo,hi,niſi Principes ſeculares? Tertiò,non-ne dicit D.Paulum.quòd ſparſus eſſet rumor Apoſtolos ſeditioſos eſſe, ac ne Principibus,communibúſque legibus pareretur eos prædicare,hæc ideò ſcripſiſſe, eiúſque capitis dogmata ſub præcepto iniunxiſſe? Quartò nō-ne dicit Apoſtolum tum hoc loco,tum alibi,velle,vt quemadmodum famuli ſuis dominis ſubiecti ſunt,ita qui in certis prouinciis degunt, ſuis Principibus ſint ſubiecti? Quintò, verba illa,[facit autem hoc ideò, vt oſtendat Chriſtum leges ſuas non ad hoc induxiſſe vt Politias euertat, ſed vt in meliùs inſtituat,] nempe iubendo vt illis pareatur, tributum ſoluatur &c.non-ne apertè demonſtrant, ipſum hoc ſpeciatim intelligere de Principibus ſecularibus, quibus debetur obedientia ſecundum politicas leges? Denique hæc concluſio omnem fugæ viam Illuſtriſſimæ ſuæ Dominationi præripit]: Oſtendens quòd iſta imperentur omnibus, & Sacerdotibus,& Monachis, non ſolùm ſecularibus, id quod ſtatim in ipſo exordio declarat, quum dicit, Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit]: quales ſint poteſtates ſupereminentes, præter id quod ſuprà dictum eſt,declarat idem D. Iohan. Chryſoſtomus, modò Principes, modò Magiſtratus eas vocans: vnde argumentum ſuum corroborans, ſubdit, etiamſi Apoſtolus ſis, etiamſi Euangeliſta, etiamſi Propheta, ſiue quiſquis tandem fueris, neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio, id eſt Religionem Chriſtianam,] vt ijs reſponderetur,qui Chriſtianos Principibus ſecularibus obedire indecens eſſe dicebant,v-

bi non dicit Principem Apoſtolis ſubiectum eſſe in temporalibus, at verò dicit Apoſtolos qui omnes æqualis poteſtatis, Principi ſubiectos fuiſſe. Hoc adeò euidens eſt, vt grauiſſimè ſim erraturus, ſi in eo patefaciendo diutiùs immorer. Hoc tantum monere volo, D. Ioh. Chryſoſtomum vt ſubditorum ſuo Principi obediētiam Reipublicæ vtilē eſſe probet, pro more ſuo demonſtrare inferioris ſubiectionem ſuperiori, omnibus modis vtilem eſſe, vt eſt vxoris ſubiectio ad maritum relata, filij ad patrem, diſcipuli ad præceptorem, iuuenis ad ſeniem, cuius vtilitatis participes ſunt aues quæ ducem vnā ſequuntur, ipſique piſces, in quā enumerationē cū poſſet de ſubdito loqui reſpectu Præſulis Eccleſiaſtici, abſtinuit, ob id forſan, quod ab eodem Spiritu S. edoctus, D. Bernardus dixit, [Apoſtolis interdicitur dominatio, indicitur miniſtratio:] ſed eā ſuperiorum & inferiorum enumerationem non adfert, non quia D. Paulus de omnibus in genere loquatur, verùm vt oſtendat cùm, ſicut in omnibus illis exemplis patet, vtilis ſit inferioris ſuperiori ſubiectio, exiſtente Principe ſuperiore, ſubdito inferiore, obedientiam ei deberi in omnibus à D. Paulo expreſſis in perſona Principis, [omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.] Diuinam illam homiliam legi velim, quæ eſt 23. in epiſtolam ad Romanos.

Errat IV. quia dicit Clericos ad obediendum Principi eiúſque legibus obligatos non eſſe, vi legis, ſed tantùm vi rationis. D. Paulus dicit, [qui Poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: bonum fac, & habebis laudem ex eo, ſi malum feceris time, nam miniſter Dei eſt in iram ei qui malè agit,] ac

de

de omnibus, ne vno quidem excepto, loquitur. At Dominus Cardinalis quem vult, liberat, & à ſubiectione eximit: ego verò, vt verum fatear, maiorem D. Paulo, & linguis penniſque Spiritus Sancti fidem adhibeo, quàm omnibus reliquis Mundi ſcriptoribus: quotieſcunque Illuſtriſſima ſua Dominatio Euangelij, Canonicarum epiſtolarum, aut librorum eiuſmodi locũ adducet, qui apertè dicat Clericos in temporalibus, Magiſtratuum politicorum legibus obedire non teneri, quum ab iiſdem Magiſtratibus exemptionis priuilegium non habuerint, ſicut ei apertum locum D. Pauli oſtendo, ſic à D. Ioh. Chryſoſtomo, à D. Auguſtino, à D. Thoma, aliiſque intellectum, illos nempe ad obediendum obligatos eſſe, dabo manus: Me omnino victum dicam. Ac ſanè clericos in cauſis ſpiritualibus & eccleſiaſticis exemptos eſſe par eſt: ſed in ſecularibus politiciſque negotiis quam ob cauſam? an fortaſſè quòd clericalem aut Sacerdotalem characterem acceperint? minimè: quia nec minùs ij qui Baptiſmi Sacramentum, & characterem accipiunt, à Principum infidelium, aut dominorum, ſi mancipia fuerint, poteſtate manent liberi: igitur à fortiori, qui naſcuntur, vel ſunt ratione delicti, Principis alicuius ſubditi, à ſubiectione non liberantur, quòd clericalem characterem acceperint, iuxta regulam, [Si non de quo magis, ergo neque de quo minùs:] & huius ratio eſt quam affert D. Io. Chryſoſtomus, [neq; enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio:] eáq; D. Thomæ, quia Chriſtiana libertas eſt ipſius ſpiritus & contra peccatum, non carnalis & de ſeculari iuriſdictione. Sed dato, non conceſſo, quòd obedire teneantur nõ vi legis, ſed vi rationis, ſcire cupio

quid illa vis rationis denotet. Exiſtimo ipſum vnà cum aliis omnibus intelligere Rationis legem cum lege Naturæ eandem eſſe, quòd ſi ita ſit, in quem finem tot Monitoria, tot Excommunicationes? cur non parent Eccleſiaſtici Sereniſſimæ Reipublicæ Legibus, quæ adeò iuſtæ ſunt? vt probatum eſt in libro quem hac de re doctiſſimè ſcripſit R.P. M. Paulus Ordinis Seruorum, Theologus eminentiſſimus. Naturæ lex multò maiorem habet vim quàm lex Magiſtratus, igitur etiam diligentiùs obſeruanda. Verùm dicat Domin. Cardinalis, numnam parendum ſit, Principis ſecularis non eſſe diſquirere, ſed Eccleſiaſtici. Hoc non tollit quin Reſpublica Veneta, multorum Principũ Chriſtianorũ imitatrix, politicas leges poſſit condere, quæ gubernationis politicæ gratia, Eccleſiaſticos comprehendant, quia ſaltem, iuxta D. Cardinalem, ſeruare has tenentur vi rationis. Sed plus dico, cum de legis præuaricatore iudicium ferre, qui legem poteſt condere, Princeps ſecularis legem poteſt condere quæ omnes obſtringat in temporalibus, & in conſcientia, ergo & ipſe iudicium ferre poteſt. Ordinis character ad hoc facit, vt in iis quæ ad Sacrum Miniſterium ſpectant, & cum eo iuncta ſunt, Præſuli ſuo ſubditi ſint Clerici: at verò quòd in temporalibus, Principis ſubditi naſcentes, vbi primùm ſacris initiati ſunt, à ſubiectione liberi euadant, monſtrum mihi videtur, non ſolùm in Euangelica Doctrina, vbi tantoperè commendatur humilitas & ſubiectio, ſed etiam ratione luminis naturalis, quod amiſſis etiam ſcriptis omnibus legibus, ipſum nobis eſſet lex, ad Rom. cap. 2. Si hæc Dom. Cardinalis

perſua-

perſuaſio vera eſſet, cur non eſt de iure diuino, vt Clerici non nubant? Poſſent ſummi Põtifices id abſoluere quod Bonifacius VIII. facere tentauit, qui declarauit eos omnes qui primam tonſuram haberent, vel quatuor minores, licèt coniugatos, Eccleſiæ ſubditos fore, cui malo ſanctiſſimis legibus occurrerunt omnes Principes, & meritò, fuiſſet enim hæc eſſétque Suę Sanctitati ratio facilis, totius Chriſtiani orbis etiam in temporalibus dominium acquirendi, efficiendo nempe vt omnes vertice inſignirentur, vel in quatuor minorum ordinem referrentur: libertas hæc à ſubiectione Apoſtolica eſt admodum aliena.

AVTHOR.

VNde in antiqua Lege, quamuis Leuitæ habuerint Sacerdotem ſummum, id eſt Aaronem, nihilominùs in negotiis & iudiciis tẽporalibus ſubiecti manſerunt Moſi Principi temporali eorum, vt rectè probat Couarruuias cap. 31. qq. Practicarum, concl. 2.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

MOſes erat ſummus Sacerdos vnà cum Aarone, & per extraordinariam diſpoſitionem maior erat ipſo Aarone. Et quamuis contrarium dicat Couarruuias, plus ſacræ ſcripturæ & ſanctis Patribus credere oportet, quàm Couarruuiæ, qui in iuriſdictionis materia in alteram partem nimis inclinare ſemper viſus eſt. Pſa. 98. dicitur apertè Moſes & Aaron in Sacerdotibus eius, id eſt, Moſes

& Aaron erant Sacerdotes Dei. Exodi c. 40. offert Moſes Deo incenſum, quod principale erat officiũ ſummi Sacerdotis. Leuitici cap. 8. conſecrat Moſes, vt ſummus Sacerdos, fratrem ſuum Aaronem, filióſque eius Sacerdotes cõſecrat, ſacrificiúmque in eorũ conſecratione offert. Vnde doctiſſimus Philo Hebræus de vita Moſis lib. 3. ſub finem ait, Moſem & Pontificem, & Regem, & Prophetam fuiſſe. S. Gregorius Nazianzenus oratione habita coram Gregorio Nyſſeno, ait: Moſes erat Sacerdos Sacerdotum, & Princeps Principum. Et D. Auguſtinus q. 23. in Leuiticum, dicit ambos Moſem & Aaronem ſacerdotes fuiſſe. Id ipſum repetit tract. in Pſalm. 98. Ita etiam D. Hieronymus l. 1. contra Iouinianum, & ante hos omnes Dionyſius Areopagita c. 5. de Hierarchia Eccleſiaſtica. Cùm itaque Moſes ſummus Sacerdos fuerit, mirũ non eſt Leuitas, qui ea ætate Eccleſiaſtici erant, ei tanquam proprio iudici & capiti fuiſſe ſubiectos.

DEFENSIO.

Marſilius.

NOn erat quòd Dominus Cardinalis in demonſtrando multis patrum authoritatibus laboraret, Moſem Sacerdotem fuiſſe, ac primò Aaronem ſummo Sacerdotio donaſſe, vt meliùs adminiſtrationi politicæ incumberet, aut ſummũ Sacerdotẽ illum fuiſſe: cùm iſtud à Couarruuia, vel ab Authore non negetur, quod vox illa, manſerunt, ſignificat: hoc autem Couarruuias, Author, aliíque Doctores dicunt, ſignum ſcilicet euidens Leuitas in rebus iudiciíſque temporalibus, non ſummo Sacerdoti, ſed Principi

Principi temporali ſubiectos fuiſſe, hoc eſſe, quòd cùm Moſes omnem ſummi Sacerdotij, rebúſque ſacris omnibus incũbendi authoritatem, in Aaronem tranſtuliſſet Leuitas & Sacerdotes in temporalibus iudicandi authoritate ſe omnino non ſpoliarit: ex quo euincitur hanc authoritatẽ ſummo Sacerdotio minimè adnexam fuiſſe: ſi enim adnexa fuiſſet, eam illi quoque dediſſet, tum ne iniuriam ipſi faceret, tum quia, cùm, vt ait Dom. Cardinalis, ſit exemptio de iure diuino, iudicium ordinario Iudici relinquere debebat, tũ ẽt quia in politicis aliis rebus tractandis liberior fuiſſet: prætereà licet Moſes fuerit Sacerdos, & ante Aaronem ſummus Sacerdos, dicere non conuenit, duos eodem tempore fuiſſe ſummos Sacerdotes, quoad exercitiũ, maximè cùm in Scriptura, quando Summi Sacerdotis fit mentio, nõ de Moſe, ſed de Aarone hoc dicatur: imò D. Paulus ad Hebræos cap. 5. de Pontifice loquens non dicit, [Qui vocatur à Deo tanquã Moyſes, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: [Sancti præterea qui eũ illis titulis ornant, deſignant qualis fuerit, ſed nemo dicit, ipſum Aarone ſummo Sacerdote facto, ſummum etiam ſacerdotem fuiſſe quoad exercitiũ, nãEccleſia vna cũ duobus capitibus in ſpiritualibus, monſtrũ fuiſſet, ac vnitatẽ Eccleſiæ & Chriſti parũ ſignificaſſet, inſuper ſi Dominus Cardinalis ita pro certo habeat, Leuitas à poteſtate & iudicio tẽporalis Principis in temporalibus immunes fuiſſe, cur apertum locum qui hoc demonſtraret, non attulit, ſicut Author ei duos affert, hunc Moſis, illum Salomonis, 3. Reg. c. 2. de quo dicetur ſuo loco, & quamnis locum aliquem adferret, cùm antiquæ legis præcepta ceremonialia & iudicialia abrogata ſint,

ad rem non faceret,nos enim immunitatis præceptum in Euangelica lege quærimus,nec ideò reprehenſionem author meretur , quòd non ex propria ſententia loquatur,ſed authoritate Couarruuiæ argumentetur à ſimili,ob rationem ſuperiùs allatam.

AVTHOR.

ET in primitiua Eccleſia diſtinctio fori non fuit: nam Iuſtinianus Imperator primus fuit qui rogatus ab Epiſcopo Conſtantinopolitano Eccleſiaſticis conceſſit,vt in ciuilibus cauſis à ſuis Præſulibus iudicari poſſent,ipſo tamen non impedito, quo in caſu & in delictis criminalibus permittit vt Eccleſiaſtici ſubiecti ſint Principi,& miniſtris Principis temporalis,vt videre eſt in nouella conſtitutione 85.(corr.83.)Iuſtiniani Imperatoris.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

OMnino contrarium reperio in ſcriptura & ſacris Conciliis:tempore enim primitiuæ Eccleſiæ D.Paulus demõſtrat Epiſcopum habuiſſe ſuum tribunal,& ſubditos ſuos Eccleſiaſticos iudicaſſe,vt ex verbis cap.5.primæ epiſt.ad Timotheum Epiſcopum Epheſinum conſtat.Aduerſus Presbyteros accuſationem noli recipere,niſi ſub duobus vel tribus teſtibus.Et in Concilio generali Calcedonẽſi,quod ante natum Iuſtinianum Imperatorem celebratũ eſt,canone 9.ita habetur:Si clericus aduerſus clericum habeat negotium, non relinquat Epiſcopum ſuum,& ad ſæcularia iudicia non recurrat. Quî dicit ergo nouus hic Theologus in primitiua Eccleſia fori diſtinctionem non fuiſſe,& Iuſtinianum Impera-

peratorem primum permiſiſſe Eccleſiaſticis, vt à ſuis Præſulibus iudicari poſſent?Neq; ſolùm Calcedonenſe concilium,ſed etiam Agathenſe can. 32. id ipſum docet:clericus ne quenquam præſumat apud ſecularem Iudicem Epiſcopo non permittente pulſare,& ſi pulſatus fuerit,non reſpondeat, nec audeat criminale negotium in iudicio ſæculari propo nere:& Concilium 3.Carthaginēſe centum triginta annis antiquius temporibus Iuſtiniani Imperatoris,canone 4.Item placuit,quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum , Diaconorum,ſeu Clericorum,ſi derelicto Eccleſiaſtico Iudicio publicis iudiciis purgari voluerit,etiamſi pro ipſo prolata fuerit ſententia,locum ſuum amittat,& hoc in criminali actione:in ciuili verò perdat quod euicit &c.Concilium Mileuitanum ſimiliter antiquiſſimum, vti Carthaginenſe quoque can.18.dicit: placuit vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit,honore proprio priuetur. Ecce quàm falsum ſit à tempore primùm Iuſtiniani factam eſſe fori diſtinctionem.Verùm quia Iuſtinianus magnam ſibi vſurpabat authoritatē in iudicandis negotiis Eccleſiaſticorum,ideò Menna Patriarcha Conſtantinopolitanus petiit ab Imperatore vt ſaltē Epiſcopis permitteret cognitionem cauſarum ciuilium,quod Imperator indulſit.Et verum eſſe nimiā ſibi Iuſtinianum authoritatem vſurpaſſe clarè apparet,quia non ſolùm auſus eſt Clericis leges præſcribere in negotiis temporalibus , ſed etiam in ſpiritualibus , vt legenti titulum de ſanctiſſimis Epiſcopis, & alium de ſacroſanctis Eccleſiis clarum fiet. Et multò dilucidius hac de re Nomocanon Photij : cùm tamen omnes Theologi, &

Canoniſtæ, quin & ipſe Couarruuias, doceant, iudicia negotiorum ſpiritualium, iure diuino ſolùm ad Epiſcopos & Summum Pontificē, tanquam ſupremum Iudicem pertinere. Vnde non ſolùm ante, ſed etiam poſt Iuſtiniani tempora, prohibent Concilia Clericis, ne ſe à iudicibus ſæcularibus iudicari permittant, vt videre eſt in Concilio Toletano 3. canone 13. & aliis: Atque vt quilibet cognoſcat quàm exiguum & fragile fundamentum, in ea conſtitutione nouella 83. (non 85. vt malè author citat) ſtruatur, attendendum eſt Imperatorem in ea ipſa conſtitutione dicere, iudicem ſæcularem non poſſe punire Eccleſiaſticum, niſi priùs ab Epiſcopo dignitate clericali ſpolietur, & vtitur hiſce verbis: priùs hunc ſpoliari à Deo amabili Epiſcopo ſacerdotali dignitate conuenit, & ita ſub legum fieri manu. Si igitur Eccleſiaſticus non eſt ſub manu legum, id eſt, ſubiectus non eſt legibus ſæcularibus, niſi prius ab Epiſcopo exauguretur: quomodo igitur à Iudice ſæculari iudicari poteſt, quamdiu clericalem dignitatem retinet. In ea etiam cōſtitutione ait is ipſe Imperator: Leges imperiales non dedignari ſacros Canones. Cùm igitur ſacri Canones decreuerint, Eccleſiaſticos iudicandos eſſe à ſuis ſuperioribus, quomodo poterit obſeruari ea conſtitutio quę contrarium determinat? Addo demum tam iniquam iudicatam fuiſſe hanc Iuſtiniani determinationem, vt Fridericus Imperator hanc & alias libertati Eccleſiaſticæ contrarias Iuſtiniani conſtitutiones reuocarit. Ita enim legimus in prima eius conſtitutionę: Sanè infidelium quorundam & iniuſtorum adeò abundauit iniquitas, vt non dubitent contra Apoſtolicā diſciplinā, & ſacros Canones ſta-

nes ſtatuta ſua cõfingere contra Eccleſiaſticas perſonas,& Eccleſiaſticam libertatem. E ptaulò inferius:Item ſtatuimus vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali vel ciuili quæſtione , trahere ad iudicium ſæculare præſumat contra conſtitutiones imperiales, & canonicas ſanctiones. Quod ſi fecerit Actor à iure ſuo cadat, & iudicatum non teneat,& iudex ſit tunc iudicandi poteſtate priuatus.Et multò ante Fridericum Imperatorem Baſilius abrogauit legem quandam Nicephori Imperatoris contra libertatem Eccleſiaſticam, dicens ex ea lege infinitas calamitates Reipublicæ contigiſſe. Legatur Balſamon in Nomocanonem Photij, vbi primum Canonem Concilii primi & ſecundi Conſtantinopolitani declarat. Et hæc ad authoritatem Iuſtiniani dicta ſufficiant.

Defensio.

Marſilius.

NOuella Iuſtiniani Imperatoris 83. quam Author non malè citauit,ſed eius numerum malè Typographus adpoſuit,tria continet, primùm à Patriarcha Conſtantinopolitano,Menna dicto rogatum Imperatorem priuilegio conceſſiſſe, vt in cauſis pecuniariis, quas Author iuxta communem vſum,ciuiles vocat,poſſent Eccleſiaſtici à ſuo Præſule iudicari,non ex ſcripto,ſed breuiter, niſi ex partium conſenſu aliquid ſcribere neceſſe eſſet: verùm ſi rei natura vel difficultas ſummariam hanc deciſionem non pateretur,vt actoribus liberum eſſet ad ſecularium Iudicum ordinariorum forũ recurrere.

Verba Imperatoris hæc ſunt: [Petiti ſumus à Menna Deo amabili Archiepiſcopo huius feliciſſi-

mæ Ciuitatis,& vniuerſali Patriarcha,Reuerendiſſimis clericis hoc dare priuilegium, vt ſi quis habet aduerſus eos quamlibet pecuniarum cauſam, priùs ad Deo amabilem Archiepiſcopum pergat ſub quo cōſtitutus eſt,& interpellet eum, & ex non ſcripto iudicium mereatur,& ſi hoc fiat, nec inquietet eũ, nec tradat ad auditoria ciuilia, neque à ſacro eum vacare faciat miniſterio, ſed ex non ſcripto examinetur negotium ſine damnis, & accipiat formam forſan etiam ſcriptam, ſi hoc partes voluerint, & popoſcerint,& liberentur alterutro certamine. Si verò propter cauſæ naturam, aut propter quandam difficultatem,non fuerit poſſibile Deo amabili Epiſcopo decidere negotium,tunc licentiam eſſe & ad Ciuiles iudices pergere, & priuilegiis omnibus cuſtoditis,quæ reuerendiſſimis Clericis ſacræ præſtant conſtitutiones,litigare,examinationem fieri, & terminũ imponi liti.] Hîc multa animaduerto: primò Patriarcham priuilegium petere,ergo non habet illud de iure diuino,aliàs enim peccaret in eo petendo: ſecundò non abſolutè illi Imperatorem forum concedere,ſed vt iudicet ſine ſtrepitu, & ex non ſcripto:quod valdè repugnat conſuetudini quæ viget in Curiis Eccleſiaſticis, vbi interdum maior eſt ſtrepitus iudiciarius, plures ſunt notarij, plures lictores, plures pro ſcripturis ſolutiones,quàm in Curiis Principum ſecularium: tertiò reddi ab Imperatore rationem ob quam priuilegium concedat, ne ſcilicet clerici in huiuſmodi ſtrepitibus occupati, ſacra miniſteria intermittant: quartò,non abſolutum ſed conditionale priuilegium concedi.

Secundum quod Nouella continet,eſt, In cauſis crimina-

criminalibus ciuilibus, id eſt, temporalibus & non ſpiritualibus, id quod explicat Couarruuias his verbis, [quæ ſpiritualia non attinent,] Clericos iudicari debere Conſtantinopoli à ſecularibus Iudicibus competentibus, & in toto imperio à Prætoribus, hac limitatione vt lis intra duos menſes terminetur, & cùm Prouinciæ Præſes Clericum iudicauerit, non priùs pœnã infligi patiatur, quàm ab Epiſcopo pro more exauguratus, & ſacerdotali dignitate ſpoliatus fuerit: Verba Imperatoris hæc ſunt: [Si tamen de criminalibus conueniantur, ſi quidẽ ciuilibus id eſt non Eccleſiaſticis, hîc quidem competentes Iudices, in Prouinciis autem earum Præſides, ſiue Iudices non tranſcendẽte lite, menſium duorum ſpatium, ex quo litis conteſtatio fit, quatenus breuis imponatur cauſæ terminus, illud palàm eſt ſi reum putauerit eſſe eum qui conuenitur Prouinciæ præſes, & pœna iudicauerit dignum priùs hunc ſpoliari à Deo amabili Epiſcopo Sacerdotali dignitate, & ita ſub legum fieri manu.] In quibus verbis plura itidem notanda ſunt: primò dari delicta criminalia ciuilia, id eſt politica, quæ cum clericali ordine nil commune habent: ſecundò, hæc à temporalibus Iudicibus iudicanda eſſe & punienda: tertiò Iudicem temporalem poſſe ob talia delicta Eccleſiaſticos morte punire: quartò Imperatorem ſe ſuóſque ciuitatis Conſtantinopolitanæ Iudices non obſtringere vt Sacerdotes primò exauguratos Iuſtitiæ Miniſtro tradant, ſed tantùm Prouinciarum Prætores: adeò vt ipſe ceu Princeps ſupremus, cum Iudicibus ſuis Conſtãtinopolitanis, ab ea obligatione delinquentem primò exaugurandi, liber maneat: tã-

dem notandum, præcedere iudicis ſecularis iudicium, dein ſequi exaugurationem priùs quàm ſententiæ fiat executio, nam manus legum, iuſtitiæ eſt executor, vnde elicitur quàm ſiniſtrè Dom. Cardinalis hunc locum intellexerit, qui dicit delinquentem iudicari & exaugurari debere primò ab Epiſcopo in eiuſmodi delictis, poſteà à Iudice ſeculari, eo quod dicat, tunc ſub legum fieri manu. Nam Imperator clarè loquitur, Iudicis nempe ſecularis iudicium præcedere, deinde exaugurationem, ac tãdem ſententię executionem ſequi debere, id verò in Prouinciis, non in ciuitatibus Imperialibus.

Tertium quod prædicta Nouella continet, eſt, clericorum delictum ſi fuerit Eccleſiaſticum, quod pœna Eccleſiaſtica puniri debet, hoc ab Eccleſiaſtico Præſule fieri debere, ſecundùm ſacras diuináſque regulas, quas leges Imperiales hac in parte ſequi nõ dedignantur. Imperatoris verba hæc ſunt: [Si verò Eccleſiaſticum ſit delictum egens caſtigatione Eccleſiaſtica, & multa, Deo amabilis Epiſcopus hoc diſcernat, nihil communicantibus clariſſimis Prouinciæ Iudicibus: neque enim volumus talia negocia ſcire ciuiles Iudices, cùm oporteat talia Eccleſiaſticè examinari, & emendari animas delinquentium per Eccleſiaſticam multam ſecundum ſacras & diuinas regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges.] In his verbis multa ſunt etiam notatu digna. Primum, delicta dari Eccleſiaſtica, id eſt ordini clericali adnexa: Secundum, ſacros Canones de hiſce delictis, quum eos à Præſulibus puniri debere dicunt, ipſámque ſacram Scripturam loqui: tertium, iudicium hoc & pœnam non cum ſtrepitu

cor-

corporali eſſe debere,ſed vt animas emendet,& per paternam correctionē, quæ pœna eſt Eccleſiaſtica, cum eiuſmodi aliis & non corporalibus. Iam verò quoniam hæc delictorum,iudicum, pœnarum,fori,diſtinctio,apud nullum ante Iuſtinianum legitur, ob id rectè dixit author diſtinctionem huiuſmodi in primitiua Eccleſia non fuiſſe, & quia per vocem fori,ciuile intelligitur & contentioſum, certum eſt, antequam hoc Mennæ Patriarchæ Iuſtinianus concederet, neminem in ſimilibus cauſis ad Præſules ceu Iudices publicos,recurriſſe, ſed ad Iudices ſeculares. Poſtquàm oſtendimus quàm ſolidè ac verè author dixerit forum in politicis cauſis ac delictis de quibus agitur, in primitiua Eccleſia diſtinctum non fuiſſe, priuſquàm id Iuſtinianus priuilegio diſtinxerit,errores demum detegendi tempus eſt.

Errat I. quia D. Pauli locum adferens cap. 5. ad Timoth. ſupponit habuiſſe Timotheum tribunal ad delicta quæ non eſſent eccleſiaſtica & ſpiritualia, & tamen D. Paulus de forma iudiciaria non loquitur,ſed de paterna & Eccleſiaſtica correctione: dicit enim, [Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere niſi ſub duobus vel tribus teſtibus, peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.] Vox, *argue*, non ſignificat vt illos in carceres detrudat, in exilium mittat, vel eos ſuſpendendos curet, ſed vt eos reprehendat, priuatim, ſi priuatum peccatum, publicè ſi publicum commiſerint, quem locum explicans D. Auguſtinus ſecundum gloſſam, ait, [aliquando debes corripere peccantem inter te & ipſum ſolum, vt dominus in Euangelio, aliquando coram omnibus, vt cæteri timeant.] Vnde colligitur D. Paulum de Tribunali-

bus non loqui,vt Dom.Cardinalis ait,ſed de Eccleſiaſtica correctione, quæ propria eſt Euangeliſtæ non Iudicis,iuxta eiuſdem Apoſtoli verba, 2.ad Timoth.c.4.[Argue,obſecra,increpa in omni patientia, & doctrina:] & paulò pòſt, [opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.] Non nego tamen quin pro perſonarum titulis, & atrocitate delictorum, non poſſit ab eo qui talem authoritatem habet, Eccleſiaſtica correctio fieri, vt idem ſcribit Apoſtolus, ad Titum c.2. cum omni Imperio, id eſt citra timorem.Sed qui hoc vult facere,præter conditiones præfatas, eas quoque boni Præſulis habere debet,ad Timoth.c.3. [Oportet autem Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem,&c.]Hoc enim eſt diſcrimẽ inter eum qui iudicat, & eũ qui arguit vel corrigit, vt is qui iudicat, licèt prauus ſit, vtilis tamen ſit eius ſententia:ſed qui corrigit,nihil promoueat,quando prædicat non furandum,& ipſe furatur:Rom.2.

Errat II. quia per teſtes, homines intelligit qui iuridicè debeant examinari, & tamen ad paternam admonitionem ſola verba ſufficiunt, ne ad Presbyterum corrigendum facilè moueatur Epiſcopus,ſed magna cum ratione, à duobus vel tribus teſtibus de totius rei veritate certior factus. Huc reſpiciens D.Ambroſius in gloſſa dicit, [Quoniam verò non facilè credi debet de Presbytero crimen,ſi probetur tamen, aut ſit manifeſtum quatenus irreuerenter verſatus eſt, publicè præcipit arguendum, vt cæteri terreantur, quod non ſolùm ordinatis proficit, ſed & plebi, quando vident dignitoſum virum erroris cauſa corripi:] Intelligit itaque in delictis conuerſationis proprio ſtatui irreuerentis: quæ omnia non deſignant Forum, ne dum Fori diſtinctionem, ſed pater-

paternam correctionem denotant.

Errat III. quia D. Paulus non dicit Clericos in cauſis omnibus temporalibus ac delictis ad Iudicẽ Eccleſiaſticum confugere debere, quod eſſet fori diſtinctionem adferre, ſed tantùm accuſationem aduerſus Presbyterum non debere niſi duobus vel tribus teſtibus ab Epiſcopo recipi: quod ad rem noſtram non facit: nam ſiue ad paternam correctionem, ſiue in cauſis Eccleſiaſticis ad Epiſcopum ſpectantibus iuxta citatam Nouellam, non debet Epiſcopus accuſationi contra Presbyterum fidẽ adhibere, niſi à duobus tribúſve teſtibus probetur: ideò tamẽ non concluditur D. Paulũ Tribunal Eccleſiaſticum conſtituiſſe, coram quo, & non coram Seculari, iudicentur ciuiliter delinquentes Eccleſiaſtici, de quo loquitur Author.

Errat IIII. quia Concilij Calcedonenſis locus nõ pro ipſo, ſed pro nobis facit, cùm in eo nec de tribunali, nec de fori diſtinctione agatur, ſed dicatur tantùm, vt ad Iudicem ſecularem priùs non eatur quàm de re coram Epiſcopo, aut arbitrariis iudicibus ab vtraque parte electis actum fuerit: volens Concilium dare operam, ne Presbyteri aduerſus ſe inuicem tota die per Curias curſitarent, atque ita diuina miniſteria intermitterẽt: quia verò D. Cardinalis omnia Cõcilij verba fideliter non citat, ea proponã: [Si Clericus aduerſus Clericũ habet negotium, nõ relinquat ſuum Epiſcopum, & ad ſecularia iudicia nõ concurrat. Sed priùs negotiũ agitetur apud propriũ Epiſcopũ, vel certè ſi fuerit ipſius Epiſcopi iudiciũ, apud arbitros ab vtraq; parte electos audiatur negotiũ.] In quo Canone eſt notãdũ:

primò ſermonem eſſe de negotio inter duos Clericos, adeò vt ſi vnus fuerit clericus,alter ſecularis,locum non habeat Canon: ſecundò de iis cauſis agi quas poſſint arbitri componere: tertiò, de foro iudicióve publico non agi, ſed de amico iudicio omnibus conceſſo: quartò, non prohiberi ne Clerici eant ad ſecularem iudicem, ſed tantùm ne ad illum priùs eant quàm inter ſe conuenire tentarint, non ratione iudiciaria,ſed amica & arbitraria. Nunc verò quid ſuperiùs dicta commune habent cum hoc, quod fori differentias Concilium conſtituit,de quo foro,vel de quo publico iudicio agitur in Concilio? imò ex ipſo Concilio contrarium colligitur, nam præſupponit debere Clericos ire ad ſeculare iudicium,ſed eos monet vt primò in charitate conuenire tentent coram Epiſcopo,vel iudicibus ab ipſis electis, non verò abſolutè dicit ne ad ſecularem iudicem concurrant, ſed vt ante hoc, conuenire inter ſe modo pręſcripto in charitate conētur.Nec Dom. Cardinalis ſolus, malè hunc Canonem citauit: ſed multos hac in re ſocios habuit,qui fortè ipſi erroris cauſa fuerunt, quem, credo, ſi legiſſet textum, non commiſiſſet.

Errat V. quia dicit Concilium prohibere ne Clerici ad ſeculares iudices confugiant, contrarium tamen præſupponit Concilium, vt nempe ad eos cōfugiant,ſed non priuſquàm viderint an coram Præſule poſſint inter ſe conuenire, quem ipſe dicit iudicem competentem à Concilio vocari, in eo tamen hæc vox non reperitur.

Errat VI. quia Concilium Agathenſe, præſupponens Clericos,pro criminalibus delictis, ad ſecularem Iudicem confugere ſolitos eſſe, aut accuſandi

aut

aut ſe defendendi gratia, aliquo criminaliter eos accuſante, prohibet ne hoc fiat ob periculum incurrendi in irregularitatem, non permittente Epiſcopo. Quod etiam hodie in vſu eſt: ſed inde non colligitur Fori diſtinctionem fuiſſe, quin potiùs contrarium, aliud quàm ſecularis principis forum non fuiſſe, ad quod cùm ire debeant Clerici ob cauſam criminalem, ne in Irregularitatem incurrant, vult vt id permittat Epiſcopus: quod Authoris doctrinæ non aduerſatur, ſed potiùs fauet, præter hoc quod illa Concilia ſecularis principis conſenſu celebrata fuêre: nec quod hîc dicitur, Fori diſtinctionem probat.

Errat VII. quia Concilij Carthaginenſis Canon tertius id non dicit quod Illuſtriſſima ſua Dominatio citat. In eo namque iudicialis fori diſtinctio non fit, ſed prohibetur ne illi Epiſcopi aut Clerici qui erant coram iudicibus ſecularibus Chriſtianis, electis ad aliquam controuerſiam, iuxta dictum Apoſtolicum, ab ipſis diſcedant vt ad Iudices competentes eant, & non electos, qui ſcilicet erant à Principe conſtituti, ſed vt eorum determinationi acquieſcant, ne ſcandalum præbeant. Vt meliùs hic Canon intelligatur, ſciendum eſt, primitiuę Eccleſiæ tempore, in quibuſdam controuerſiis quæ inter partes oriebantur, Chriſtianos inter ſe conuenire, & vtraque parte conſentiente Iudices arbitrarios infideles eligere ſolitos eſſe, quod notat Apoſtolus in Corinthiis c.6. epiſt.1. [Secularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia illos conſtituite ad iudicandũ: ad verecũdiam veſtram dico, ſi nõ eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui non poſſit iudicare fratrem ſuum.] In quibus

verbis, licèt paucis, multæ ſunt conſiderationes ad rem facientes: prima eſt, Apoſtolum de ſecularibus negotiis loqui: Secunda, de Iudicibus illis agi, qui poſſunt à quouis eligi ſuntque arbitri, nec tribunal aut forũ habẽt, dicit enim, *hos conſtituite*. Tertia, velle ipſum vt hi non ſint Epiſcopi, ſed qui ad eiuſmodi miniſterium parùm apti erant, quos contemptibiles vocat: quem locum explicans D. Ioh. Chryſoſtomus, ait, [Apoſtoli talibus non vacabant,] id eſt, [Iudiciis ſecularibus, quia prædicando circumibãt, ſed Sapientes, qui tamẽ ſunt minoris meriti.] Et D. Gregorius ſecũdum Gloſſam: [terrenas cauſas examinent, qui exteriorum rerum ſapientiam perceperunt, qui autẽ ſpiritualibus donis donati ſunt, terrenis non debent negotiis implicari.] Vltima cõſideratio eſt, D. Paulum cùm Pontificiam poteſtatem haberet, non dixiſſe, *conſtituo*, ſed electioni quam partes facerent, rem commiſiſſe, dicendo, *conſtituite*. Nec verò de Presbyteris, Sacerdotibus, aut Epiſcopis loquitur, ſed de fidelibus in genere, qui à Principis tribunali, ſaltem ſeculares, immunes non erant, iuxta omnium ſententiam. Hoc hodie in Africa obſeruatur, & quia multi Epiſcopi, Presbyteri, & Eccleſiaſtici, poſtquàm hoc modo iudicari cœpiſſent, ad ſeculares deinde iudices & competentes confugiebant, Concilium vt huic malo obuiam iret, Canonem illum 9. à Domino Cardinali citatum fecit, qui ſic habet: [Item placuit vt quiſquis Epiſcoporum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cùm in Eccleſia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico iudicio, publicis iudiciis purgari ſe voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat,

& hoc

& hoc in criminali iudicio, in ciuili verò perdat quod euicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos iudices vndique patet authoritas, ipſe ſe indignum fraterno conſortio iudicat, qui de vniuerſa Eccleſia malè ſentiendo, de iudicio ſeculari poſcit auxilium, cùm priuatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atque ibidem determinari præcipiat.] In quibus verbis primò apparet vt Dom. Cardinalis textum mãcum attulerit. Secundò conſtat non de foro publico, nec de Iudice competente, aut Præſule verba fieri, ſed de iudicibus arbitrariis & ſecularibus, ac de priuato iudicio. Tertiò Concilium rectè facere, dum Eccleſiaſticè punit priuatione loci eos, qui, cùm ſint Eccleſiaſtici, hoc ſcandalum præbent. Quartò, non iubere vt eligantur illi arbitri, ſed vt cùm fuerint partes coram ipſis, acquieſcant eorum determinationi. Quid autem hoc totum commune habet cum fori diſtinctione, cum eo quod ſit duplex forum, quòd dẽtur iudices ordinarij & competentes, vnus pro ſecularibus, alter pro ciuilibus cauſis & criminalibus Eccleſiaſticorum?

Errat VIII. in adducenda Concilij Mileuitani authoritate. Eiuſmodi enim concilium iuxta dictum Apoſtoli, quòd debeât Epiſcopi in ſecularibus cauſis inter ſe conuenire, iubet vt nullus Epiſcopus in iudiciis publicis, vbi ſeculares cauſæ tractantur, ab Imperatore iudicem petat, ſed ſi ab Imperatore iudicẽ Eccleſiaſticũ obtineat, ei nõ cõtradicatur: Canonẽ adducimus: Placuit vt quicũq; ab Imperatore cognitionẽ iudiciorũ publicorũ petierit, honore proprio priuetur: ſi autẽ Epiſcopale iudiciũ ab Imper.

poſtulauerit, ei nihil obſit.] Quibus verbis, primùm prohibetur Epiſcopo ne publicum ſeculariorum iudicium petat: ſed nō prohibetur vt vocatus compareat. Secundò conceditur vt poſſit ab Imperatore petere iudicium Epiſcopi, & hoc ſuperiùs dictum eſt: vnde contrarium planè colligitur eius quod prætendit Dom. Cardinalis, nempe fori diſtinctionem non fuiſſe, at ſeculares omnes cauſas tum ſecularium, tum Eccleſiaſticorum in iudiciis publicis aut priuatis tractari non debuiſſe abſque Imperatoris venia: quinimò iubet idem Conciliū Canone 16. à glorioſiſſimis Imperatoribus poſtulari, quò iudicibus ſuis imperent vt Eccleſiaſticis patronos vel defenſores aliquos dare velint, qui Eccleſiæ cauſas defendere valeant apud ipſos ſeculares iudices, ex quo Canone manifeſtò colligitur Eccleſiæ cauſas coram Imperatoris iudicibus tractari ſolitas fuiſſe.

Errat IX. quia dicit Iuſtinianum ſibi nimiùm arrogaſſe in ſuis illis conſtitutionibus fabricandis: ego verò dico ſexcentorum Conciliorum & Pontificum iudicium, ac ſpeciatim illud Adriani IIII. vt inferius dicetur, ipſius contra Chriſtianiſſimum Imperatorem determinationi præualere, qui tale quid dicere ne cogitarunt quidem, ſed eius omniúmque primitiuæ Eccleſiæ Principum conſtitutiones, etiam in rebus Eccleſiaſticis, magna cū humilitate approbatæ fuerunt, vt apud populos maior eſſet ſacrorum Canonum ab Imperialibus authoritatibus confirmatorum obſeruantia. Ac vt ſexcenta exempla prætermittam, legantur S. Leonis Papæ literæ, quibus Concilij Calcedonenſis confirmationem ab Imperatore Martiano petit, qui eam ipſi conce-

concedit. Quum Pontifices & Eccleſia Romana Principes Chriſtianos eo quo par eſt pretio habuerunt,in magna fuit veneratione Eccleſia:quum verò hæc Principes deſpexit,quas calamitates non experta eſt?quos contemptus non eſt paſſa?Legantur vitę Bonifacij octaui,Alexandri tertij,Gregorij ſeptimi, Iulij ſecundi,Sixti quarti, Clementis ſeptimi, Pauli quarti, & hîc quam vtilitatem Eccleſia reportarit à contemptu Principũ conſtabit.Hoc ſcio,Iuſtinianũ in legib. doctiſſimũ fuiſſe, & sũmæ doctrinæ viros apud ſe habuiſſe: cuius authoritas pluris fit in toto terrarũ orbe,quàm iudiciũ cõtra ipsũ à quouis datũ.

Errat X.quia per legum manum,ſecularem Iudicem intelligit, & tamen hoc de ſententiæ executione intelligi probauimus: nec de illa nouella quicquam ampliùs dicam, quòd eam ſuperiùs fusè explicarim, & quàm malè ab illuſtriſſima ſua Dominatione intellecta fuerit oſtenderim.

Errat XI. quia dicit leges Imperiales,ſacros ſequi Canones non dedignari, ídque in genere accipit: cùm tamen Imperator de meris cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus loquatur.

Errat XII. quia dicit conſtitutionem & ſacros Canones ſimul obſeruari non poſſe: nam ſacri Canones obſeruari debẽt, ſed in temporalibus authoritate carent,niſi ex Priuilegio Principum, eam verò ſi habent,ex aliquo ſacræ Scripturæ loco oſtendi deberet: velle enim ſuæ Poteſtatis limites tranſgredi ſine partium conſenſu, nec Deo placet, nec hominibus: quamuis etiam citatos Canones Nouellæ non repugnare oſtenderim.

Errat XIII. quia Fridericum II. qui heri fuiſſe dici poteſt, opponit Iuſtiniano, qui fuit quum in

Eccleſia florerent diſciplina & Sãctitas, Imperatorē parùm doctũ, maximo Iuriſcõſulto qui vnquã fuerit, illum denique qui licèt per ſimulationem, conſtitutionem eam fecerit, nullus tamen Eccleſiaſticã libertatem magis ipſo depreſſit, vnde à Gregorio I X. Honorii ſucceſſore, excõmunicatus, depoſitus, Imperióque priuatus fuit, Iuſtiniano, de quo Adrianus I V. in Epiſtola ad Fredericum primum, ſic loquitur: [Filius noſter per illam viam incedat quam Iuſtinianus, & alij Catholici Imperatores inceſſiſſe noſcuntur: exemplo ſiquidem & imitatione illorũ & honorem in terris, & fœlicitatem in Cœlis ſibi poterit cumulare.] Et ibidem non modò Catholicum fuiſſe, ſed in cœlis Sanctum eſſe dicit: hanc epiſtolã ꝓbat citátq; D. Cardinalis l. 1. de trãſ. Imp. c. 5.

Errat X I V. quia eſto Fridericũ I I. Iuſtiniani cõſtitutioni derogaſſe, & ceu Imperatorē, omnia quæ potuit priuilegia, Eccleſiaſticis concedere voluiſſe, Baſiliũ itidē, & aliũ quemuis poſt Iuſtinianum: inde tamē non infertur fuiſſe in primitiua Eccleſia, ante Iuſtiniani tēpora, fori diſtinctionē, ab ipſo factã in ſua Nouella. Optimè igitur propoſitionis author eſt loquutus, nec eius doctrina expugnari potuit.

Errat vltimò, quia licèt Baſilius in odium Nicephori hoc fecerit, eius tamen legem abrogando, illam ſui patris ſuíque aui confirmauit, quæ Eccleſiaſticis damnoſior erat lege Nicephori. Præterea Emanuel Comenus, vt ait Niceta, Baſilij reuocationem aboleuit, ac Nicephori legem confirmauit: quod miror non vidiſſe Dom. Cardinalem, qui tamen hiſtoriis delectatur. Verba Nicetæ lib. 7. hæc ſunt: [Templum D. Irenæ maximum & pulcherrimum, à Martiano Imperatore conditum, & incendio

cendio abſumptum, inſtaurare aggreſſus, cùm partes quaſdam ex fundamentis extruxiſſet, deſtitit, & monaſterium in Ponti faucibus, loco qui Cataſcepe dicitur, Archiducis Michaëlis nomine extruxit: in quo celeberrimos quoſque & præſtantiſſimos Monachos collocauit, ea ratione, vt ſolitariam & quietam vitam ſine vlla ſollicitudine poſſent degere. Cùm enim Monachos poſſeſſionibus, & negotiis turbatos, & tranquillitate animi, & Dei cultu excidere intelligeret: nullas eis vineas, nullos agros, nullas poſſeſſiones, quas nec eorum profeſſio admittit, aſſignauit: ſed ex fiſco tantum pendi iuſſit, quantum ad victum & cultum opus eſſet. Videtur nimirum immodicam cupiditatem ſtruendi monaſteria improbaſſe, & exemplum prodere poſteris voluiſſe, quo pacto templa condenda, & quæ viuendi ratio eremitis, pauperibus, & à terrenis rebus ſe abſtrahentibus proponenda ſit. Tantum autem abfuit vt eorum inſtitutũ laudaret, qui monaſticam vitam profeſſi, & opibus afluunt, & multitudine curarum magis diſtrahuntur, quàm ij qui huius vitæ deliciis occupantur: vt ſanctionem Nicephori Phocæ, fortiſſimi & cordatiſſimi Imperatoris, olim abolitam, de non augendis monaſteriorũ latifundiis, quaſi poſtliminio reuocarit: neque patrem, auum, cæteróſq; cognatos ſuos omnes, qui monaſteriis ampliſſima prædia donarant, incuſare deſtiterit: nõ quòd de ſuis opibus Deo aliquid cõſecraſsẽt, ſed quòd rẽ bonã malè adminiſtraſsẽt. Nam cùm Monachis habitationes in abditis, & deſertis locis, in antris & mõtiũ cacuminibus aſſignandę eſſent: & Conſtantinopolis tanquam Sirenum cantus vitanda: gloriola ductos incruſtata ſua ſepulchra, &

vario marmore exornata,ijs qui templa ingrediantur, ſpectanda propoſuiſſe, & mortuos quoque coronari ſe, & hilari ſplendidóque vultu conſpici voluiſſe, & in foro ac triuiis monaſteria ædificaſſe: & ibi nullo cum delectu virtutis velut in cauea incluſiſſe eos,qui monachos non vltra tonſum capillum, & mutatum habitum,promiſſámque barbam exprimerent.His igitur de cauſis,ſiue vt Monaſticam ſanctimoniam nutantem,ac potiùs humi ferè proſtratam fulciret,ſiue metuens, ne ea ipſe facere diceretur, quæ reprehenderet: rationem à ſuis maioribus diuerſam eſt ſecutus. In his verbis multa pro Sereniſſima Republica notanda occurrunt: primum, Imperatorem Emanuelem à Niceta laudari ceu valdè pium: ſecundum, ipſum,vt Monaſtica diſciplina reformaretur,abolitam Nicephori legem renouaſſe, quod non fecit odio in Eccleſiam, ſed vt Eccleſia reformaretur: tertiũ Nicephori legem à Baſilio abolitam renouaſſe, quòd eam Nicephorus prudenter tuliſſet, Cordatum Imperatorem eum vocans: quartum, neminem ob latam eiuſmodi legem de ipſo conqueſtum eſſe: quintum, ex hoc facto, non minùs quàm ex eo Baſilij, Nicephori, & aliorum, colligi Principes eiuſmodi leges condere, eſſéque ex priuilegio Principum immunitatem, vt dicit Author: tandem notandum ſumere ab authoribus Dom. Cardinalem quod pro ſe facit,quod verò eſt contra ſe,præterire,ipſúmque parui momenti locis, & abolitis priuilegiis niti, ac optimorum & Chriſtianiſſimorum Imperatorum exempla, legéſque ſanctiſſimas, & priuilegia nunquam à conſuetudine,vllóve ſuperiore abolita, prætermittere.

A v.

AVTHOR.

NEc ideò quòd Conſtantinus Magnus Imperator, cùm ei lites quædam aduerſus Eccleſiaſticos oblatæ fuiſſent, hæc verba protulerit, vos à nemine iudicari poteſtis, quia ad Dei iudicium reſeruamini, vt ſcribit Gratian. cap. Fiſturam 12. quæſt.1. inde colligi debet Eccleſiaſticos Principi ſeculari ſubiectos non eſſe. Fuit enim exceſſus hic aliquis Imperatoris, vt ſe erga Eccleſiam, pium & benignum oſtenderet, non quòd reipſa ita ſentiret. Si enim verum eſſet quod Conſtantinus dixit, nec à ſuis Præſulibus Eccleſiaſtici iudicari poſſent, dicendo, ad Dei iudicium reſeruamini, qui error grauiſſimus eſſet.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

EXimiam ſanè laudem Conſtantino Imperatori hic author tribuit, vt enim benignum & pium faciat, mendacem facit. Sed vt conſtet quàm hæc verba Conſtantini pio Principe digna ſint, adſcribamus de verbo ad verbum id quod ſcribit Rufinus lib.10. hiſtor. Eccleſiaſtic. cap. 2. Dixit Conſtantinus ad Epiſcopos, Deus vos conſtituit Sacerdotes, & dedit vobis poteſtatem iudicandi nos, vos autem ab hominibus iudicari non poteſtis, ideò inter vos expectate iudicium ſolius Dei, & quæſtiones veſtras reſeruate ad illud examen: vos enim nobis tanquam Dij dati eſtis, & non eſt conueniens vt homo iudicet Deos, ſed ſolus ille de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Vbi notandum eſt quòd quemadmodum Principes ſeculares, Dij dicuntur reſpectu

populi, vt inferiùs videbimus, ita Sacerdotes, Deos eſſe, reſpectu laicorum etiam Principum, vt ait, hîc Cōſtantinus, & ex hoc fundamento optimè colligit Imperator, Sacerdotes poſſe iudicare Imperatores, hos autem non poſſe iudicare Sacerdotes. Si Imperator, Mundi fatetur ſe Sacerdotes pro diis venerari, ſéque eos iudicare non poſſe, iudicari autem ab illis debere, quanto magis verbis & facto id fateri deberet Dux Venetus? Nec verò ex hoc ſequitur Sacerdotes non poſſe iudicari à ſuis Præſulibus, ſed potiùs contrarium. Superior enim ſemper Dei nomine & authoritate iudicat, à quo habet poteſtatem, imò Deus ipſe mediantibus miniſtris iudicat. Atque ita dum Epiſcopus iudicat Eccleſiaſticum inferiorem, aut Papa Epiſcopum, Deus ipſe per miniſtrum ſuum iudicat. Ad hunc modum Conſtantinus ait, Epiſcopos, quia Dij ſunt reſpectu laicorum, non poſſe iudicari à laicis, qui homines ſunt, & non dij, reſpectu Sacerdotum. Verùm quòd Deus ſolus iudicare debeat Epiſcopos, illud intelligitur mediantibus eis Vicariis. Quemadmodum etiam Principes ſeculares, reſpectu hominum priuatorum, non poſſunt iudicari ab hominibus priuatis, ſed ſolùm à Deo, mediante ſuo Vicario qui eſt Sacerdos, & ideò Deus dicitur reſpectu Principis ſecularis: atque ita Moſi dixit Deus, Feci te Deum Pharaonis, vt ipſum iudices & caſtiges. Quòd autem veriſſimè Conſtantinus crediderit, Papam Epiſcopos iudicare poſſe, apparet in negotio Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis à Donatiſtis accuſati, quem Cōſtantinus iudicare auſus nō fuit, ſed remiſit eum Romam ad Papam Melchiadem, & licèt ſub finem ipſe etiam Conſtantinus Imperator eandem cauſam indica-

iudicarit,fecit hoc tantùm ad confundendum Donatiſtas, & animo petendi veniam ab Epiſcopis, quòd neceſſitate coactus in eam cauſam ſe immiſcuerit,vt ſcribit Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum,& D.Auguſtinus epiſt.48. 162. & aliis multis.

DEFENSIO.

Marſilius.

NVnc primũ audio amoris vel laudis exceſſum, quantũuis in bonũ finẽ,mẽdaci j titulo inſigniri,maximè cum ipſe D.Cardin. Theodoſij Canonẽ *Quicunque*, explicet hoc modo,ſcilicet pietatis exceſſum fuiſſe.Sed ad rem :non nego ſicuti Principes in ſecularibus cauſis, Dij vocari poſſunt, ita in ſpiritualibus Sacerdotes, Deos poſſe nuncupari, quamuis locus,[Deus ſtetit in Synagoga Deorum de Principibus ſecularibus, non de Sacerdotibus intelligatur, ſed quia Ruffinus ita Conſtantinum explicaſſe refert,valeat quantum valere poteſt :hinc tamen non infertur, verba Conſtantini,[ad Dei iudiciũ reſeruamini, id eſt,Prælati,] debere intelligi, quia iudiciũ Dei exercet:ſiquidẽ clarè loquitur Cõſtantinus,[Solius Dei iudiciũ expectate,quæſtiones veſtras ad examen illud reſeruate, vos enim nobis tanquã Dij dati eſtis,& nõ eſt conueniens vt homo iudicet Deos, ſed ſolus ille de quo ſcriptũ eſt,Deus ſtetit in Synagoga Deorũ.]In quibus verbis primò aduerto, Conſtantinum proculdubio de ſpiritualibus cauſis agere,nam loquitur de Eccleſiaſticis,non vt homines ſunt, ſed vt Dij,ob ſpiritualem ſoluendi ligandíque poteſtatẽ,ſecũdò, ipſum loqui de futuræ vitæ iudicio: tertiò non loqui de illo Deo qui vnus eſt è Synagoga,ſed de illo qui ſtetit in Synagoga

Deorum,qui iudex eſt ſupremus:hic igitur eſt Conſtantini exceſſus,vt dictum eſt,nec Dom. Cardinalis reſponſio valet,quando Prælatus iudicat, Deum iudicare per ipſum,ideóque dici debere non hominem ſed Deum iudicare:nam hoc modo quum iudicat Princeps ſecularis, non hominem iudicare, ſed Deum,dicere oporteret, quia Dei miniſter eſt in iram ei qui malè agit,vt ait D. Paulus: præterea cùm errare poſſint Prælati omnes, ipſéque Summus Pontifex,vt pluribus in locis cenſet Dom.Cardinalis,éſtque opinio communis, imò cùm ſæpiùs Pontifex errarit in iudiciis facti,abſolutè non eſt dicendum, quando ipſi iudicant, Deum iudicare. Deus enim errare nequit:huic Conſtantini verborum expoſitioni,ſiue Conſtantini verba fuerint, ſiue Ruffini per exceſſum in intelligibili dictorum, ſuperſtruit Dom.Cardinalis errores aliquot.

Errat I.quia dicit Ducem Venetum pro ſuperioribus ſuis in ſpiritualibus Sacerdotes non agnoſcere:ad hoc reſpondetur Ducem Venetum, Catholicum eſſe ac pium Principem, ad pedes confeſſoris ire pro abſolutione,ſacris officiis adeſſe omni cum reuerentia, nec bonitate,integritate, innocentia, veróque Religionis zelo cuiquam cedere, quantumuis in mundo eminenti.

Errat II. quia licèt verum ſit, in cauſis in quibus Sacerdotes à Conſtantino Iudices vocantur, non debere ipſos à Duce iudicari,non inde tamen infertur,eos in temporalibus ac ſecularibus cauſis, in quibus ſubditi ſunt,ab ipſo iudicari non poſſe.

Errat III.quia dicit Deum effeciſſe vt Moſes Pharaonis iudex eſſet,eò quòd illi dixerit,[Feci te Deũ Pharaonis], nec enim Moſi Pharaonem iudicandi, authori-

authoritatem dedit, nec eam vt Sacerdos habebat, ſiquidem Hebræorum erat Sacerdos, nec in Pharaonem, Ægyptium & Idololatram ius habebat: ſed quoniam virgâ edebat miracula quæ mortalium nemo, niſi virtute diuina edere potuiſſet, ideò ipſum vocat Deum.

Errat vltimò, quia dicit Papam, Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi cauſam iudicare potuiſſe, quia commiſerat eam Imperator Papæ Melchiadi: non nego cauſas etiam ciuiles & criminales ab Eccleſiaſticis iudicari poſſe, quando ſic volunt Principes, nec minùs in cauſis merè Eccleſiaſticis, Papam Epiſcopos, & Epiſcopos ſubditos ſuos debe[re] corrigere: ſed dico in cauſis criminalibus & ciuilibus merè temporalibus Principem Eccleſiaſticos iudicare poſſe, quum ſe hac authoritate non ſpoliauerit: quod Conſtantini exẽplo confirmatur, qui primò Cæciliani cauſam Papæ commiſit, quod authoritatem denotat, poſteà publicè eum iudicauit: ſed de hoc dicetur in Tractatu particulari de omnibus legibus, iudiciiſque legitimis Principum ſupra Eccleſiaſticos, vbi D. Auguſtini & Ottali loca, quæ nobis admodum fauent, explicabuntur.

AVTHOR.

SVnt igitur omnes Eccleſiaſtici & ſeculares, iure diuino ſubiecti Principibus ſecularibus: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Ratio autem eſt, quemadmodum enim nemo exceptus eſt ab obedientia Deo debita, ita nemo quoque exceptus eſt ab obedientia debita Principi, ſubiungit enim Apoſtolus, Omnis poteſtas à Deo eſt. Vnde Reges & Principes à Dauide Propheta Dij nomi-

nantur: Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem Deos diiudicat. Vt enim explicat Ioſaphat Rex Paralip.2.c.19. Iudices ſeculares non hominum, ſed Dei iudicia exercent. Hunc ipſum locum, de Principibus ſecularibus loquendo, citat Chriſtus Ioh.20.& confirmat illis conuenire nomen Dei, Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, vt doctè notat Cardinalis Bellarminus capit. 3. de laicis.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

SI contrarium concluderetur, nempe, Non ſunt igitur Eccleſiaſtici, nec ſeculares, de iure diuino, ſubiecti Principi ſeculari, ſed ſeculares ſolùm de iure humano, Eccleſiaſtici verò nullo, optimè ex præmiſſis deduceretur hæc concluſio. Demonſtrauimus enim Principes, dominos euaſiſſe huius vel illius populi, iure humano, non diuino: & ſi hoc verum non eſt, oſtendat aduerſarius locum aliquem ſcripturæ, ex quo colligi queat Venetos Patauinæ, Veronenſis, aliarúmque ciuitatum dominos eſſe. Quòd ſi de regno Cyprilis agitaretur: quem titulum allegarent Veneti? an fortè aliquem Scripturæ locum? certum eſt eos alium titulum non allegaturos, quàm donationis, vel antiquæ poſſeſſionis titulum, aut ſimiles res humanas. Igitur ſi nequeunt probare titulum in laicos Patauinos, & Cyprios, eſſe iuris diuini, quando monſtrabunt illum in Clericos ſibi competere? Verùm vlteriùs pergo, & aſſero, de iure diuino omnes laicos, etiam Principes, ſubiectos eſſe Sacerdotibus, & ex ipſo iure diuino, Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes non eſſe ſubiectos Principibus laicis, vt paulò ſuperiùs faſſus eſt Conſtantinus Imperator: quia ſecundum ſacram ſcripturam, quæ eſt ius diuinum poſitiuum, Sacerdotes ſunt paſtores, Laici autem, etiam Principes, oues ſunt: Sacerdotes patres ſunt, laici autem filij: & ſecundum lumen naturale, quod eſt ius diuinum naturale, ouis ſubiecta eſt paſtori, non paſtor oui: filius ſubiectus eſt patri, non pater filio. Et elegantiſſima eſt comparatio quam inſtituit inter poteſtatem Eccleſiaſticam & ſecularem Gregorius Nazianzenus, in oratione ad populum timore perculſum, & Principem iraſcentem, quam ſequuntur communiter ſacri Theologi, & talis eſt: quòd quemadmodum in homine ratio & caro inſunt, quæ ſimul vnitæ componunt hominem, ita in ſancta Eccleſia eſt poteſtas Eccleſiaſtica ſiue ſpiritualis, & poteſtas ſecularis ſiue temporalis, ambæ componunt corpus myſticum Eccleſiæ: & ſicut in homine ratio eſt carne ſuperior, non caro ratione, niſi quum ei rebellis eſt, ratio manu ducit & regit carnem, eidémque imperat, quandoque eandem ieiuniis & vigiliis domat & caſtigat, caro autem nec ducit, nec regit, nec imperat, nec caſtigat rationem: ita poteſtas ſpiritualis ſuperior eſt ſeculari, atq; ideò eã poteſt ac debet dirigere, regere, eidẽque imperare, & pœnas infligere dum malè operatur. Poteſtas autem ſecularis ſpirituali ſuperior non eſt, neque eam dirigere nec regere poteſt, nihil eidem præſcribere, nihil pœnæ infligere, niſi de facto per rebellionem & tyrannidem, vt quandoque etiam Principes gentiles & hæretici fecerunt. Ad authoritatem Diui Pauli reſpondimus ſuprà, & verum eſt omnem po-

teſtatem à Deo eſſe, ſed immediatè aut mediatè: & quemadmodum nemo exceptus eſt ab obedientia Deo debita, ita nemo exceptus eſt ab obedientia debita Principi, quando ſubditus eſt illius Principis, & in rebus in quibus ſubditus eſt. Verum eſt etiam Principem, quà Princeps eſt, locum Dei tenere, ac proinde illi ceu Deo obediendum eſſe, in rebus ad ſuam poteſtatem ſpectantibus, vt ait D. Paulus in epiſt. ad Epheſ. cap. vltimo, Serui obedite Dominis carnalibus, ſicut Chriſto: & Cardinalis Bellarminus, quando ſcripſit Principes ſeculares vocari Deos in Scriptura, id fecit ad confundendum hæreticos Anabaptiſtas, qui docent in Eccleſia Dei non admittendos eſſe Principes ſeculares, nec tribunalia, nec iudicia, neque ſimiles ſtatus politicos: & idem author, ſicuti dixit Principes ſeculares reſpectu ſubditorum, Deos eſſe, ita etiam dixit Sacerdotes Deos eſſe reſpectu Principum ſecularium. Videatur cap. 7. lib. 1. de ſummo Pontifice & alia ſimilia loca: & ideò ſi voluiſſet author imitari Cardinalem Bellarminum, debuiſſet vti doctrina ſua aduerſus hæreticos, & non contra Eccleſiam, ſugendo venenum ceu araneus ex flore vnde apes mel exſugunt.

DEFENSIO.

Marſilius.

HAnc Domini Cardinalis mentem non percipio: vult vt ex authoris præmiſſis ſua educatur concluſio: ſi Author augur fuiſſet, & Dominum Cardinalem ſuam doctrinam confutaturum cogitaſſet, duas feciſſet concluſiones, vnam veram, & è veris ſolidíſque ſuis præmiſſis manantem, alteram

falſam

Digitized by Google

falſam ex præmiſſis Illuſtriſs.ſuæ Dominationis col lectam?ſed quia non fuit augur, pro ipſo reſpondebo ex Authoris præmiſſis concluſionem ſuam elici, & ex iis Dom. Cardinalis ſuam itidem inferri,& ſicut illa vera eſt, quòd à veris præmiſſis naſcatur, ita illam Dō. Cardinalis falſam eſſe, quòd eliciat ex falſis præmiſſis, nempe ex doctrina ab ipſo allata, & à nobis confutata: vnde

Errat 1. quia dicit vt aliquis Principi ſit ſubiectus de iure diuino, oportere ipſum pro ſubiectionis eius titulo aliquem ſcripturæ locum adferre:res ſunt diuerſæ, titulus & poteſtas: hæc eſt. à Deo, quæ neceſſariò ſequitur titulum: adeò vt Rex Galliæ non imperet in Gallia, hæreditatis iure,ſed quia authoritatem habet à Deo:nec Venetiarum Princeps, qui Rempublicam ſignificat,quamuis id multo artificio ſimulet ignorare Dom. Cardinalis, eo modo imperat Pataiuij,quo illius vrbis factus eſt dominus: ſed cū humano modo factus ſit illius vrbis domin[9], imperat deinde poteſtatis ratione quà habet de iure diuino, vt dictum eſt: nec in hoc diſcrimen eſt inter ipſum & Papam, qui interrogatus cur ſit Papa, dicet quia ad Papatum legitimè fuit electus à Dominis Cardinalibus, nec vllum ſacræ Scripturæ locum adducet; at interrogatus cur det indulgentias &c.dicet habere ſe à Deo poteſtatē.Si hanc ſimilitudinis rationem ignorarem, non ampliùs ſcriberem nec in doctorum virorum conſpectum venire vellem.

Errat I I.quia vt probet Principes Sacerdotibus eſſe ſubiectos de iure diuino, dicit ius diuinum eſſe ius naturæ, & iure naturæ ouem paſtori eſſe ſubiectam

ctam,inferens ergo de iure diuino princeps laicus ſacerdoti ſubiectus eſt: ad hoc argumentum dico, Principem non eſſe ouem ſacerdotis paſtoris, ſed Chriſti: non enim dixit Chriſtus D. Petro, *paſce oues tuas*, ſed *paſce oues meas*, vnde ſi quicquam concludat argumentum, concludit eſſe illum Chriſto & non ſacerdoti ſubiectum, quinimò ſacerdos vt ouis in temporalibus, Principi eſt ſubiectus. Dauid ſuos omnes ſubditos oues vocauit. [Si ego errani, iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt?] 2. Regum, cap. 24. Et D. Palus ait, Rom. 13. [Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.] Itaque ſi verum ſit Domini Cardin. argumentum, ſubditum nempe ad obediendum ſuperiori obligatum eſſe de iure diuino, cùm Principis temporalis ſubditi ſacerdotes in temporalibus, ad ipſius legibus obediendum ſunt obligati de iure diuino.

Errat III. quia dicit patrem filio non eſſe ſubiectum. Si quis Rex aut Papa electus patrem haberet, an non pater vt homo, vt Chriſtianus, filio Regi aut Papę ſubiectus eſſet? licèt filius eum ceu patrem rcuereretur: pater à filio Sacerdote abſolui poteſt, & filius Sacerdos à patre ſeculari corrigi: eum qui errare non vult, titulos & perſonas diſtinguere oportet. Ita Princeps in ſpiritualibus filius, poteſt in temporalibus eſſe pater.

Errat IIII. quia licèt corporis & animæ ſimilitudo vera ſit aliqua in re, nimirum quòd Principis temporalis poteſtas, ſit per ſe in corpora, & ſpiritualis Sacerdotis in animas, in omnibus tamen non vera eſt, Poteſtas enim temporalis ſpirituali non ſubordinatur in ſpiritualibus, niſi quatenus eam Chriſtianus exercet, vt contrà Sacerdos ſubditus

ditus in temporalibus, Principi temporali ſubordinatur: non bona eſt hæc argumentandi ratio: Poteſtas temporalis eſt in corpora, ſpiritualis in animas, ergo vt corpus ab anima regitur, non anima à corpore, ita quod habet poteſtas temporalis, ab eo quod habet Spiritualis, regi debet: nam ex corpore & anima fit compoſitum, nempe homo: ſed ex poteſtate corporali & ſpirituali non fit vnum corpus, ſed duo fiunt, & duo capita &c. Et in omnibus planè differunt, nec ſubordinatio ineſt quatenus Poteſtates ſunt, vt ſuperiùs probauimus, nec D. Gregorius contrarium aſſerit, neque hoc dicit quod Dom. Cardinalis, vt eum legenti patebit, ſed probat ſicut anima corpore eſt nobilior, ita nobiliorem eſſe poteſtatem ſpiritualem temporali, quod non negatur.

Errat vltimò, quia dicit Authorem illum ipſius doctrina vti contra Eccleſiam, quę vti deberet contra hæreticos, araneo ſimilem dum venenum ex flore ſugit, ex quo apes mel exſugunt: errat, inquam, primò, quia qui verum dicit, non loquitur contra Eccleſiam, ſed contra eos qui plus æquo ſibi arrogant: ſecundò Eccleſia eſt regnum cœlorum, at ipſe loquitur de regno terrarum, quod ſanè de Eccleſia non eſt, niſi per accidens, & ex donatione fidelium: cuius amplitudinem ipſe etiam cum illa aliorum omnium Dominiorum Temporalium firmat. Tertiò quia vtilis eſt doctrina non modò ad confutandum hæreticos, ſed etiam eos qui falſa proponunt, ſiue ſint hæreſes, ſiue alij errores, quamuis author hæreſin eſſe putet textui Diui Pauli contradicere. Quartò &

vltimò,quia is eſt araneus qui telas aranei ad captan das muſcas texit,quíque doctrinas veneno ſalſarum ſuarum expoſitionum inficit : ſed hic Author qui inſtar apis ex doctrina Sanctorum aliorúmque Do ctorum,mel veritatis exſugit, non ægè fert quòd dicatur mel ſuum quandoque venenum eſſe ad falſitatem extinguendam.

AVTHOR.

PErgit Apoſtolus,& dicit, Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Ecce authoritatem quam habent Principes ſeculares,condendi leges in quacumque materia,quæque omnes obſtringant: iuxta illud quod in Salomonis Prouerbiis legitur, vbi Deus ſic ait : Per me Reges regnant,& legum conditores iuſta decernunt. Hinc factum eſt vt Chriſtianiſſimi Imperatores,Iuſtinianus & Theodoſius in codice multas leges,ad Eccleſiaſticos, bona & diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes condiderint ſub titulis,de Epiſcopis & Clericis,de ſacroſanctis Eccleſiis &c. Hiſce legibus iubet Apoſtolus obediendum eſſe,non eis reſiſtendum,qui enim talibus reſiſtunt,ipſi ſibi damnationem acquirũt, id eſt,peccatum mortale committunt , in quo ſi moriantur,æternis barathri flammis adſcribentur.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

MIrabilis eſt Logica huius hominis, qui ex nõ locis concluſiones deducit. Et vbi vnquam dixit Apoſtolus,Principes ſæculares poſſe leges in quacumq; materia ſtatuere , quæque ſingulos obſtringant?Poterunt igitur Principes ſeculares ſtatuere leges de modo dicendi miſſam,& officium di uinum,obligare ſacerdotes vt vxores ducant, & loco Bre-

co Breuiarij gladium geſtent, & obedire omnes tenebuntur, cùm poteſtatem habeant ſtatuendi leges in qualibet materia quæ ſingulos obſtringant. Et quādo Principes infideles præcipiebant vt omnes Chriſtum abnegarent, ſacrificarent idolis, tenebantur Chriſtiani ſub pœna peccati mortalis obedire, dum enim Paulus præcipiebat obediendum eſſe Principibus, erant Principes omnes infideles, & iuxta noui huius interpretis doctrinam, ex Pauli præcepto deducitur, Principes ſeculares habere poteſtatem condēdi leges in qualibet materia, quæ omnes obſtringant. Non-ne aduertis quot pullulent errores ex tuis verbis? & nihilominus adiungis hoc conſonum eſſe Salomonis prouerbiis, non aduertens Salomonem contrarium planè aſſerere: quia dum introducit loquentem ſapientiam diuinam, Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, manifeſtè docet iuſtas leges à ſapientia tātùm diuina deriuari, alias verò quas ſæpiùs Principes in rebus ad ſe non ſpectantibus, aut in perſonas non ſubiectas, aut alio titulo iniuſtas ſtatuūt, à ſemetipſis facere, nec à Deo probari. Ad hoc quod adiūgit Iuſtinianū & Theodoſiū ſtatuiſſe leges ad perſonas Eccleſiaſticas, bona, & diſciplinam Eccleſiaſticā pertinentes, reſponſum eſt eos hac in re poteſtatis ſuæ limites exceſſiſſe. Et quādo addis Apoſtolum velle huic legi obediendū eſſe, euidentiſſimā & grauiſſimam falſitatem profers. Loquitur enim Apoſtolus vniuerſaliter vt ſubditi pareant ſuperioribus, & quū paulò inferius exemplum adducit Principum ſecularium, de Principibus loquitur qui tunc infideles erant, atque adeò intelligi non poteſt Apoſtolū velle Chriſtianos obedire eiuſcemodi Principibus, ſi

Digitized by Google

ſermo ſit de legibus ad cultum diuinum & diſcipli nam Eccleſiaſticam pertinentibus,ſed ſolùm in legibus ciuilibus,ac de rebus temporalibus, quibus le gibus oportebat Chriſtianos obedire, vel ad ſcandalum vitandum,vel ad ſeruandam pacem,& vnionem,ne videlicet gentiles ſibi perſuaderent legem Chriſtianam gubernationi politicæ aduerſari.

DEFENSIO.

Marſilius.

HIs obiectionibus vno verbo reſpondetur Authorem intelligere,ſtatui poſſe leges à Principe in omni materia Temporali,vt ſuprà diximus, pro bono publico & ciuili,quæ iuſtæ ſint, præſupponitur enim obediendum non eſſe niſi iuſta præcipienti:adeò vt conſequentiæ quas inde educit Dominus Cardinalis , ex falſa intelligentia naſcantur: enimuerò quum Author dicit poſſe Principem tẽporalem leges cõdere in omni materia, intelligitur vt iuſtæ ſint,& ipſius poteſtati maiorúmq; & aliorum Principum exemplo conformes,atque hic ſemper fuit Authoris ſenſus. Ad hoc quod dicit de Iuſtiniano & Theodoſio,reſpondere ſufficit ipſorum leges eſſe ſanctiſſimas,& pro talibus haberi,ac partim de rebus temporalibus,partim, ad maiorem tã tùm obſeruantiam,de ſpiritualibus, pro bono publico ſancitas eſſe , nec vllum vnquam Pontificem de iis conqueſtum eſſe,ſicuti nunc conqueritur D. Cardinalis. Tandem ad cauſam quam affert,ob quã Chriſtiani ſubditi Principibus infidelibus obedire tenebantur,reſpondere mihi ſufficiet, D. Paulum dicere ad Rom.cap.13.vt obediamus [non ſolùm propter iram,ſed propter conſcientiam,& qui poteſtati reſiſtit,Dei ordinationi reſiſtit , & qui reſiſtunt,

ſtunt,ipſi ſibi damnationem acquirunt:nec ad loca perſpicua noui ſenſus adferendi ſunt,cum infidelitatis & hæreſis periculo,maximè cùm D.Ioh.Chryſoſtomus nobiliſſimum illud faciat argumentum à minori Hom.23.nempe,ſi iubet Apoſtolus vt infidelibus obediamus,quanto magis fidelibus Principibus obedire debemus?

AVTHOR.

VLteriùs præcipit Apoſtolus ab omnibus dandum eſſe tributum, qui enim Principi tributum dat,Deo dat,cui vectigal,vectigal, cui tributũ, tributum:ſunt enim miniſtri Dei ad tributa. (dele ad tributa.)Quem locum explicans Angelicus Doctor S.Thomas Aquinas,omnium Theologorum magiſter,ſol vnicus ſcholæ Chriſtianæ, dicit Clericos ſi à tributo liberi ſunt,hoc non habere iure diuino,vt quiſpiam ſibi perſuadere poſſet,ſed ex priuilegio Principum,& loquitur de Principibus ſecularibus. Denique de authoritate Principis cum D. Paulo concludo: Non enim ſine cauſa gladium portat.Ecce authoritatem ſecularis Principis, vt pœna ſanguinis punire poſſit.Quam quia Præſules Eccleſiaſtici non habent à Deo,propterea poſtquàm maleficos clericos exaugurarunt, & clericali dignitate indignos declararunt,vlteriùs nõ pergunt:ſed morte afficiendos ſeculari brachio tradunt. Et ne quiſpiam arbitretur,verba eius conſiliũ & nõ præceptũ cõtinere,ad confirmanda hæc omnia adiungit Apoſtolus:Ideo neceſſitate ſubditi eſtote,non ſolũ propter irã,ſed etiã propter conſcientiã: ita vt ex conſcientia quoq; in rebus omnibus ſupradictis à D. Paulo inſtructi,Principibus ſecularibus obedire teneamur.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

IN his verbis primò notandũ eſt, authorem pro arbitrio ſuo ſcripturas effingere: nullibi enim apud D. Paulũ reperitur ea ſententia: ſunt enim miniſtri Dei ad tributa, nec etiam altera, Dei enim miniſter eſt ad vindictam. Et quamuis huius vltimæ ſenſus adſit, nihilominùs citanti ſcripturas non licet eas immutare, maximè quum non eſt imperfectus ſenſus, vt eſt illius ſententiæ: ſunt enim miniſtri Dei ad tributa: nam D. Paulus non dicit Principes Dei miniſtros eſſe ad recipiendũ tributũ, ſed ad procurãdũ publicã quietẽ, ita enim S. Chryſoſtomus aliíque Sancti hæc verba exponunt: Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Nec S. Thomas, quo nititur author, contrarium docet: ait enim tributũ, velut ſtipendiũ eſſe, quod Principibus datur pro labore quem perferũt in gubernandis populis: certũ eſt ſtipendium non dari Deo, atque ideò non ſunt Principes miniſtri Dei ad recipiendũ tributa, ſed ad gubernandũ populos. Vnde quando S. Thomas ait, hoc ipſum, id eſt, pro ipſo, nõ ſignificat pro Deo, ſed pro recipiendo tributo ſeruiẽtes, vbi author deceptus eſt. Quantũ ad illud quod poſtmodũ author citat D. Thomã, ad probandũ Eccleſiaſticos priuilegiis Principum, exemptos eſſe à tributo dando: hoc ipſum verè dicit D. Thomas, éſtque hiſtoriis congruum, vt inferiùs dicemus. Illud autem non dicit D. Thomas quod ipſi author adfingit, eos iure diuino hoc priuilegium non habere: ſed potiùs contrariũ: docet enim D. Thomas Principes ſuis priuilegiis Eccleſiaſticos à tributo exemiſſe, quia hoc

hoc naturali æquitati conſentaneum erat, volens dicere, in hoc Principes ius naturale quod ſimiliter diuinum eſt, confirmaſſe. Vltimò, quòd hic author neget, Eccleſiam habere poteſtatem puniendi pœna mortis, neſcio vbi tale quid legerit: niſi fortè apud hæreticos Valdenſes, Huſſitas, Marſilium Patauinum, & eiuſmodi farinæ homines, qui Eccleſiam vtrumque gladium habere negabant. Verum eſt Eccleſiã materiali gladio non vti, nec reos pœna mortis afficere; verùm non ideò quod nequeat, ſed quia manſuetudini Eccleſiaſticæ conſentaneum nõ videtur, atque ideò eiuſmodi delinquentes Iuſtitiæ ſeculari committit. Audi S. Bernardum l.8. de conſideratione ad Eugenium ſic loquentem: Vterque ergo Eccleſię, & ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt; ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum ſacerdotis & iuſſum Imperatoris. Hanc D. Bernardi doctrinam approbauit Papa Bonifacius in extrauaganti Vnam ſanctam, de maior. & obedient. finit author dicens, D. Paulũ, dũ ait obediendum Principibus, non cõſilium, ſed pręceptum dare: quod verũ eſt, ſed intelligi debet modo ſuprà explicato, obedire nempe eos debere Principibus, qui iuſto titulo ſunt eis ſubiecti, & in iis negotiis ad quæ eorum authoritas ſe extendit, vnde ſequitur Eccleſiaſticos non eſſe obligatos ad obediendum Principibus ſecularibus, immunes enim ſunt, ſed tantùm laicos, & hoc quidem in ciuilibus negotiis ac Deo non contrariis. Ex quibus videre licet quantum hoc tempore Deum oſtendat Reſpublica Veneta, quæ non ſolùm Eccleſiaſticos in carceres coniicit, ſed laicos pariter & Eccleſiaſticos vi

cogit ne ſummi Pontificis interdictũ obſeruent,cũ negotium hoc merè ſit ſpirituale & Eccleſiaſticũ.

DEFENSIO.

Marſilius.

IAm dictum eſt cap.primo,hanc vocem,*ad tributa*,Typographicum errorem fuiſſe, & quamuis ita non eſſet,pro Authore dici poteſt D. Thomam explicare,pro ipſo recipiendo ſeruientes, quod idem eſt ac,ad tributa:eſſe tamen errorem typographicum apertè conſtat, quia Authori dicere ſufficit,*ſunt enim miniſtri Dei*,& vox,*ad tributa*,redundat, vt hanc ab Authore dedita opera poſitam eſſe dici nequeat. Non mirum videri debet typographũ dictionem illam,ad tributa, per incuriam poſuiſſe: ſiquidem Domini Cardinales ſuper Indice Romæ impreſſo hoc anno 1606,declarant multa verba per errorem typographi poſita fuiſſe,dicendo §.[Cùm in Appendice ſecundæ claſſis ſub litera I. dicatur Io.Bodini Andegauenſis Dæmonomania omnino prohibetur:liber verò de Republica & Methodus ad facilem hiſtoriarum cognitionem,tamdiu prohibita ſint, quouſque ab Authore expurgata cum approbatione Magiſtri Sacri Palatij prodierint. Id quidem fortaſſe per errorem librarij factum creditur : vnde ſi tot verba poſita eſſe poſſunt per errorem librarij,multò veriſimilius credendum, vnum hac in propoſitione per errorem librarij poſitum fuiſſe.Voces,[ira & vindicta,]eædem ſunt,ſed quia vox,vindicta, Apoſtoli multorúmque Sanctorum patrum ſenſui magis congruit, Author ea vſus eſt: Iam accedamus ad errores.

Errat I.quia dicit tributum Deo non dari:imò dico id quod Miniſtris datur qui Deum repræſentant, Deo

Digitized by Google

Deo dari:ſicut de eleemoſyna quæ fit pauperi, dicet Saluator die iudicij, Matth. cap. 25. [Quod vni de minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: & eodem modo de eleemoſyna & ſacrificio Deus loquitur, Matth.9.[Miſericordiam volo,& non ſacrificium:] quò reſpiciens D. Hieronymus in Gloſſa ſupra hũc locum, dicit, [per hoc enim quod illis tributa datis, Deo ſeruitis:ſunt enim Miniſtri Dei.]

Errat II. quia concedit D. Thomam dicere Clericos tributum non ſoluere, ex priuilegio Principum, qui hoc æquitate quadam concedunt, deinde dicit ipſos illud non ſoluere quòd ſint immunes priuilegio Principum, ſed quia ſunt immunes de iure diuino. Huc vſque non probauit Dominus Cardinalis hanc immunitatem, ſicut erat pollicitus. Cur D.Thomas dicit Clericos non ſoluere tributum ex priuilegio Principum, ſi immunes ſint de iure diuino? dicere ſufficiebat eos tributum non ſoluere quia ſunt immunes de iure diuino, ſed quia cap. Geneſ. 47. citat, vbi legitur Regem Sacerdotes Ægyptios à tributo exemiſſe, qui ſanè exempti non erant de iure diuino, erant enim idololatræ, concludit à pari, Clericos etiam à tributo exemptos eſſe, priuilegio Principum, & non de iure diuino:imò D.Iuſtinus Martyr ſecundũ Gloſſ. contrariũ innuit,quòd nempe ſoluere tributum, ſit de iure diuino:[Vectigalia,tributáq; à vobis,Imperatores, inſtituta vbiq; ante omnes conamur pẽdere,ſicut nos ipſe Chriſtus docuit, nã cùm ſciſcitarẽtur ab eo nũ oporteat tributũ dari Cæſari, reſpõdit, reddite quæ ſunt Cæſaris,Cęſari.Propterea D.Ambroſius Mediolani Archiepiſcopus ſcribẽs ad Epiſcopũ Vercellẽſẽ lib.5. epiſtolarũ,ep.32. [Si tributũ

Digitized by Google

petit Imperator, nõ negamus, Agri Eccleſię ſoluunt tributum, ſi agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vendicandorum, tollat eos ſi libitum eſt, Imperatori non dono, ſed non nego:] quid diceret D. Ambroſius in præſentibus hiſce occaſionibus, vbi nemini quicquam tollitur? Si Principem vult habere poteſtatem tollendi, ſibique vendicandi agros eccleſiæ pro ſuo arbitrio, abſque quòd ipſe qui Præſul erat, ei reſiſtere debeat? Denique tanti ſemper fecit Eccleſia, bono publico, etiam cum damno, & Eccleſiaſticorum ſumptu, ſubuenire, vt in Concilio Lateranenſi legatur, quemadmodum citat Gloſſa, [Clericus tametſi à tributorum pręſtatione liber ſit, tamen ſi ad id neceſſitas adegerit, propriis etiam bonis parcendum non eſt, quatenus Reipublicæ ſaluti conſulatur.]

Errat III. quia ſtrictum gladium materialem tradit in manus Pontificis, quod in D. Petro Chriſtus reprehendit, quum ei dixit, Ioh.18. [mitte gladium tuum in vaginam: ac ſanè prolixo hîc ſermone opus eſſet, at ne tædium pariam, monere ſufficit, Deum noluiſſe Dauidem ipſi ædificare templum, 2.Reg. c.7. quia erat vir Sanguinum, & multos occiderat, ſed ipſum à pacifico Salomone ędificari voluit: vt nempe oſtenderet quàm alienus gladij materialis vſus eſſe debeat ab Eccleſiaſtico exercitio, & eos qui gladio vtuntur, irregulares eſſe, ob id paſtorem Dauidem Chriſtiani typum, armis Saulis armatum contra Gigantem Goliath ire non potuiſſe, ſed cum funda & ſaxis, quæ ſunt verbum Dei. Ad hoc non ſolùm facit mos Chriſtianorum, quem D. Cardinalis probat, vt tradatur brachio ſæculari, ſed etiam diuina verba S. Ambroſij epiſt.2.ad Valentinianum,

nianum Imperatorem, vbi dicit, [Dolere potero, flere potero, gemere potero, aduerſus arma, milites Gothos: lacrymæ meæ arma mea ſunt, talia enim munimenta ſunt Sacerdotis, aliter enim nec debeo, nec poſſum reſiſtere:] vbi vox illa notanda, *nec debeo*. Tandem Dom. Cardinalis robur ſumit à textu D. Bernardi, qui contra ipſum Cardinalem facere mihi videtur, loquitur Bernardus de Eccleſia cum eius oppoſitis, quæ ex Secularibus & Sacerdotibus, ex militibus & Clericis eſt compoſita, in qua poteſtas adeſt temporalis & imperatoria, dignitas ſpiritualis & pontificia: Iam ait D. Bernardus: [Vterque ergo Eccleſiæ & ſpiritualis gladius & materialis,] at non ambo ſunt cuiuſlibet: [ſed hic quidem,] ſcilicet materialis, [pro Eccleſia: ille verò,] nempe ſpiritualis, [ab Eccleſia exercendus: ille ſacerdotis, is militis manu.] Ecce Sacerdotem gladiū non geſtare: [gladium non portat, ſed ſanè ad nutum ſacerdotis, & iuſſum Imperatoris.] Quæ duæ dictiones oppoſitæ ſunt, ac oſtendunt eum qui iubet vt quis occidatur, non eſſe Sacerdotem, ſed Imperatorem, ergo ipſe, & non ſacerdos, habet poteſtatem gladij, adeò vt [ad nutum] ſignificet non ad iuſſum, ſed quòd poſtquàm aliquem Sacerdos exaugurauit, tradendo brachio ſeculari, velit intelligi quam mereatur pœnam hoc tradendi actu, quem vocat nutum, quia nec verbis illud vrgere poteſt, nec imperio facere vt ſententia ſortiatur effectum. Si Bonifacius aliud nō dicat præter id quod D. Bernardus, conuenimus. An D. Bernardus, an D. Ambroſius ſint hæretici, an rationes & authoritates adductæ ſint hæreſes, prudēti Lectori conſiderandum relinquo. Deinde volentes Domini Eccleſiaſtici maiorem authoritatem eā

quæ ipſis competit, ſi gladij authoritas ipſis competeret, eam exercerent, at non exercent, ergo ipſis non competit: hoc argumento vtuntur ſeculares, eóque validiſſimo, nam fruſtra eſt potentia, quæ non reuocatur ad actum, præſertim ab iis qui talem ſe authoritatem habere iactant.

Errat vltimò, quia cùm adhuc non probarit Clericos in cauſis ac negotiis temporalibus immunes eſſe, imò cùm rationibus iam dictis contrarium oſtenderimus, concludit, ſolos laicos obſeruare D. Pauli præceptum teneri. Cur poſteà non malè fecerit Princeps, vt vim vi repelleret, dum ſub grauibus pœnis iniunxit, ne in ſuo Dominio interdictum obſeruetur, ſub finem defenſionis opportuniùs dicemus.

Manet igitur probatum Primæ huius propoſitionis doctrinam Catholicam eſſe, ſanam, bonam, & Oecumenicã, ac in nulla eius particula Dominum Cardinalem eam refellere, aut eius veritatem imminuere potuiſſe.

DEFENSIO SECVNDÆ PROPOSITIONIS.

Cap. IIII.

Secunda Authoris Propoſitio.

CHriſtus Saluator noſter, licèt tanquam Dei Filius æqualis Patri, Rex ſit Regum, & Dominus Dominantium, nihilominùs cùm veſtitus eſſet carne noſtra mortali, nec ante mortem, nec poſt ſanctiſſimam eius reſurrectionem, vnquam exercuit Principis tẽporalẽ poteſtatem. Nõ habuit regnum tẽporale, vt Pilato dicenti, Rex es tu? tu dicis, reſpõdit: verùm aduerte, licèt Rex ſim, nihilomin⁹ regnũ meum

Digitized by Google

meum non eſt de hoc mundo, id eſt temporale. Ideò quum populi illi ab eo miraculosè quinque panibus & duobus piſcibus paſti, eum Regem facere vellent, aufugit ne raperent, & facerent eum Regem. Nec vllum iudicare voluit, vnde cupientibus vt Sententiam in quadam eorum controuerſia ferret, reſpondit: Quis me conſtituit iudicem ſupra vos? Imò miniſtrum Cæſaris Pilatum pro ſuo iudice agnouit. Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi data eſſet deſuper, vt notat D. Thomas in epiſtola ad Romanos.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

HÆc ſecunda propoſitio nil commune habet cum præſenti negotio, in quo non de regnis temporalibus, ſed de Eccleſiaſticis ſermo eſt, & ſolùm ad authoris peruerſum animum erroréſque patefaciendum valet. Dico igitur verum eſſe, quòd Chriſtus, quà homo mortalis, ſecularis Principis poteſtatem nō exercuerit in hoc mūdo: venit enim, vt ipſe ait, pati & ſeruire, mundūm docere rerum temporalium & honorum contemptum, & exemplo humilitatis & obedientiæ, monſtrare ſuperbis & inobedientibus viam paradyſi. Filius hominis non venit, miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis, Matth. 20. Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet, Lucæ 9. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, Matth. 11. Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti qui propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, 2. Corinth. 10. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem

Digitized by Google

autem crucis, Philipp. 2. Sed debebat hic author adiunxiſſe, Chriſtum etiam vt hominem, ſi voluiſſet, potuiſſe rerum omnium temporalium dominium aſſumere, ſe Regem facere aut Imperatorem, vtrius officium magis allubuiſſet. Vt enim ait D. Iohannes c. 11. Omnia ei dedit pater in manus, & D. Paulus cap. 1. epiſt. ad Hebr. Quem conſtituit hæredem vniuerſorum. Neque dicere debuiſſet, Chriſtum poſt reſurrectionem non exercuiſſe poteſtatem Principis temporalis, quin adiungeret, Chriſtum poſt reſurrectionem, etiam vt hominem, gubernaſſe totum mūdum, non vt Principem temporalem, ſed vt Principem æternum, ſuperiorem omnibus Principibus temporalibus, vt D. Iohannes ait ſub initium Apocal. Qui eſt primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ. Et ipſe Chriſtus: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, Matth. 28. quæ poteſtas propriè temporalis non eſt, eſt enim æterna, nihilominus eſt ſupra res omnes temporales & æternas. Chriſtus enim, etiam quà homo, ſummus erat Pontifex, cum excellenti poteſtate, quinimò caput erat hominum & Angelorum, vnde Superiorem non habebat in terris, nec ab vllo de iure iudicari poterat, ſed tantùm de facto, quando ipſe id fieri permittebat. Atque hoc ſignificat Apoſtolus, dum dicit: Humiliauit ſemetipſum, Philipp. 2. Vnde ad ea verba: Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi data eſſet deſuper, quibus videtur Chriſtus Pilatum pro iudice ſibi à Deo dato agnoſcere, reſpondetur per poteſtatem eo loco permiſſionem intelligi, éſtque eius loci ſenſus: Pilatum nil potuiſſe facere aduerſus Chriſtum, ſi Deus id non permiſiſſet, quo etiam modo locus alius intelli-

telli-

Digitized by Google

telligitur: Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum, Lucæ 12. Et hæc reſponſio eſt ſanctorum patrum, Chryſoſtomi & Cyril. in expoſitione cap. 19. D. Iohannis. Verùm quia D. Thomas in cap. 13. epiſt. ad Rom. intelligit eum locum de poteſtate quam habent Principes à Deo, dicimus poteſtatem Pilati, vt Cæſaris miniſtri, fuiſſe à Deo, à quo legitima omnis poteſtas deſcendit: Sed quòd hæc poteſtas ad Chriſtum ſe extenderit, factum eſſe ex ignorantia Pilati, qui Chriſti dignitatem neſciebat, cúmque ideo, ceu priuatum eius patris ciuem, iudicabat: Quemadmodum ſi hoc tempore Clericus ſub nomine, & habitu laici ſiſteretur iudici ſeculari, ea poteſtate iudicari poſſet qua reliqui laici iudicantur: non ideò tamen ſequitur Clericos, laicorum iudicio ſubiectos eſſe, aut Chriſtum ſubiectum fuiſſe Pilati iudicio.

DEFENSIO.

Marſilius.

NEgat Dom. Cardinalis, agi in præſentibus negotiis de regno temporali, attamen de alio quæſtionem non eſſe conſtat. Pontifex duo prohibet Sereniſſimæ Reipublicæ: Primum, ne iudicare poſſit Eccleſiaſticos qui delicta commiſerunt, merè temporalia, quæ vt Couarruuias ait, ſpiritualia non attinet. Secundum, ne leges ferre poſſit de bonis vllis immobilibus ab Eccleſiaſtico Dominio nondum poſſeſſis, in quæ bona nondum ipſis eſt ius quæſitum. Peto qua authoritate Summus Pontifex hæc prohibeat: ſanè non Principis temporalis authoritate, quia non eſt ditionis Venetæ dominus in temporalibus, eâ igitur quam habet vt Paſtor vni-

Google

uerſalis. Iam autem quoniam authoritatem illam quà Paſtor eſt vniuerſalis, habet vt Chriſti Vicarius, neceſſe eſt quam Chriſtus authoritatem in temporalibus exercuerit oſtendere: ipſius enim authoritas eſt norma eius authoritatis quam habet Pontifex, iuxta eiuſdem Chriſti verba, Ioh. cap.20. [ſicut miſit me Pater,& ego mitto vos,] quibus verbis Iuriſdictionis authoritatem Petro & Apoſtolis communicauit, vt fatetur Dom. Cardinalis: & prætereà, quia non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, neque ſeruus ſuper Dominum ſuum, Lucæ cap. 6. & ex verbis, Paſce oues meas, colligitur quòd ſicut Chriſtus non fuit Paſtor in temporalibus,ſed in ſpiritualibus: ita Pontifex, iure Pontificatus, vt ait D. Bernardus, authoritatem non habet vel dominium in temporalibus, & ſpeciatim quum leges temporales non impediunt curſum ad vitam æternam, imò ciuilem pacem ſtabiliunt, ad illius Dominij conſeruationem ac libertatem diriguntur, in quo peculiaris ſit Religionis Catholicæ & Pietatis profeſſio, atque etiam eò tendunt vt Iuſtitia foueatur, cuiuſmodi ſunt leges omnes Dominorum Venetorum à 200. Senatoribus bonitate & religione claris obſignatæ, ac ſecretis ſuffragiis confirmatæ. Quamobrem ſi Author vt hæc omnia probet, laborat primùm in probando quam Chriſtus Dominus noſter poteſtatem exercuerit in temporalibus, valdè ad rem loquitur,& non temerè,vt ait D.Cardinalis.Iam ad errores accedamus.

Errat I. quia dum fatetur Chriſtum, nullam in hoc mundo temporalem poteſtatem exercuiſſe, quod etiam dicit Author, ait tamen illum dicere debuiſſe, quòd eam exercere potuiſſet, ſi voluiſſet.Et

Digitized by Google

ſet. Et quamuis veriſſimum eſſe fatear quod dicit Illuſtriſſima ſua Dominatio, quia Chriſtus non ſolùm homo erat, ſed Deus, & ambæ naturæ in vno ſuppoſito vnitæ erant, & actiones, iuxta regulam Philoſophicam, ſunt ſuppoſitorũ, & Idiomata communicantur, iuxta Theologos, nihilominùs tamen ad id quod dicitur, hunc totum Authoris ſermonem ad rem non facere, reſpondetur quæſtionem noſtram eſſe de facto, non de poſſibili, quandoquidem cùm Pontificis authoritas, Chriſti ſupremi Paſtoris exemplo nitatur, vt rectè dicit & affirmat D. Cardinalis, dicere ſufficiebat quibus vſus ſit actionibus ad paſcendum ſuas oues, non verò tractãda erat illa quæſtio, quibus actionibus vti potuiſſet, ſi voluiſſet: nã potuiſſet etiã extraordinaria quadam potẽtia Mũdũ cõuertere, omnes vno nutu ſãctificare abſq; ſanguinis effuſione, &c. Siquidẽ, nõ eſt impoſſibile apud Deum omne verbũ, Lucæ 1. ſed quia nõ valet argumentũ à poſſibili ad factum, ideò non tractauit Author quid Chriſtus facere potuerit in temporalibus, ſed quid reuera fecerit.

Errat II. quia præſupponit Chriſtum Dominum noſtrum, vt hominem mortalem, habuiſſe dominium in temporalibus, attamen doctè Maldonatus etiam Ieſuita cap. 27. Matth. explicans ea verba, [Regnum meum non eſt de hoc Mundo,] contrarium validè probat: dicit enim, tribus modis dici poſſe, Chriſtum temporale Mundi dominium habuiſſe, vt homo erat, hæreditate, electione, aut quia in pluribus Scripturæ locis Rex vocatur, vt homo: quod denotaret ipsũ huius mũdi regẽ fuiſſe, aut naturali iure, id eſt hæreditate, aut humano, id eſt electione, aut diuino, quia hoc Scriptura dicit: ſed ipſe

Digitized by Google

Rex non fuit hæreditate, quia licèt è regia ſtirpe Iuda fuerit, tamen regnum illud in Ieconia finiit, prout Deus minatus fuerat, ac peculiari quodam modo regnauit, nec vllius Regis filius aut hæres fuit. Non fuit Rex electione, ignoratur enim illum vnquam à populis Regem electum fuiſſe, imò quum id tentarent, aufugit. Supereſt igitur vt Rex temporalis fuerit, licèt poteſtatem ſuam non exercuerit, quantum ex ſcripturis colligere eſt: verùm Scripturæ non de regno temporali ſed de Spirituali loquuntur, vt explicat D. Auguſtinus tract. 15. in Ioh. ipſéque Maldonatus, ſecundum bonorum omnium Theologorum ſententiam, locorum eorúmque validiſſimorum partem maximam huc adducens: igitur vt homo mortalis temporale dominium aut poteſtatem non habuit, idcóque tale dominium non exercuit: vnde concludit optimè, [Qua verò parte Chriſtus homo erat, non erat vniuerſi orbis terrarum temporalis Rex, vt & Auguſtinus eo loco quem modò nominauimus, & omnes boni Theologi ſentiunt, aut enim naturali, aut diuino, aut humano iure Rex eſſet: naturali non erat, quia Regis filius non erat, quod eſt naturalem eſſe Regem: diuino non erat, quia omnia ſacrarúm literarum teſtimonia, quæ de eius loquuntur Regno, vt Auguſtinus ait, & omnes boni Theologi affirmant, de ſpirituali intelliguntur: humano non erat, quia non fuerat orbis terrarum conſenſu Rex electus, & cùm Iudæi vellent eum rapere, vt Regem facerent, aufugit: Ioh. 6.] Igitur cùm tēporale Dominium, vt mortalis homo, non habuerit, illud nec potuit exercere, nā nō eſt actus, vbi nō eſt vlla potentia ad illum actum, iuxta regulam:

lam: quod debet intelligi, qua parte homo erat, & vt loquitur Dom. Cardinalis, vt mortalis homo: nã vt Deus, dubium non eſt, (ídque fatetur Author,) quin ſit Rex Regum, & Dominus Dominantium: nec opus eſt verba facere de Chriſti Domini noſtri poteſtate æterna, prout eam vocat Illuſtriſſima ſua Dominatio, quæ poſt Reſurrectionem ei data fuit: nam de temporali poteſtate quæſtio eſt, non autem de æterna, quam ſanè Vicario ſuo non dedit.

Errat III. in horum duorum locorum expoſitione, [Sciens quoniam omnia dedit ei Pater in manus: &, Quem conſtituit hæredem vniuerſorum,] ea de Regno temporali intelligens, cùm tamẽ Maldonatus, D. etiam Auguſtini, bonorúmque omnium Theologorum authoritate, affirmet ea intelligi, vt reuera debent, de ſpirituali Chriſti regno, quod in Euangelio, Regnum cœlorũ dicitur: quòd ſi verba illa de Regno temporali poſſent intelligi, mendacium protuliſſet Chriſtus, quod abſit, quum dixit, [Regnum meum non eſt de hoc mundo, & Regnum meum non eſt hinc.] Ioh. cap. 19. ſiquidem quod affirmabant Scripturæ, negaſſet, ipſum nempe Regem eſſe temporalem. Quamuis, vt dixi, dato nõ conceſſo, Chriſtum vt hominem, habuiſſe Dominium temporale, vt vt ſit, illud non exercuit, quemadmodum fatetur ipſe Dom. Cardinalis, quod Authori ſufficit.

Errat IV. quia dicit locum illum Ioh. 19. [non haberes in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper,] nõ de ordinaria Iudicis poteſtate, ſed de permiſſiua intelligi: primò quia Chriſtus Pilato ad rem non reſpondiſſet, qui de poteſtate iudiciaria loquebatur, [neſcis quia poteſtatem habeo dimittere

Digitized by Google

te, &c.] Secundò, quia poteſtatem permiſſiuam habuit non ſolùm Pilatus, ſed omnes etiam Iudæi, de qua verum eſt locum illum intelligi, quem citat Dom. Cardinalis, [hæc eſt hora veſtra, & Poteſtas tenebrarum,] quæ ideò tenebrarum eſſe dicitur, & non data deſuper. Tertiò, quia Poteſtas Permiſſiua dici nequit data, ſed potiùs non negata, aut certè non impedita deſuper. Quartò, quia Poteſtas Permiſſiua ea dicitur, qua Deus permittit vt quis in peccatum incidat, ſed hanc ei non dat deſuper, aliàs enim ad peccatum concurreret, quod eſt falſiſſimum: ob id S. Thomas dicit, fatetúrque Dom. Cardinalis, de ordinaria Iudicis, vt miniſtri Cæſaris, poteſtate locum illum intelligi: neque id Illuſtriſſima ſua Dominatio negare poteſt. Imò D. Auguſtinus locum illum explicans, non haberes in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper, dicit, [Diſcamus ergo quod dixit,] nempe Chriſtus, [quod & Apoſtolum docuit, quia non eſt poteſtas niſi à Deo: quicquid ſit de actu malè vtentis ea. Et quia plus peccat qui innocentem occidendum Poteſtati liuore tradit, quàm ipſa poteſtas, ſi eum timore alterius Poteſtatis maioris occidit, talem quippe Deus dederat illi Poteſtatem, vt eſſet etiam [ſub Cæſaris Poteſtate:] vnde alius illuſtriſſimæ ſuæ Dominationis error colligitur, quia Pilati ignorantiæ tribuit, quod D. Auguſtinus, aliíque omnes timori non offendendi Cæſarem adſcribunt: & D. Bernardus in epiſtola ad Archiepiſcopum Senon. ait, [Romani Præſulis Poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fatetur fuiſſe ordinatam:] & in eadem epiſtola ad eundem: [Quid ſecularitatem contemnitis? Secularior nemo Pilato, cui

to, cui

to,cui Dominus aſtitit iudicandus, non haberes,inquit, in me Poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper:iam tunc pro ſe loquebatur, & in ſe experiebatur, quod pòſt per Apoſtolos clamauit in Eccleſiis, Non eſt Poteſtas niſi à Deo.

Errat IV. quia non negant D.Ioh.Chryſoſtomus & D. Cyrillus,Chriſtum de Poteſtate iudiciaria ordinata loqui,ſed ſolùm dicunt, Chriſtum,cùm vitare poſſet iudicium illud,ſiue abſcondendo ſe,vt fortè quando ipſum lapidare voluerunt, ſiue vt Deus, ad ſe vocando duodecim Legiones Angelorum,dictam tamen iudiciariam poteſtatem non impediuiſſe: ex quo non arguitur, poteſtatem illam à Deo non fuiſſe, ſed potiùs oppoſitum. Hoc proptereà intelligitur à Theologis de impediendi poteſtate Chriſti,abſoluta, nõ ordinaria,nam oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, Lucæ cap.24.

Errat V.quia rationis loco affert quod eſt in quæſtione, videlicet Summum Pontificem à nullo iudice temporali iudicari poſſe in temporalibus, ergo Chriſtus, qui ſummus erat Pontifex, à Pilato iudicari non potuit, in eo quod ipſi imputabatur de vſurpata Iuriſdictione: hic modus argumentandi vocatur Petitio principij: aliquis enim contrario potiùs modo argumentaretur, nempe, quia Chriſtus Dominus noſter, Principis temporalis iudicium non vitauit, imò dixit, illam Poteſtatem eſſe datam deſuper, & quouis modo erat Summus Pontifex: ergo Romanus Pontifex eam in eiuſmodi caſibus vitare nõ debet. Actiones Chriſti debet eſſe regula actionum Romani Pontificis,non

verò actiones Romani Pontificis, actionũ Chriſti.

Errat VI. quoniam ad D. Thomæ verba expoſitionem affert, quæ eſt ipſius ſenſui contraria, & Doctoris Angelici doctrinâ indigna, cui ab omnium Magiſtro dictum fuit, [Benè ſcripſiſti de me Thoma,] & hoc loco teneor etiam pugnare pro patria, pro Præceptore & conterraneo meo: cuius ſanctam & catholicam doctrinam, in materiis omnibus Theologicis, potiſſimùm verò in his, profiteor: Verba ipſius D. Thomæ hæc ſunt: [Quicquid enim communiter de Deo & de creaturis dicitur, à Deo in creaturas deriuatur. Poteſtas autẽ de Deo, & hominibus dicitur Iob. 36. Deus Poteſtates nõ abiicit, cùm ipſe ſit potens, vnde conſequens eſt, quòd omnis humana poteſtas ſit à Deo: Danielis 4. Dominabitur excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud: & Ioh. 19. non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper: Itaque de iudicandi poteſtate, quæ communiter dicitur de Deo, & de creaturis, non verò de Permiſſiua loquitur.

Errat vltimò dum Preſbyteri detenti in habitu laici, & coram ſeculari iudice adducti, exemplum proponit, qui ſe Presbyterum eſſe ſciens, non diceret Iudici, exemptionem prætendens, illum à Cœlo poteſtatem in ſe habere, ſed contrarium diceret, [tu non habes in me poteſtatem deſuper:] igitur cùm hoc non dixerit Chriſtus, ſed contrarium, eiuſmodi prætenſionem non denotauit: vbi etiam notandum, Dominum Cardinalem inducere Preſbyterum lapideum in habitu laico, qui ſe Preſbyterum eſſe prætendens, id neſciat dicere, vel bullas oſtendere: ſcio contrarium fieri, nam in illis ditionibus

Digitized by Google

bus in quibus Principes exemptionem à poteſtate ſua clericis conceſſerunt, in criminalibus cauſis, multi ad vitandum ſeculare iudicium, falſas clericatus bullas ſibi fieri curant, & Dominus Cardinalis vult, vt qui reuera eas habet, id neſciat dicere, vel eas oſtendere, ſed contrarium fateatur, Iudicem nimirùm ordinariam in ipſum poteſtatem habere: hæc non modò falſa ſunt, verùm quæ vix credantur.

AVTHOR.

TAndē iuſſit vt Principi ſeculari tributū daretur, id eſt Cæſari: reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Alqui opponunt ſe huic propoſitioni, dicentes, licèt Chriſtus ſoluerit tributum pro ſe & Petro, ſubiunxiſſe tamen ſe ſoluere non teneri. Nunquid filij debent ſoluere tributum? quibus verbis Principis temporalis authoritatem oſtendit, qui à tributo eſt immunis. Ad hoc dubium reſpondetur indigenas, vt aiunt Doctores quidam, filiorum nomine deſignatos, huic tributo minimè obſtrictos fuiſſe, cùmque ipſe & D. Petrus ex ea regione ortum ducerent, dixiſſe ipſos non teneri perſoluere, aut potiùs ob ſanctiſſimam eius Diuinitatē, innuere voluiſſe ſe ad tributū illud non obligari: Verùm quia hanc reddere cauſam, altum nimis erat & occultum ſacramentum, cuius illi Principis exactores capaces non erant, ideò dixiſſe, Sed ne ſcandalizentur: vnde conſtat quanti duxerit Chriſtus, Principis miniſtris ſcandalum non præbere, veram & realem, ab ipſis tamen non intellectam exemptionem allegans. *Alii vt huic propoſitioni contradicant, aiunt Chriſtum è templo eieciſſe ementes & vendentes, ſed hoc ceu Propheta, zelo fecit, vnde ad

hanc rem citat Euangeliſta Dauidis verba, zelus domus tuæ comedit me. Alij dicunt ipſum quando diſcipulos miſit vt aſinam & pullum adducerẽt, iniunxiſſe illis vt domino dicerent, quia Dominus his opus habet, id eſt totius mundi dominus. Sed hic locus ita non eſt intelligendus, vt inde Principis authoritas eliciatur: verùm vt innuat cœli & terræ Dominũ adeò modis omnibus pauperem fuiſſe, vt ipſum animalia illa mutuò petere oportuerit, ſicut Doctores exponunt. Nec ratio deeſt, nã ſi Principis authoritate vti voluiſſet, non dixiſſet, his opus habet, ſed quia Dominus ita præcipit, alióve modo. Tandem qui hanc noſtram propoſitionem probatu difficilem iudicant, dicunt omnes, Chriſtum, quando triumphans die Palmarum, in Ieroſolymã intrauit, Principis temporalis authoritatem exercuiſſe: vnde Euangeliſta Prophetiam citat, Ecce Rex tuus venit tibi, manſuetus ſedens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. Sed rem attentè perpendenti demum innoteſcit Saluatorem, licèt promiſſus eſſet Rex & Meſſias, dum tamẽ vtili hoc abiectóque modo Ieroſolymam ingrederetur, Principis temporalis authoritatem non exercuiſſe, quin potiùs ſignificaſſe ipſius regnum non eſſe, vt Pilato dixit, de hoc mundo, at ſpirituale & æternum: etenim Reges temporales alio apparatu in Regnorum ſuorum ciuitates intrant, quàm quo Chriſtus, qui Ieroſolymam pauperrimè eſt ingreſſus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium aſinæ.*(à Bellarmino prætermiſſum.)

OBIE-

Digitized by Google

OBIECTIONES.

Bellarminus.

CHriſtum iuſſiſſe vt Cæſari tributum daretur, verum eſt, ſed non ad rem, cùm nemo neget ſoluẽdum eſſe tributum Principibus, ab illis qui obſtricti ſunt, vt inquit D. Paulus: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal &c. Rom. 13. Sed quantum ad tributum quod pro ſe & Petro ſoluit Chriſtus, videtur tibi arriſiſſe hæreſis Marſilij Patauini, qui dixit Chriſtum non condeſcenſione, ſed neceſſitate coactum perſoluiſſe tributum. Quæ hæreſis condemnata eſt à Papa Iohanne XXII. in extrauag. licet, vt refert Cardinalis Turrecremata in ſumma de Eccleſ. lib. 4. part. 2. cap. 37. Non enim aliam exemptionem affers, vt probes Chriſtum ad dandum tributum obligatum non fuiſſe, quàm quia erat indigena ac tales filiorum nomine deſignabantur: & quia diuinitatem habebat, ſecundum quam erat filius Dei, & vt talis ſoluere non tenebatur. Prima ratio eſt planè futilis & vana, quia non ſolùm indigenæ non erant exempti, verùm ipſi ſoli tributum illud dare tenebantur, vt Exodi c. 30. apparet, vbi impoſitum fuit tributum omnibus filiis Iſrael, vt quilibet dimidium ſicli perſolueret, id eſt, duas drachmas. Hoc tributum poſteà ſibi vendicarunt Romani, vt ſcribit Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico, c. 26. Secunda ratio Chriſtum eximit vt Deũ, non vt hominẽ, ideó que vt homo ſecundum te obſtrictus erat: hoc aſſerebat Marſilius Patauinus, & idipſum ex tuo ſermone colligitur, vis enim probare Chriſtum non fuiſſe Principem tempora-

lem,quod vt probes,pro vltima & præcipua ratione addis Chriſtum iuſſiſſe vt Principi ſeculari tributum ſolueretur: quæ ratio nullius eſt momenti, niſi Chriſtum ſoluiſſe tributum addideris. Quoniã autem vis tui argumenti in his conſiſtit, ideò ſtruis obiectionem aduerſus te ipſum, dum dicis aliquos opponere, Chriſtum obligatum non fuiſſe ad ſoluendum tributum,ſed ſoluiſſe, ne tributi exactores ſcandalizaret.Modò igitur abs te peto. Chriſtus vt homo, erat-ne ad ſoluendum tributum obligatus, nec-ne?Si dicis fuiſſe obligatum, declaras te aſſeclam Marſilij,qui tanquam hæreticus condemnatus fuit:ſi ais non fuiſſe obligatum, fatearis neceſſe eſt argumentum tuum nullum eſſe,téque ad rem non loqui:Res ita habet, Chriſtum etiam vt hominem, vnàque Apoſtolos ad tributum dandum obligatos non fuiſſe:Chriſtus enim vt homo,non erat perſona humana,ſed diuina,nec erat filius adoptiuus, ſed naturalis Dei,qui Rex eſt ſuper omnes Reges,atque ideò nulli Regi ſoluere tributum tenebatur.Et quia quum Princeps aliquis ad quippiam dandum non eſt obligatus,neque familia eius eſt obligata, ideò nec Apoſtoli Chriſti familiares, eiúſque domeſtici ad reddendum tributum obligati erant.Atque hinc D.Hieronymus in cap.17.Matth. & Auguſtinus 1. lib.quæſtionum Euangel.q. 23. colligunt Clericos obligatos non eſſe ad ſoluendum tributum Principibus ſecularibus,quia ſunt familiares Chriſti,& ob honorem Chriſti exempti: Intermitto reliqua tua verba referre circa ſecundam hanc propoſitionem, ſunt enim leuia,nec reſponſione opus habent, cùm aduerſum nos non pugnent.

DEF.

Digitized by Google

Marſilius.

RAtio ab authore allata,eſt ad rem,nam ſi Chriſtus Rex temporalis fuiſſet,non iuſſiſſet Cæſari tributum ſolui,ſed dixiſſet, reddite mihi, quia Rex ſum temporalis,non verò Cæſar: diuerſimodè poſteà Dom.Cardinalis in hac obiectione errat.

Errat I.quia Authorem hac voce,*Tu*,compellat, quod ipſum non credo facere honeſtatis defectu, aut quòd ignoret ciuilitatis terminos, aut per contemptum,ſed per iram.Ita fit,vt quum lis oritur & contentio,initium ſumatur ab his titulis , Veſtra Excellentia,aut dominatio,& ab hoc,in vulgari linguâ vſitato,*Vos*,deinde finis ſit per hanc compellationem,Tu.

Verum eſt neminem debere pati ſe ab ira, alióve prauo affectu vinci,ſed Apoſtolum imitandum eſſe,[Modeſtia noſtra nota omnibus hominibus:] licèt non mirer,Illuſtriſſimam ſuam dominationem per vocem,*Tu*,illum compellare, qui etſi non niſi bonus eſt Catholicus, ipſe tamen modis omnibus eum cenſet hæreticum,vnde

Errat II.quia cùm dixerit,vt fertur,Marſilius Patauinus,Chriſtum neceſſitate coactum ſoluiſſe tributum,dicit ipſe idem ab Authore proponi , cùm tamen Author contrarium aſſerat,Chriſtum nempe,cùm vt Dei filius tributum ſoluere non teneretur,illud nihilominùs ſoluiſſe ne Principis Miniſtris ſcandalum præberet:qui hoc dicit, non aſſerit Chriſtum illud ſoluiſſe neceſſitate coactum,ſed con deſcenſione,nempe ad vitandum ſcandalum.

Errat III.quia certò determinat tributum de quo

agitur hoc loco, illud eſſe quod Deus in templo ſol ui iuſſit, Exodi c.30. atque hoc Exodi, illud eſſe quod Auguſtus impoſuit, & Chriſti Domini noſtri tempore exigebatur, & ad hoc probandum citat Ioſephum l.7.cap.26. ſed Ioſephus de tributo quod Auguſtus impoſuit, non loquitur, ſed de illo quod impoſuit Veſpaſianus, qui multis annis poſt Chriſti & Auguſti mortem vixit.

Errat IV. quia cùm inter Doctores dubium ſit, quale eſſet tributum illud Templi, vt ait D. Hilarius, an ſcilicet illud Auguſti, vt volunt Recentiores, in ſingula capita, quod cenſus dicebatur, an illud Primogenitorum, vt ait. D. Iohan. Chryſoſtomus, an verò aliud exteris, aliud ciuibus eſſet impoſitum, vt ait Titelmanus, determinatè affirmat Dom. Cardinalis, tributum de quo agitur hoc loco, eſſe illud Auguſti, abſque quod vllam rationem adferat, imò falſum Ioſephi locum citans, & addens tributum Auguſti cum templi tributo idem fuiſſe.

Errat V. quia cùm author veræ expoſitioni adhæreat, Chriſtum ad ſoluendum tributum obligatum non fuiſſe, quia Dei filius erat, & filij tributum non ſoluunt, quod ipſorum Patris Regis nomin eexigitur. Domin. Cardinalis ex hac negatiua enunciatione, affirmatiuam educit, contra dialecticas omnes regulas, dicens, Ergo Author cenſet Chriſtum, vt homo erat, ad ſoluendũ tributum obligatũ fuiſſe: cùm, ſi quis dicat Romanos non debere Sanctitatis ſuæ, vt Chriſti vicarij, præceptis reſiſtere, non ideò ſequatur ipſi, vt principi temporali, eſſe reſiſtendum: ſiquidem qui vnum negat, alterum

non

non affirmat, quando non ſunt contraria, ſed diſparata, vt in caſu noſtro :' verùm ſcio cur hoc dixerit, vt Marſilium Patauinum commemoraret, ſed id faciendum tempeſtiuè: Authori enim rationem adducere ſufficit, quam Chriſtus adfert, ipſum vt Dei filium ad tributum ſoluendum obligatum non fuiſſe, vt nempe ſoluatur argumentum, non ab ipſo Authore, ſed ab aliis in contrariam partem allatum: nec propterea dicit Chriſtum Dominum noſtrum obligatum fuiſſe vt hominem, ad tributum ſoluendum.

Errat VI. quia cùm Chriſtus Dominus noſter vt probaret ſe exemptum eſſe à tributo, dixerit ſe Dei filium eſſe, vlteriùs ipſe progreditur, addens D. Petrum exemptum fuiſſe, eo quòd eſſet è familia Chriſti, qui Dei filius erat: verùm Chriſtus non de familia, ſed de filio loquutus eſt, nec famulos habuit, ſed diſcipulos, & quamuis filij Regis famuli quamdiu ipſi inſeruiunt, à tributo ſint immunes, tamen diſcipuli non erant famuli Chriſti, [non dixi ſeruos vos, ſed amicos, non veni miniſtrari, ſed miniſtrare.] Quinetiam hæc eius expoſitio repugnat textui, Publicani enim præſupponentes D. Petrum ſoluere teneri tributum, ab illo tantùm petierunt an eius quoque Magiſter ſolueret, qui pro ambobus illum ſoluere voluit, pro ſe, ne præberet ſcandalum Publicanis, & pro D. Petro, quia tenebatur: vbi animaduerto primò D. Petrum nec Sacerdotem nec Papam tunc fuiſſe: ſecundò, vrgente neceſſitate Eccleſiaſticos etiam Priuilegio Principum exēptos, vt inquit D. Thomas, tributū ſoluere debere, ſtater enim quo D. Petrus tributum ſoluit,

Digitized by Google

in ventre piſcis repertus fuit, vt ſignificaretur Eccleſiaſticos debere in Principum ſubſidium, tributum ſoluere, de bonis illis quæ à Piſcibus, id eſt à fidelibus Chriſtianis per eleemoſynam acceperunt: quod iam ſuperiùs cum Gloſſa diximus.

Errat V I I. quia vim argumenti authoris non vult intelligere, ſiquidem authori, vt probet Chriſtum non exercuiſſe Dominium temporale, hoc ſufficit, vt nempe Chriſtus dixerit, [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari:] ſed quia nonnulli eo argumento vtuntur, non contra verba, [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari:] ſed contra totum ſermonem in genere, vt oſtendant Chriſtum ideò regem temporalem fuiſſe, quia dixit ſe tributum ſoluere non teneri, reſpondet author, Chriſtum hoc ideò non dixiſſe quòd eſſet rex temporalis, ſed quia Dei filius erat. Optaret Dom. Cardinalis nos eſſe hæreticos, & alij quidam magnoperè id cupiunt, [ex abundantia cordis, os loquitur,] Lucæ cap. 16.[Nauſeat anima eorum ſuper cibo iſto leuiſſimo.] Num. cap. 21. Interim tamen manna eſt ipſa Ditionis populique Veneti Religio, ſed non ſumus, non erimus, Deo iuuante, quales nos eſſe Illuſtriſſimæ ſuæ Dominationes optare videntur.

Errat VIII. quia falsò citat locum D. Hieronymi, qui planè oppoſitum dicit: Sancti illius verba hæc ſunt:[Dominus noſter ſecundum carnem, & ſecundum Spiritum filius regis erat: vel ex Dauid ſtirpe generatus, vel omnipotentis Verbum Patris, ergo tributa quaſi regum filius non debebat, ſed qui humilitatem carnis aſſumpſerat, debuit adimplere omnem iuſtitiam, nóſque infœlices,](& de ſe loquitur qui erat Preſbyter, & vt quidam volunt, Cardinalis)

nalis)[Chriſti cenſemur nomine, & nihil dignum facimus tanta maieſtate, ille pro nobis crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filij Regis à vectigalibus immunes ſumus?] quo loco non ſolùm non dicit immunitatem eſſe de iure diuino, ſed valdè conqueritur, vt ait Ianſenius, quòd Eccleſiaſtici pro honore Chriſti illud non ſoluerent, quaſi Regis eſſent filij, nempe immunes iure diuino: quis non videt quàm fuerit alienus Sanctorum animus à noſtrorum temporum prætenſionibus? ſed hoc me imprimis malè habet, rem Sanctis velle imponere cuius contrarium dicant. Legatur Ianſenius, qui dicit in hunc locum immunitatem eſſe Priuilegium Principum ſecularium, & non iure diuino.

Errat IX. quia itidem peccat in citando loco D. Auguſtini l.1.qq.Euangelicarũ, q.23. cuius hæc ſunt verba: [Quod dixit ergo, liberi ſunt filij, in omni Regno intelligendum eſt liberos eſſe Regis filios, non vectigales, multò ergo magis liberi eſſe debent in Regno terreno filij illius Regis, ſub quo ſunt omnia Regna terræ.] Hunc locum explicans D. Thomas Aquinas, 2.2. q. 104. art. 1. ad primum, ita loquitur: [Ad primum, Reſpondeo, illos qui facti ſunt filij Dei per gratiam, liberos eſſe in quolibet Regno, ſecundum mentem, à ſeruitute ſcilicet peccati, non autem liberos eſſe à ſeruitute corporali:] In quibus verbis tria aduerto: Primùm, de Eccleſiaſticis non loqui D. Auguſtinum, vt ait Dom. Cardinalis, ſed de omnibus Chriſtianis: ſecundum, non loqui de libertate vel immunitate ab oneribus corporalibus, ſed de ſpiritus libertate, & ſeruitute peccati, tertium, D. Thomam colligere ex hoc

Digitized by Google

loco nullam eſſe à Deo libertatem, quæ nos à Regis temporalis dominio, in temporalibus, immunes reddat, iuxta id quod idem D.Thomas & D. Auguſtinus Eccleſiæ Doctores ſcripſerunt in cap. 13.epiſt.ad Romanos.

Quamuis Ianſenius verborum D.Auguſtini (in quibus videtur aſſerere omnes Chriſtianos à tributo liberos eſſe,de Eccleſiaſticis non loquendo, vt dicit Dom.Cardinalis) meliorem & magis literalem expoſitionem adferat,quia dicit, ipſum argumentari in numero plurali,vt Chriſtus argumentatus eſt:nihilominus tamen intelligi debet in ſingulari numero,nempe de ſolo Chriſto: exempli gratia,ſi Regis Galliæ filius diceret,Si in omnibus Regnis liberi ſint à tributo,Regis filij: ergo multò magis liberi eſſe debent in Regno Galliæ,Regis filij,id eſt,ego.Sic ait D.Auguſtinus dixiſſe Chriſtum D. Petro:[In omni Regno liberi ſunt Regis filij,nō vectigales, Ergo multò magis liberi eſſe debent in Regno terreno filij illius Regis,ſub quo ſunt omnia Regna,id eſt,ego,[ſed ne ſcandalizentur,&c.] Hæc vera eſt eius loci expoſitio, vbi quis euidentiſſimum Dom.Cardinalis errorem non videt? ſanè apud nullum Sanctum inueniet immunitatem eſſe de iure diuino,ſed contrarium potiùs, vt ſuperiùs dictum eſt,& inferiùs dicetur occaſione ſumpta ab hiſce duobus citatis locis tam alienis à ſenſu de quo agitur,Lectorem monere volo, vt ſuſpectos habeat hos magni momenti locos, quum à Dom. Cardinali citantur,nec eorum verba referuntur, vt in his ab ipſo Domino pro ſe citatis, aliiſque contrà facientibus euidenter conſtat.

Defenſio

Defenſio tertiæ Propoſitionis.

Cap. V.

Tertia Authoris Propoſitio.

CVm Chriſtus Ieſus Dominus noſter Principis temporalis authoritatem non exercuerit, dicendum non eſt eum hanc authoritatem Petro, & ſucceſſoribus qui eius Vicarij ſunt, conceſſiſſe, non eſt enim Vicarius maior principali ſuo. Vnde Sotus lib.4. Sentent. tractans hanc materiam, & Cardinalis Bellarminus de authoritate Papæ, rectè dicunt, ſe mirari Canoniſtas quòd ſine vlla ratione, vel Noui Teſtamenti authoritate affirmare auſi ſint Papam eſſe dominum totius orbis directè in temporalibus: doctrina verè ſcandaloſa & parùm ſolida. Scio equidem nonnullos, præter Canones, qui ceu leges humanæ, concurrentibus diuinis, parem authoritatem habere non poſſunt, citare D. Thomam Aquinatem de Regimine Principum c. 10. & 19. eiuſdem libri, vbi dicit: Summus Pontifex eſt dominus totius orbis in temporalibus, verùm hic liber non eſt D. Thomæ, vt rectè oſtendit Cardinalis Bellarminus lib. de Poteſtate Papæ: * quia præter certiſſimas alias coniecturas, hæc vna eſt, quòd ſcilicet lib.3. c.20. ſucceſſionis meminerit Adolphi Imperatoris poſt Rudolphũ & ſucceſſionis Alberti poſt Adolphum, quæ contigêre, prima quidem anno 1292. altera anno 1299. & D. Thomas obiit anno 1274. Citant deinde alium locum D. Thomæ, lib.2. Sentent. diſtinct. 44. vbi ait eſſe in ſummo Pontifice apicem vtriuſque poteſtatis, temporalis & ſpiritualis: qui textum legit, ſecus D. Thomam ſenſiſſe agnoſcit: ſiqui-

dem poſtquàm dixit in temporalibus obediendum eſſe potiùs Principi temporali, quàm ſpirituali,& in merè ſpiritualibus, ſpirituali potiùs quàm temporali, concludit,niſi eſſet, ſummus Pontifex, cui, cùm in ſuis prouinciis vtramque habeat iuriſdictionem, proprij ſubditi non minùs hoc quàm illo modo obedire debent. *(à Bellarmino prætermiſſum.)

OBIECTIONES.

Bellarminus.

TErtia hæc propoſitio ſimilis eſt ſecundæ, nihil enim facit ad præcipuum authoris ſcopum, & ſolùm valet ad malam ipſius mentem, & exiguam in citandis authoribus ſynceritatem patefaciēdum. Ad rem non facit, nam vult oſtendere excommunicationis & interdicti ſententiam à Papa Paulo V. Domino noſtro intortā, nullam & inualidam eſſe: ad hoc probandum, dicere Pontificē non eſſe mundi regem temporalem, perinde eſt ac ſi diceret, Regē Galliæ neminem ad triremes adigere poſſe, quia non ſit epiſcopus: ad infligendum enim excommunicationem & interdictū,non requiritur authoritas regia & temporalis,ſed pontificia & ſpiritualis: ſicuti ad pœnam triremium infligendam, non eſt neceſſaria poteſtas ſpiritualis,cùm ſufficiat temporalis. Exigua ſynceritas in citandis authoribus, in eo deprehenditur quòd è Soto & Bellarmino citat: neuter enim terminis tam immodeſtis vtitur, vt dicant mirari ſe Canoniſtas, quòd auſi ſint, abſque vlla ratione vel authoritate Noui Teſtamenti,aſſerere,Papam eſſe dominum totius orbis directè in temporalibus, quæ doctrina verè ſcandaloſa

eſt &

Digitized by Google

eſt & parum ſolida. Hæc admiratio ab ipſo excogitata, noſtris in ſcriptis nullibi inuenietur, multò minùs quòd dixerimus doctrinam illam Canoniſtarum abſolutè ſcandaloſam, & abſque ratione eſſe: quin nec diximus abſolutè Canoniſtarum eam eſſe ſententiam: nouimus enim ipſos etiam Canoniſtas hac in re diſcrepantes eſſe: & Sotus pro ſe citat Iohannem Andream, Bellarminus verò pro ſua opinione Turrecrematam & Nauarrum, ac poterat etiam citare Innocentium IV. in cap. Nouit. de iudiciis, & gloſſam eo in loco, vbi adiungit diſtinctionem, directè & indirectè. Differentia porrò quæ eſt inter hos authores, non conſiſtit in eo vt tribuant vel auferant Papæ poteſtatem ſupremam in negotiis temporalibus, omnes enim eam concedunt, exceptis hæreticis: Sed conſiſtit in modo, quòd pars eorum credat Papam habere poteſtatem illam eo modo, quo eam habent Principes ſæculares: pars altera autem exiſtimet poteſtatem Papalem, propriè & in ſe ſpiritualem eſſe, poſſe tamen in ordine ad res ſpirituales, pleniſſima authoritate de temporalibus rebus diſponere, vt inter alios diuinè demonſtrat author opuſculi de regimine Principum lib. tertio capit. 11. & 13. ſiue ille Diuus Thomas ſit, ſiue alius. Bellarminus enim non negat abſolutè illum librum eſſe Diui Thomæ, ſed refert aliquos de ea dubitare, & non ſine cauſa: refertur enim in eo opuſculo hiſtoria quædam, quæ poſt mortem Diui Thomæ contigit, & ipſe Bellarminus ait fieri poſſe vt illa hiſtoria poſtmodum in eo libro inſerta fuerit ab alio, atque ideò non ſubſiſtens in eo reſponſo,

Digitized by Google

librum illum non eſſe D. Thomæ, aliud addit ſolidius, ſcilicet eius libri ſententiam cum aliis eiuſdem exponendam eſſe. Sed magna authoris temeritas non impunis relinquenda eſt, qua vtitur dum de ſacris Canonibus loquitur, & ait: Scio equidem aliquos præter Canones, qui ceu leges humanæ, cum diuinis collatæ parem authoritatem habere non poſſunt, citare D. Thomam &c. Hic eſt magnus ſacrorum Canonum contemptus, qui ab ore viri catholici nunquam prodiit: quantum enim apparet, is author nihili facit, an doctrina ſua ſacris Canonibus conſona ſit, necne, ſed nec etiam eos proponenti dignatur reſpondere, ac ſi nullius eſſent authoritatis: deinde hos appellans abſolutè leges humanas, acſi ductu Spiritus S. facti non eſſent, loquitur modo ſanctis Patribus inuſitato, qui eos ſemper ſanctos, & ſacros à Deo inſpiratos nominãt. Audi hac de re S. Leonẽ ad Anatoliũ. Nimis hęc improba, ait, nimis ſunt praua, quæ ſacratiſſimis Canonibus inueniuntur eſſe contraria. Demũ quũ addit ſacros Canones, diuinis concurrentibus, parẽ non poſſe habere authoritatem, Significat Canones in hac materia contrarios eſſe legibus diuinis, atque ideò parui faciendos eſſe: quæ reprehenſio non ſolùm authoribus Canonũ, ac ſi leges Deo contrarias ſtatuerint, ſed etiã toti' Eccleſiæ iniurioſa eſt, quæ eoſdem Canones ceu regulas à Spiritu S. per ſummos Pontifices aut ſacra Concilia datas veneratur.

DEFENSIO.

Marſilius.

SI verum vnquam fuit illud adagium, Tuo te gladio iugulas, eſt hac occaſione veriſſimum, nam

Digitized by Google

nam Dom. Cardinalis ſuomet exemplo manet confutatus: dicit Regem Galliæ, ſi quem adigat ad triremes, id facere poteſtate temporali, non verò ſpirituali, quā non habet: peto autem ſi Pontifex Paulus V. prohibeat ne Sereniſſima Reſpub. Veneta leges eas condat, de quibus eſt controuerſia, qua poteſtate id facit? non ſpirituali, hæc enim ad iudicia, bonáque temporalia non extenditur: ergo temporali, at hanc non habet, ergo eas leges prohibere nequit. Et quemadmodum Rex ad triremes adigit, quia Rex eſt, non quia Epiſcopus: ita Pontifex cùm ſit Papa, & non Rex temporalis ditionis Venetæ, eas leges prohibere nequit quas prohibet, & dum hoc facit, nec ei obedientia exhibetur, qui non obedit, non peccat, quia imperandi in eiuſmodi rebus poteſtatem non habet. Iam veniamus ad errores.

Errat I. quia authoris ſcopum ſuo modo exponens, ait illum abs re loqui & temerè. Verum eſt authoris ſcopum eſſe, probare Cenſuras Pontificis nullas eſſe, ſed quia vt hoc faciat, oportet eum primò probare Sereniſſimam Rempublicam non peccare, ſiquidem Cenſura in eum qui non peccauit, nulla eſt: ideò ſcribit hanc Propoſitionem, in qua probans Pontificem imperandi authoritatem non habere, concludetur Rempublicam obedire non teneri, & non obediendo non peccare.

Errat II. quia putat velle authorem probare Cenſuras nullas eſſe, ex defectu authoritatis ſpiritualis. Author probat cenſuras eſſe nullas, quia Domini Veneti ſuam Iuriſdictionem retinendo ac defendendo, non peccant quod in Pontifice defectum arguit authoritatis non ſpiritualis.

Digitized by Google

ſed temporalis: Authoritas ſpiritualis facit vt poſſit excommunicare, ſed defectus authoritatis temporalis Cenſuram nullam reddit, quia nemo obedire tenetur ei qui in ipſum authoritatem non habet, & non obediendo non peccat, & non peccando in vllius generis Cenſuram non incurrit.

Errat III. quia negare nõ poteſt Illuſtriſſima ſua Dominatio, quin Author hac in propoſitione verum dicat in re, quamuis ſermonem eius & citationes reprehendat. Igitur dicere non poteſt ipſi malam eſſe mentem: Is malam habet mentem qui [de nocte conſurgens,] vt ait Spiritus S. Prouerb. c. 27. [cum falſitate benedicit proximo ſuo voce grandi,] ſed omnino maledicenti ſimilis erit, nam quomodo probatur in conflatorio aurum, & in fornace argentum, ſic probatur homo ore laudantis.] Prouerb. 27. Ideò ſub finem, [Meliùs eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulationibus decipi.] Eccl. 7. Itaque ſatius eſt verum dicere, & ab hominibus reprehendi, quàm adulari, & à Deo puniri, ſecundum Apoſtolum, ad Gal. capit. 1. [Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.]

Errat IV. quoniam admirationem vocat immodeſtiam, & Soti ab ipſo citati admirationem, cum Authoris epiphonemate confundit: nam verba illa, quòd ea doctrina ſit ſcandaloſa & parùm ſolida, nam ſunt Soti aut Bellarmini, ſed authoris, quæ verba, ſunt laudes, ſi conferantur cum eo quod dicit Dom. Cardinalis de Auctoris doctrina, attamen authorem reprehendit, & doctrinam in concreto, ipſe verò author de doctrina loquitur in abſtracto, quod conceditur, nam quod maius ſcandalum,

lum,quàm cùm de homine perfecto dixerit Saluator,Matth.c.19.[Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes,& da pauperibus: non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum:] contrà determinare,illum,qui alio quouis Epiſcopo ad perfectionem, & pauperis Chriſti imitationem magis eſt obligatus, eſſe Dominum totius orbis in temporalibus? Prætereà quale fundamentum,doctrina, verbis & exemplo Chriſti contraria habere poteſt?

Errat V. quia negat Sotum mirari Canoniſtas, & tamen Sotus diſtinct.25.quæſt.1.art.1. citat Auguſtinum Trienſum, Syluestrem, & Panormitanum,qui ſunt iuris periti,vt ipſe ait, vel Canoniſtæ, eorúmque opinionem de poteſtate Papæ directè in temporalibus,Commentum vocat, id eſt fabulã,cuius ipſos patronos eſſe dicit,id eſt defenſores,ac ſpeciatim de Syluestro conqueritur, & miratur quòd à D.Thomæ, præceptoris ſui opinione diſceſſerit, quæ etiam eſt Theologorum : Dom. Cardinalis non modò Sotum citat, ſed in manuſcriptis ſuis lectionibus primíſque libris, Soti verba legebantur,quod ſi iam non concedit, neque dixiſſe vult, parùm refert, in ipſius libris ſexcentæ mutationes quotidie deprehenduntur,ſufficit, hoc dicit Sotus ab ipſo citatus: quamuis hoc ad præcipuam quęſtionem parùm faciat:id dixiſſe velit,necne,mihi perinde eſt,modò Sotus id dixerit, cuius doctrina, imò phraſis, verbáque ipſa,quantoperè Domino Cardinali arriſerint,notum eſt.

Errat VI. quia magna cum ſubtilitate, non vult opinionem Canoniſtarum eam dici, quam plures Canoniſtæ docuerint, licèt vnus ſit inter eos Theologus, nec Theologorum eam quam

Digitized by Google

plures Theologi dixerint, quamuis vnus ſit Canoniſta. Theologiæ initiati hoc norunt, quod appellatio & denominatio fit à maiori parte: quinimò ipſe Dominus Cardinalis cùm hac diſtinctione pergit, & quæſtionis titulum, vt reliqua argumenta prætermittam hoc modo proponit: probatur opinio Theologorum: igitur contraria eſt Canoniſtarum, inter quos licèt in vltimis hiſce exemplaribus Nauarrum citet, qui eſt Canoniſta, non Theologus, tamen ob rationem dictam, nihil refert. Eorum opinio qui dicunt Pontificem eſſe Dominum in temporalibus, dicitur Canoniſtarum, quia ſcripturæ authoritate non nititur, quibuſdam Canonibus exceptis, id eſt legibus in Decretis, & Decretalibus, ſed opinio contraria, eſt Theologorum, quia verbo Dei, & ſcriptura nititur.

Errat VII. quia dicit omnes concedere ſummo Pontifici poteſtatem ſupremam temporalem, hæreticis exceptis: ergo, vt multos omittam. Nauarrus in c. Nouit, eſt hæreticus, nam hæc habet verba: [Quare dicendum eſt Papam, nullam habere Poteſtatem laicam à Deo, neque ſupremam, neque mediam, neque infimam.] Quod ad me attinet, hæreſin cenſeo illam opinionem quæ expreſſè eſt contra ſacram ſcripturam, qualis ſanè eſt eius qui dicit Papam habere ſupremam authoritatem temporalem. Chriſtus Dominus noſter dicit, Matth. c.16. [Tibi dabo claues Regni cœlorum,] & ipſe dicit, [regni terrarum.] Chriſtus ait, (Matth. c. 20. Lucæ c.22.) [Reges gentium dominantur eis, vos autem non ſic,] ipſe verò, [vos autem ſic.] Chriſtus dicit, Ioh.cap.19. [Regnum meum non eſt de hoc mundo,

mundo,] ipſe verò, [imò eſt de hoc mundo, & totius mundi.] Chriſtus ait, Ioh.20. [Sicut miſit me Pater,& ego mitto vos,]ipſe verò,[Non ſicut miſit me Pater,ego mitto vos.] Duæ ſunt ſupremæ poteſtates,duo Chriſtiani orbis capita, vt ait Vgo de Sãcto Victore,l.2.de ſacr.p.2.cap.4. [Terrena poteſtas caput habet Regem: ſpiritualis Poteſtas habet Summum Pontificem.] Et Gelaſius Papa in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem, quæ legitur in Decreto,diſt.96.Can.Duo ſunt. [Duo ſunt Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, Authoritas ſacra Pontificum, & Regalis Poteſtas.] Hoc etiam adeò certum fuit apud Innocentium III. cap. Nouit, vt hæc dixerit: [Cùm Rex ſuperiorem in temporalibus neminem recognoſcat:] igitur vt verum eſt quod dicit Dom. Cardinalis, recognoſci à Rege Pontificem, dicendo ipſum ſupremam habere poteſtatem temporalem? Fateor me ad hæc verba obſtupeſcere, nam illi qui in Pontifice authoritatem indirectam concedunt, in hunc exceſſum non prorumpunt, ſed eam mitigant, dicentes illud, *indirectè*, eſſe ſpirituale, non per ſe, ſed per accidens, & acceſſoriè, vrgente neceſſitate, maximè ex conſenſu partium: ſed dicere ſupremam eſſe ac temporalem, fateor ſcandalum eſſe mihi: ſtante non ſolùm vera doctrina, ſed illa etiam ipſius Dom. Cardinalis, l.5. de Rom. Pont. c. 3.& 4.

Errat IX. quia non dicit Author, quòd cenſeat Dom. Cardinalis librum illum non eſſe D. Thomæ, ſed dicit ipſum ſatis oſtendere non eſſe D. Thomæ,atque hoc tam rectè probat Author vt ipſi

nil opponi queat:ob id forſan Dom. Cardinalis, rationem Authoris adferre omiſit, quod neque hoc loco, neque alibi facere debuit, cùm ſynceritatem eſſet pollicitus, ſed nos omnia proponemus, & ſpeciatim illud quod prætermiſit inter duos aſteriſcos. * Inſuper illud effugium, quod Dom. Cardinalis recens addidit in ſuis operibus, eam nempe hiſtoriam libro illi inſertam eſſe, præter hoc quòd ſit improbabile, quia nullam coniecturam aut rationem adfert, cur voluiſſet quiſpiam, hiſtoriam dictam libro illi inſerere? in quem finem? à quo tempore inſerta eſt? qui hæc audet proponere, omnem hiſtoriis fidem detrahet. Eadem habet reſpõſa Dominus Cardinalis Baronius, quando argumentum ab hiſtoria ſolutũ non facile deprehẽdit, dicens, hæc aut illa verba inſerta fuiſſe: Trecenti ſunt & plures, anni, librũ illum legi, nec vllus vnquam animaduertit, vel dicere auſus eſt verba illa ab aliquo interpoſita fuiſſe: & iam Dom. Cardinalis, ad Pontificis authoritatem in temporalibus augendam, eámque ſupremam reddendam, citra rationem aut coniecturam vllam, inſerta hæc fuiſſe aſſeuerat.

Errat X. quia licèt verborum D. Thomæ expoſitionem tradat, quam ipſe ore proprio ſolidiorem appellat, tamen haud facit illud reſponſum, vt liber ſit D. Thomæ, imò non eſt neceſſarium, dicere nãque ſufficiebat non eſſe D. Thomæ, vt oſtenderetur, illum ſibimet non aduerſari, quod erat in quæſtione.

Errat X I. quia temeritatem irremiſſibilem & venia indignam illud vocat, quod ſi temeritas eſt, etiam competet Illuſtriſſimę ſuę dominationis, nam Canones, qui in hac materia adferuntur, duo ſunt.

Canon,

Canon,[Quicunque litem,]Can.[Quæcunque cõtentiones,]11.q.1. quos citans Dom. Cardinalis lib. 5.de Rom. Pont.c.5.primò nõ appellat ſacros,deinde eos reiicit ceu nullius authoritatis,ſic dicẽs,[Reſpõdeo ex illis Canonibus priorem eſſe Theodoſij Imperatoris,qui ex pietate,non ex debito, id honoris Eccleſiæ detulit:] Id ipſum ſcilicet quod dixit author de Conſtantino, fuitque ob id reprehenſus ab Illuſtriſs.ſua dominatione,& paulò poſt, [quem iam eſſe abrogatum per alios Canones, Gloſſa ibidem aſſerit.] Præterea fuit Canon à Gratiano malè citatus, nam Theodoſius quod in Canone dicitur, non conceſſit:[Poſteriorem Canonem perſpicuum eſt non eſſe alicuius Principis qui poſſet leges condere.] Cur igitur cùm Authori ſermo ſit de duobus hiſce Canonibus, dum ita loquitur, nec eos ſacros vocat,tãtoperè clamitat Dom. Cardinalis, vocans iſtud peccatum irremiſſibile, ac ſi eſſet in Spiritum ſanctum,eiuſmodi exaggerationes,ſcriptoribus fidem & authoritatem penitus tollunt.

Errat XII. quia Canones quos ipſemet refutat, factos eſſe dicit ductu Spiritus S.

Errat XIII. quia dicit dandum ſemper eſſe.Canonibus ſacrorum epithetum: ipſemet verò dicens Canonem illum, *Quicunque* abrogatum eſſe per alios Canones, vocem ſacrorum prætermittit, & de probatis loquitur.

Errat XIIII.quia cùm ſit epithetum,ſacri,tum ciuilibus, tum Canonicis legibus commune, vt in ciuilibus, ita & in Canonicis legibus, ſæpe omittitur,imò non citatur ſacer Canon.*Quicunque*,ſed Canon *Quicunque*.

Errat XV. quia licèt Conciliorum & Eccleſiæ

Digitized by Google

quæ errare nequit, definitiones, de fide, ſacræ ſint, & Spiritus S. ductu factæ, tamen ſexcenti alij Canones de rebus particularibus, ſine errore in fide dici nequeunt facti ductu Spiritus S. ipſe enim Ioh.16. [docet nos omnē veritatem,] & Pontifices in Canonibus particularibus ſæpè errarunt, & errare poſſunt, nec vllus de hoc dubitat, idque Dominus Cardinalis concedit ſæpiùs in ſuis libris de Poteſtatè Romani Pont.

Errat X V I. quia author eos Canones attulit, qui ab aduerſariis adferri ſolent, ſúntque iam dicti, & ſimiles, ipſe verò dicit illum loqui de omnibus Canonibus, & in omni materia.

Errat X V I I. quia concurrentiam vocat contrarietatem, & tamen poſſunt concurrere duo iura, nec vnum alteri aduerſari, exempli gratia, pręceptum de audienda Miſſa, cum eo concurrit de iuuando ęgro, non obſeruatur illud de audienda Miſſa, vt obſeruetur hoc de iuuando ægro, iuxta Chriſti præceptum, [miſericordiam volo, & non ſacrificium.] An igitur vnum alteri eſt contrarium? quis vnquam hoc dixit? ita ſunt multi Canones, qui vbi obſeruari poſſunt abſque maioris obligationis, iuris nempe diuini & naturalis, præiudicio, benè eſt: Sed quum hoc fieri nequit, cedunt Canones naturæ legi, neque hoc, contrarietas, ſed ſubornatio appellatur.

Errat vltimò, quia Canones indifferenter vocat Regulas à Spiritu S. per Pontifices & Concilia, præſcriptas, ſine vlla diſtinctione, qua in re illos omnes promiſcuè authoritate æquales facit Sacræ Scripturæ, quæ eſt diuinitus inſpirata, & Eccleſiæ quæ non poteſt errare definitionib' de fide, imò dat eis iſtud epithetum:

Digitized by Google

epithetum:interim tamen in multis Canonibus errores deprehenſi ſunt,ac reuocantur,& qui eos conſtituit, etiam abrogare poteſt: cùm contrà in Sacra Scriptura, & in definitionibus de fide, talia non reperiantur, nec ibi quicquam emendari,aut reuocari poſſit: & huius alia non eſt, quàm authoris ratio, quòd nempe ſacra Scriptura ſit à Deo inſpirata primo loco, ſecundo loco definitiones de fide ſupradictę:verùm Canones,qui errores continent,vel continere poſſunt,leges ſunt humanæ. Qui contra hanc doctrinam loquitur,à veritate Catholica eſt admodum alienus.

AVTHOR.

AD infringendum robur noſtræ huius Propoſitionis,dicunt quidam Alexandrum VI. Papam Indias Hiſpaniarum & Portugalliæ Regibus diſtribuiſſe,ipſe enim vt Chriſti vicarius,earum Princeps erat temporalis:& Leonem III. eadem ratione Carolo Magno dediſſe Imperium occidentis: verùm hi toto cœlo aberrant: ſiquidem Alexander non tanquam dominus*Indiarum*(à Bellarmino prętermiſſum)Sed tanquam iudex compromiſſarius,ab ipſis Regibus,ad ſopiendam & extinguendam diſſidiorum flammam electus, per iudicium determinauit maria diuidenda eſſe, & vt claſſis vnius per hoc, alterius per aliud mare nauigaret, & quod quiſque acquireret, hoc iure belli ſuum eſſet, iuxta diuiſionem ab ipſo factam, vt referunt hiſtorici * illorum temporum Leonem III. verum eſt cùm à populo Romano de Sede Apoſtolica

deturbatus, & à Carolo Magno ad eandem reſtitutus fuiſſet, effeciſſe vt populus eum Imperatorem proclamaret, vt ait Platina: quod factum Hiſtorici modò populo Romano adſcribunt, qui Imperium videns à Græcis malè gubernari, antiquo iure alium Imperatorem elegerit, modò dicunt, Carolum cùm Rerum eſſet dominus, ab Irene & Nicephoro Imperatore comparaſſe titulum: modò Irenem & Nicephorum hac diuiſione contentos fuiſſe. Vt vt ſit, certum eſt Pontificem è ſede Apoſtolica detruſum, nihil poſſidentem, Carolo nō dediſſe Occidentis Imperium, quod iam habebat, eiúſque iure belli erat Dominus. * An verò abſolutè titulum ipſi cōceſſerit, etiam incertum eſt: licèt ad hoc & id genus alia quæ aduerſus Propoſitionem noſtram adduci poſſunt, reſponderi debeat, Pontificem cùm authoritatem à Chriſto in temporalibus non habuerit, vt dictum eſt, & in ſequenti Propoſitione clariùs dicetur, ſi authoritatem illam exercuerit, vel id feciſſe ex legitimorum Dominorum conſenſu, vel quòd ipſe poteſtatem etiam aliquam temporalem haberet, vno è quatuor ſupradictis modis: verùm per id non probatur ipſum authoritatem habuiſſe directè in temporalibus à Chriſto Saluatore noſtro: præterea multa fiunt à quibuſdam, de quibus ſi quæratur quo iure fiant, non ſit inuentu facile. * *à Bellarmino prætermiſſum.*

OBIECTIONES

Bellarminus.

QVemadmodum propoſitio non eſt ad rem, ita nec etiam rationes pro & contra: in detegēdis itaque huius Neotheologi erroribus tantùm immo-

immorabor. Dicit itaque Alexandrum VI. maria diuiſiſſe Regibus Hiſpaniæ & Portugalliȩ,& decreuiſſe vt quicquid iure belli acquirerent, hoc ipſorum eſſet. Vbi ſi verba hæc, iure belli, ſignificant iuſtum bellum, quod præſupponit acceptã iniuriam ab eo cui bellum infertur, vt docet Auguſt.l. quæſtionum in Ioſue, q.10. benè dicit: ſi autem denotãt bellũ inferri poſſe infidelibus Indianis, licèt Chriſtianos non infeſtent, ſolùm ad acquirendas terras; non benè loquitur, & cõtra meliores omnes Theologos, vt ſunt Card. Caietanus in com.22.quæſt.66. Sotus l.5. de Iuſtitia & iure q.3. art.5. & in 4. Sent. diſtinct.5. q.1. art.10. & Victoria 2. relationum de iure belli: qui dicunt infideles veros eſſe prouinciarum ſuarum Dominos: vt enim D. Thomas docet 22.q.10.art.10. Fides & gratia non deſtruunt naturam, atque ideò non tollunt iuſtum dominium; quod homines habent antequàm fidem accipiant, nec licèt ad Prouincias acquirendas exire, vt ad capiendas feras irrationales venatum exiri ſolet. Eapropter Sotus dicit Alexandrum VI. Indias non aſſignaſſe Caſtilliæ & Portugalliæ Regibus, ſed tantùm conceſſiſſe vt cum Prædicatoribus in nouas illas inſulas euntibus, armatam manum mitterent, qua Prædicatores nouíque Chriſtiani defenderentur. Quibus etiam addi poteſt, Alexandrum VI. Põtificem, tanquam Chriſtiani orbis caput, cùm belli periculum ob commercium cum Indis, inter Principes Chriſtianos proſpiceret, voluiſſe ſolum Caſtiliæ Regem nauigare ad Indias Occidentales, Portugalliæ verò Regem ad Orientales. Attingit poſtmodum hic author tranſlationem Imperij factam à Papa Leone III. & cùm nõ ignoraret cõtrouerſiam

quæ eſt hac de re inter Matthiam Illyricum hæreticum Lutheranum, & Bellarminum, voluit vt ſemper ad deteriorem partem inclinat, hæretici errores ſequi: vnde ait Carolum Magnum à populo Romano imperium habuiſſe, aut titulum à Nicephoro & Irene comparaſſe, aut Nicephornm & Irenem diuiſioni Imperij conſenſiſſe, ac ſummatim certum eſſe Pontificem Occidentis Imperium Carolo Magno non dediſſe. Cùm tamen Bellarminus authoritate triginta trium Hiſtoricorum, decem Imperatorum, & omnium Imperij Electorum, ſeptem Summorum Pontificum, & euidentibus rationibus, omnes titulos quibus Imperium aliquod acquiritur, examinans, probet Carolum Magnum à Papa Leone III. Summo Pontifice Imperium accepiſſe: Vnde Illyrici & noui huius Theologi opinio, in hiſtoria hæreſis, & in Theologia temeritas vocari poteſt, ſiquidẽ hiſtoricis omnibus & ſacris Canonibus aduerſatur. Et vt omittantur alia loca, Innocentius III. cap. Venerabilem, de elect. ſic ait: Romanum Imperium in perſonam Magnifici Caroli Sedes Apoſtolica à Græcis tranſtulit ad Germanos. Et Clemẽs V. vnà cum Generali concilio Viennenſi in Clement. quæ incipit, Romani Pontifices, id ipſum repetit. Quomodo igitur temerarius nõ eſt qui duobus ſũmis Põtificibus, & integro Generali Concilio contradicit? Nec verũ eſt Platinam contrarium ſcripſiſſe, nã ſolùm dicit: Papa decreto & precibus populi Romani creauit Carolum Imperatorem, ſignificare volens, populum decreuiſſe rogandum eſſe Papam, vt Carolum Imperatorem facere dignaretur. Nec eſſe poteſt vt Carolus iure belli Romanum Imperium acquiſierit, cùm aduerſus Romanos bellum

nun-

Digitized by Google

nunquam geſſerit. Minùs verum eſt ipſum ab Irene & Nicephoro titulum comparaſſe, quæ ſunt Matthiæ Illyrici figmenta abſque vllo fundamento. Nec verum eſt Carolum à populo Romano habuiſſe imperium, nunquam enim Populus Romanus aut Senatus habuit hanc poteſtatem, & omnes antiqui Imperatores, aut ab exercitu aut ab anteceſſore electi fuerunt, ac proinde Maximus & Balbinus, Imperatores à Senatu electi, ſubitò à militibus occiſi fuerunt: dedignabantur enim accipere Imperatorem à Senatu, vt refert Herodianus cap. 8. hiſtoriæ ſuæ. Ideò etiam D. Hieronymus epiſt. 85. ad Euagrium, inquit, Imperatores eligi ab exercitu. Demum non obſtat Papam Leonem non poſſediſſe Imperium quum Carolo Magno illud commiſit: non enim poſſeſſionem, ſed titulum ſolum & ius dedit, quibus fiebat vt legitimus eſſet Princeps earum Prouinciarum, quas Imperatores Occidentales gubernare ſolebant, & dignitates ac prærogatiuas haberet, quas alij Imperatores habuerant. Vt autem hoc fieret, Pontificẽ Imperium poſſidere minimè opus erat, ſed eum eſſe Pontificem ſufficiebat, ac proinde poteſtatem Apoſtolicam habere, quæ, prout orbi Chriſtiano vtile eſt ac neceſſarium, de Chriſtianorum Regnis & Imperiis diſponere poteſt, vt ſummi Pontifices ſæpe factitarunt.

DEFENSIO.

Marſilius.

DIxerat author Pontificem iure Pontificatus tẽporale Dominiũ exercere nõ poſſe, quia Vicarius nõ ſit maior ſuo Principali: & quoniã Chriſti

Domini noſtri actiones, eſſe debent actionum ſui Vicarij regula, ideò valdè ad rem adducit nunc duo aduerſariorum argumenta à facto, ad veram in iure doctrinam impugnandum, alterum Alexandri VI. álterum Leonis III. qui duo Pontifices temporale Dominium exercuiſſe videntur, ille Indias Hiſpaniæ & Portugalliæ Regibus diuidẽdo, hic verò Imperium in Occidentem transferendo, vel potiùs Carolum Magnum Occidentis Imperatorem declarando, quæ duo argumenta, ſola hac ratione ſoluit, quòd nempe id non fecerint iure Pontificatus. Poſteà rationem reddit facti, non ex propria ſententia, ſed iuxta Hiſtoricorum ſententiam: quod an ad rem faciat, nec-ne, prudenti Lectori conſiderandum mitto: & prætereà recentiores omnes Doctores qui de hac materia diſputant, hæc duo proponunt argumenta: ſed tam exigua eſt Illuſtriſſimę ſuę Dominationi, Propoſitionibus contradicendi cum veritate, occaſio, vt non mirum ſit ſi ſępiſſimè quod non eſt, impugnet.

Errat I. quia digreſſionem facit de bello iuſto, ac de modo conuertendi Indos: quam præterire poterat, aut aliam facere de nauigatione, quia dicit Author illam diuiſionem à Pontifice factam fuiſſe, ne alter alterius nauigationem & acquiſitiones impediret. An Reges Hiſpaniæ & Portugalliæ iuſtas fecerint acquiſitiones, nec ne, hic non eſt dicendi locus, maximè cùm de Catholicis illis & Chriſtianiſſimis Principibus cogitari non debeat, eos non niſi magna cum ratione, & religione omnia feciſſe: hìc agitur tantùm de Marium diuiſione ab Alexandro facta. Author deinde præſupponit, tam nauigationem quàm acquiſitiones, legitimas eſſe debuiſſe, id

eſt iure

Digitized by Google

eſt iure belli, vt reuera fuerunt, nec in dubium res certas reuocare opus eſt: quod in Catholici Regis Hiſpaniæ Philippi III. naturalis mei Domini defenſionem dictum ſit, qui dominia illa iuſto titulo poſſidet.

Errat II. quia dicit Alexandrum, eiuſmodi feciſſe diuiſionem, nec dicit an de iure, vel de facto, ſed dicit eam feciſſe vt Chriſtiani orbis caput, & tamen habet omnis Chriſtianus duo capita, vnum in Spiritualibus, Pontificem, alterum in temporalibus, naturalem ſcilicet ac legitimum Principem temporalem huius aut illius ditionis: non fecit eam Alexander vt Princeps temporalis, igitur vt ſpiritualis, ſed vt ſpirituali, iam probatum eſt, de iure non competere eiuſmodi poteſtatem, & quando competeret, non erant illæ Chriſtianorum, ſed infidelium regiones, ergo factum excuſare oportet ſicut Author illud, vnà cum hiſtoricis excuſat, quòd nempe hoc fecerit vt Iudex à partibus electus, & compromiſſarius. Verum quidem eſt, hoc iudicium ipſi potiùs, quàm aliis comittendum fuiſſe, quòd eſſet Chriſti Vicarius, & ſupremum eorum caput in ſpiritualibus, neque hîc Pontifici denegatur illud indirectè, quod ei concedunt multi Theologi, nam illud, indirectè, non denotat authoritatem, vel iuriſdictionem abſolutam in temporalibus, ſed acceſſoriè, caſu, conſulendo, admonendo, arguendo, in omni patientia & doctrina: propterea Nauarrus cap. Nouit. de iudiciis, ſolidíque omnes Doctores, quum de his & ſimilibus Pontificum actis loquuntur, vbi indirectè miſcuerunt ſe negotiis ſecularibus, partium ſimúlque prætendentium conſenſum requirunt, quo primaria nititur autho-

Digitized by Google

ritas exercendi dominium in re quapiam temporali,& non iure Pontificatus.

Errat III. quia dicit Alexandrum id feciſſe, vt Chriſtiani orbis caput, & contra communem opinionem, circa factum illud loquens, non probat quod dicit: prætereà regiones infidelium diuidere, non ſpectat ad caput Chriſtiani orbis, [quid mihi de his qui foris ſunt iudicare?] ait D.Paulus, 1.Corinth.5.c.3. Inſuper Caput erat in ſpiritualibus, non in temporalibus.

Errat IV. quia cùm fideliter author citet quod de Leonis III. facto referunt Hiſtorici, ipſe dicit, illum in hæreſim in hiſtoria incidere, quia refert quod dicit Illyricus. Primò quia hæreſis eſſe nequit in hiſtoria, quæ profana eſt, & non è Sacra Scriptura: ſecundò, quia dictum Illyrici non probat, & vt Catholicus eum non nominat: tertiò, quia author reſponſa illa non adducit ex propria ſententia, ſed tantùm vt oſtendat Leonem quod fecit, non feciſſe iure Pontificatus, ſiquidem Hiſtorici non conueniunt, dum ſcilicet hic ad vnam, ille ad aliam cauſam id refert.

Errat V. quoniã Illuſtriſſima ſua Dominatio præſupponit oſtendiſſe in tractatu ſuo de Tranſlatione imperij, Leonem id feciſſe iure Pontificatus, attamen Hiſtorici quos adducit, Imperatorum & Pontificum dicta, non de iure loquuntur, ſed de facto: præterea plerique illi Hiſtorici, ne dicam omnes, intelligi poſſunt de vnctione, de coronatione, ac de omnibus illis ceremoniis, quas perſonæ ſacræ faciunt in Regum coronationibus, vt

Digitized by Google

bus, vt Rhemorum Archiepiſcopus in Chriſtianiſſimi Coronatione, qui ob id non propriè eum creat, & Regem facit: Patriarcha Conſtantinopolitanus Imperatores Orientis coronabat, nec ideò vllus vnquam dixit, quòd eos faceret Imperatores. Sed eſto vt præter hoc, Leo cum populo concurrerit ad Carolum Imperatorem proclamandum,eíque titulum tribuendum,non propterea cõcluditur,id feciſſe de iure,vel authoritate quam haberet id faciendi. Hac occaſione liceat mihi circa hoc factum ſententiam meam cum omni ſynceritate aperire. Certum eſt Pontificem,cùm Imperatorem Conſtantinopolitanum titulo Imperatoris Occidentis ſpoliare vellet,in maius orbis Chriſtiani bonũ, vt id feciſſe dicit Dom.Cardinalis, primò illum canonicè monere, ac modo ſolito citare debuiſſe, quod non legitur vnquam feciſſe Leonem. Secundò, titulum illum poſſediſſe,cúmque cui vellet dare potuiſſe quod certum eſt in ipſo non fuiſſe, nam vt Papa, iure Pontificatus, non eſt dominus ſimilium titulorum, nec vllus ex anteceſſoribus res ciuiles fecerat.Tertiò fuiſſe ſimpliciter neceſſarium ad Chriſtiani orbis conſeruationem, Carolo dare hũc titulum, debile eſt & mancum:ſufficiebat enim vt Carolus eſſet Rex Occidentis, & Catholicus, ad bonum adminiſtrationem,præter hoc quod titulus non facit vt quiſpiam ſuos populos regat,vt par eſt, ſed Potentia,Prudentia,& Religio. Quartò, illum potuiſſe titulum Imperatori,cuius erat,tollere, neque hoc dici debet,nã[nõ eripit mortalia,qui regna dat cœleſtia.] Supereſt igitur,vt ipſe Leo vidẽs Carolum Occidentis eſſe dominum iure belli, quia

omnes ei obediebant, licèt bellum cum omnibus non geſſiſſet, cùm ſpeciatim deſignatus eſſet ſcito populi Romani, eum coronarit, & vnxerit Romanorum Imperatorem, precibus eorum motus: ad hoc faciendum inductus fuit, vt ait Platina cum aliis, ſcito populi Romani, & precibus: quod licèt ab ipſo factum fuerit iuxta omnes haſce conſiderationes, non ideò tamen exiſtimo, Carolum apud ſe planè certum fuiſſe ſe titulum illum de iure poſſidere, donec annis 12. ab hoc facto, fuerit à Michaele Imperatore Conſtantinopolitano vocatus Imperator Occidentis: qui hac ratione ceſſit iuri ſuo, & ſuas omnes prætenſiones in Carolum tranſtulit, cùm anteceſſores eius ad illud vſque tempus, alium Carolo quàm Regis titulum non dediſſent. Igitur ſi Chriſtianè, iuſtè, legitimè, hanc de tranſlatione Imperij cauſam adferre poſſimus, cur ad emendicatas doctrinas confugiemus? Nec mirum eſt, quòd in huius tranſlationis principio non ea ſit iuſtitia, quæ requireretur, nam omnia Imperiorũ titulorúmque temporalium principia quum transferuntur inuitis Dominis, hoc defectu laborant, cui poſtea remedium adfertur, vel pacifica poſſeſſione, vel partium conſenſu. An verò illa Michaelis ceſſio innueret Papam in poſterum aut populum Romanum, alióſve poteſtatem habituros creandi Imperatorem Occidentis, hic non eſt de eo diſputandi locus.

Errat VI. quia dicit authorem Pontificum & Concilij dictis aduerſari, cùm tamen non ita ſit: Author enim ſolùm dicit, id non feciſſe Leonem iure Pontificatus: illi autem Pontifices & Concilium de facto loquuntur, & forſan de alio iure humano, de quo non agit author.

Errat

Errat VII. quia cũ ſuperius Illuſtriſſima ſua Dominatio in ſua ad Primam propoſitionem reſponſione dixerit, authoritatẽ eligendi Principem, vrgente neceſſitate eſſe penes ſubditos & populum, iam negat populum Romanum, Carolum Imperatorem eligere potuiſſe.

Errat VIII. quia Imperatoris electionem ab exercitu factam probat, cùm tamen eſſet violenta electio. Auguſtus qui tribunitiam poteſtatem habuit poſt Cæſarem, legitimum Romanorum Principem, ab exercitu electus non fuit, ſed à populo, à quo etiam Conſularem dignitatem accepit: electio verò faciebat exercitus, violenta erat, cui tamen populus Romanus, cùm aliter non poſſet, conſentiebat. Diuus Hieronymus autem de facto loquitur, ſed non dicit hunc, & non alium fuiſſe modum legitimum Imperatores eligendi: Veſpaſianum à Populo eligi voluiſſe cum eadem Auguſti poteſtate, certum eſt, vt in celebri illo Capitolij marmore legitur, titulo legis Regiæ &c.

Errat IX. quia factum militum eorum probat qui Maximum & Balbinum interfecerunt, hæc tamen fuit actio violenta, & quia Senatus eos elegerat, ſpectante ad Populum electione, cùm Romanorum ſtatus eſſet Democratia.

Errat X. quia cùm Platina & alii dicant Pontificem magna voce Carolum Magnum Imperatorem declaraſſe, eúmque coronaſſe ſcito & precibus populi Romani, ipſe decretum illud interpretatur, non quòd populus decreuiſſet vt Pontifex eum proclamaret & coronaret Imperatorem, ſed quòd eum rogaſſet, vt ipſe propria authoritate id faceret: qui

hanc verborum detorſionem non videt, dicere poteſt Romanum populum, cùm neceſſitatis caſu iure ad ſe poteſtatem eiuſmodi perueniſſe exiſtimaret., decretum illud feciſſe. Ipſe verò præter rationem, & verborum ſenſum, vult rem Pontifici tribuere, quam iure Pontificatus facere non potuit: atque interim rationes ordinarias, probandi factum Pontificis, deſerit, ad extraordinarias & imperceptibiles confugiens.

Errat XI. quia per illud quod eſt in quæſtione, probationem inſtituit: ait enim ſufficere ad Imperia transferenda, eſſe Pontificem, & hoc probat, quòd pauci quidam Pontifices tale quid facere auſi ſint, quorum plerique tentarunt quidem, ſed eis non benè ceſſit: & licèt paucis quibuſdam, & rarò benè ceſſerit, hoc non probat Pontificem id facere, aut facere poſſe, quia ſit Pontifex: argumentum enim à facto ad ius non valet, maximè quum ius facto repugnat, enimuerò cùm Pontificatus quà Pontificatus, neque Chriſti Domini noſtri, neque omnium Pontificum exemplo, per multa ſecula, neque ex vllo Scripturæ loco, adnexum habeat iſtius Dominij exercitium, quando Pontifices id exercuerunt, vt reddatur huius ratio, non ad Pontificatum, ſed ad humanum aliud præſcriptum, aut violentiam, aut titulum, confugere oportet.

Errat vltimò, quia dicit Authoris doctrinam, quòd ſcilicet Pontificatui iure diuino, nullum temporalis Dominij exercitium adnexum ſit, in Theologia errorem & in hiſtoria hæreſim eſſe: ego verò dico errorem eſſe in hiſtoria, & veræ Theolo-

ræ Theologiæ parùm conſonum, contrarium aſſerere, vt ſuperiùs probatum eſt.

Defenſio quartæ Propoſitionis.

CAP. VI.

Quarta Authoris Propoſitio.

AVthoritas à Chriſto Saluatore noſtro, promiſſa Diuo Petro ſub clauium metaphora, eſt merè ſpiritualis: Tibi dabo claues regni cœlorum, non dicit regni terrarum. Et ratio id dictat, quod in hymno Eccleſiæ legitur: Non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia. Nam quo pacto regnum temporale & Monarchia gubernanda ſint, iam ab initio Mundi, authoritate Magni illius Monarchæ totius vniuerſi, nempe Dei, conſtitutum erat, itaque Chriſtus Saluator noſter monarchiam temporalem non fundauit, ſupereſt igitur vt fundarit ſpiritualem, quod apertè videre eſt in Diuo Iohanne capit. 20. vbi cùm dixiſſet, Datâ eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, omnino eandem Apoſtolis vnà cum Diuo Petro limitatam concedit: Inſufflauit in eos, & dixit, accipite Spiritū S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo in loco ex ipſa actione quam Chriſtus exercet, & ex verbis quæ profert, colligitur ſummi Pontificis authoritatē ſpiritualē eſſe, & de peccato, & in animas tantùm, iuxta orationis Eccleſię verba ad D. Petrum, Qui beato Petro poteſtatem animas ligandi atque ſoluendi tradidiſti: quæ limitata eſt, vt dixi. Quinimò authoritas excommunicandi data D. Petro, eſt con-

ditionalis,Matth.18. Si peccauerit in te frater tuus, & Eccleſiam non audierit,ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, Quo loco Saluator excommunicandi authoritatem concedit , verùm peccato , & in eo pertinaciâ præſuppoſitis.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

ADeò in minuenda Pontificis dignitate hic author pergit, vt in ſuſpicionem veniat credendi Pontificem eſſe tantùm ſimplicem aliquem Sacerdotem & Parochum,aut nullam iuriſdictionem habere, nihilque aliud poſſe, quàm ad legis diuinæ obſeruationem hortari, quod Concionatoris officium eſt, baptizare , confeſſiones excipere, quod Parochorum eſt: qua in re videtur renouare velle hæreſim Valdenſium , Marſilij Patauini , & Iohannis Hus , quam hac ætate recentiores omnes hæretici amplectuntur : Sed accedamus ad eius verba. Primò ait poteſtatem Pontificiam merè ſpiritualem eſſe. Ad quid illud merè ? non-ne melius erat dicere , principaliter ſpiritualem eſſe.Nauarrus quem tanti facis, & legi vis,in capit.Nouit. de iudiciis ,& ſolidiſſimum Doctorem appellas, dicit quidem Pontificis poteſtatem non merè eſſe temporalem, ſed non dicit merè ſpiritualem eſſe , ac ſi nullo modo rerum temporalium diſpoſitionem attingere poſſit. Quinimò dicit poteſtatem eſſe eminentiſſimam,quæ cùm in ſe ſpiritualis ſit , ac proinde temporali ſuperior , poſſit ac debeat dirigere temporalem, quum aberrat , vt ſuperiùs dictum

Digitized by Google

ctum eſt. Nec obſtat Chriſtum dixiſſe, Tibi dabo claues regni cœlorum, non verò, Tibi dabo claues regni terrarum, neque dictum Eccleſiæ, Non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia, fuiſſéque Monarchiam temporalem iam fundatam. Per hæc enim ſignificatur Chriſti regnum, cuius claues Petrus habuit, non eſſe regnum temporale, quod acquiri non poſſit, quin alius illud amittat: ſed eiuſmodi regnum eſſe quod omnia Regna gubernat, ita vt iis dominium non tollat qui iure ipſum poſſident: aliàs enim dicere etiam poſſes, nec Deum habere poteſtatem in res temporales, quia non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia. Dicit ſecundò, Chriſtum Apoſtolis ac Diuo Petro dediſſe poteſtatem limitatam, ſupra peccatum ſcilicet, Iohan. enim 20. Inſufflauit, & dixit: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hæc planè eſt eorum hæreſis, qui omnem Pontifici & Eccleſiæ iuriſdictionē tollunt: quæ hæreſis verbis ipſius Chriſti eodem loco, paulò antè citata verba, damnatur: nam priuſquàm diceret, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, dixit, ſicut miſit me pater, & ego mitto vos. Quibus verbis abſolutam poteſtatem & illimitatam dedit, loco ſui Eccleſiam gubernandi, atque ideò aiunt Theologi, eum his verbis poteſtatem iuriſdictionis, aliis verò verbis poteſtatem ordinis dediſſe, & quando poſtmodum capite ſequenti Diuo Petro dixit: Paſce oues meas, certum eſt non reſtrinxiſſe poteſtatem ad abſolutionem peccatorum, ſed poteſtatem ampliſſimam dediſſe gubernandi regendique totam Eccleſiam: hoc enim verbum, Paſce,

Digitized by Google

idem eſt quod in Græca lingua in qua ſcripſit Iohannes, cum eo quod eſt Apocalypſ.19. Et ipſe reget vos in virga ferrea:& illo Micheæ 2. iuxta tranſlationem ſeptuaginta Interpretum:ex te exibit mihi Dux,qui regat populũ meum Iſrael: adeò vt iuxta modum loquendi Scripturæ, D. Petrum paſtorem creaſſe, idem fuerit ac eũ totius Eccleſiæ rectorem, gubernatorem ac Principem conſtituiſſe. Quum verò dixit ei Matth.16. Quodcunque ſolueris, & quodcunque ligaueris, non reſtrinxit ad peccata poteſtatem, nec etiam ad perſonas, quia non dixit, quemcumque ſolueris aut ligaueris, ſed quodcumque: volens ſcilicet exprimere poteſtatem quandam vniuerſalem ligandi & ſoluendi, id eſt, imperandi, condendi leges, atque etiam liberandi & ſoluendi, prout opus fuerit, ad ducendum & introducendum fideles in regnum cœlorum, cùm habeat pleniſſimam authoritatem præſcribendi omnibus ea quæ credenda & facienda ſunt, remouendi etiam obſtacula omnia, quæ in via ſalutis occurrere, nóſque morari poſſunt, vt fuſiùs libr. 1. de Pontifice oſtendimus. Dicit tertiò Pontificem habere tantùm poteſtatem in animas, & hoc colligit ex oratione illa: Deus qui beato Petro animas ligandi atque ſoluendi poteſtatem tradidiſti. Si valet hæc ratio, Principes etiam ſeculares non niſi in animas poteſtatem habebunt, quia D. Paulus dicit, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Vnde hic author aut nimium rudis eſt, non attendens, in Scriptura animam accipi pro toto homine, aut ſimplices, verbis Eccleſiæ malè intellectis decipere voluit. Ac fortaſſe diuina prouidentia ad tollen-

tollendam viam eiuſmodi deceptionibus, Breuiarij reformatoribus inſpirauit, vt ex illa oratione vocem hanc, animas, auferrent, vt neque antiquitus in ea fuit, nec eſſe debet, cùm oratio ex verbis Euangelij deducta ſit: Quodcunque ligaueris, & quodcunque ſolueris. Addit demum, excommunicandi poteſtatem conditionalem eſſe vt quæ peccatum & in eo pertinaciã præſupponat. Quæ doctrina noua eſt & falſa, nec author vllus adduci poterit qui tale quid dicat. Verum eſt præſupponi peccatũ, & in eo pertinaciã: cùm enim excõmunicatio pœna ſit grauiſſima, ſine culpa eáque grauiſſima, qualis eſt peccatum mortale, infligi nequit. Verum etiam eſt præſupponi inobedientiam, aut potiùs contumaciam, nec ſufficere quodcunque peccatum ad excommunicandum, niſi adiungatur pertinacia, dixit enim Dominus, & ſi Eccleſiam non audierit. Vnde excommunicari aliquis non poteſt, quia fur ſit vel adulter, niſi priùs admonitus obedire recuſet. Sed multùm inter ſe differunt, fieri enim poteſt vt aliquis in peccato quopiam ſit pertinax, de quo ab Eccleſia non ſit admonitus, & eiuſmodi, licèt pertinax, excommunicari non poteſt: & è contrario fieri poteſt vt aliquis ſit inobediens, & excommunicari poſſit, etiamſi in inobedientia poſtmodum pertinax non ſit, & verba Domini, ſi Eccleſiam non audierit, ſignificant inobedientiam, non pertinaciam, propriè loquendo. Nec opus eſt vt in probatione huius multùm laborem, ſunt enim hiſce authores pleni: aduerſarius autem aſſertionem ſuam non niſi vnica authoritate malè intellecta probauit.

Digitized by Google

DEFENSIO.

Marſilius.

Eſt adeò perſpicua hæc propoſitio, vt maximè mirer Dom. Cardinalem inueniſſe quod ei opponeret, tamen vt ſolidè reſpondeatur, eam priùs explicare neceſſum eſt. Nō loquitur Author de omnibus Poteſtatibus quas à Chriſto Domino noſtro Diuus Petrus eius Vicarius accepit, duæ namque fuerunt, altera ordinis, & altera Iuriſdictionis: hoc loco eius quæ eſt ordinis non meminit author, Iuriſdictionis modò poteſtatem definiens, quam dicit eſſe merè ſpiritualem. Primò quia Chriſtus Dominus noſter nullam Iuriſdictionem temporalem exercuit, hæc Iuriſdictio quam Chriſtus D. Petro dedit, pars eſt illius quam Chriſtus ipſe exercuit, ergo nullo modo eſt temporalis, ſed merè ſpiritualis. Maior ſyllogiſmi ſuperiùs fuſè eſt probata, minor ex verbis quæ habet Ioh. 20. clara eſt: [ſicut miſit me pater, & ego mitto vos.] Certa igitur eſt conſequentia, quòd nempe hæc Iuriſdictio nullo modo ſit temporalis. Ergo eſt merè ſpiritualis. Secundò, hæc Iuriſdictio vel Poteſtas, non eſt omnis ea quam habuit Chriſtus, vt Eccleſiæ caput, Apoſtolis enim Excellentiæ Poteſtatem non communicauit, iuxta omnes Doctores, nec eam quoque Regni ſui ſpiritualis, quæ à Dom. Cardinali æterna dicitur, ſed omnino habuit initium, quamuis in æternum ſit duratura, hac ſuam Eccleſiam occulto quodam modo gubernat: eam enim ſolus in cœlo exercet: ergo Ramus eſt eius Poteſtatis, de qua Saluator dicit, Iohan. 20. [Data eſt mihi omnis poteſtas.] Chriſti ſiue vt ſummi Sacerdotis, ſiue vt Regis

Digitized by Google

Regis, poteſtas eſt merè ſpiritualis, vt Diui Auguſtini, bonorúmque omnium Theologorum authoritate probatum eſt: ergo ramus eius, nimirùm poteſtas Petro data, eſt merè ſpiritualis. Tertiò, Poteſtas data Diuo Petro, eſt ſoluendi, & ligandi poteſtas, id eſt, remittendi & non remittendi peccata: Poteſtas remittendi peccata, eſt merè ſpiritualis: Ergo Poteſtas data Diuo Petro, ſoluendi & ligandi, eſt merè ſpiritualis. Quartò qui definit habitum ex fine, eum optimè definit: Sic Ariſtoteles virtutem definit, [eſt quæ bonum facit habentem,] finis Poteſtatis Pontificis, ſecundum omnes, eſt vita æterna: qui merè eſt ſpiritualis: ergo qui dicit Poteſtatem eius eſſe merè ſpiritualem, rectè dicit, quia definit eam ex fine ſuo. Vltimò, ſi Poteſtas Iuriſdictionis à Chriſto data Diuo Petro, non eſſet merè ſpiritualis, ſed temporalis, tunc materiales claues ſumpſiſſe, eique & aliis Apoſtolis dixiſſet, Accipite claues, quorum remiſeritis &c. ſed cùm ſpiritualem illam fecerit actionem, inſufflauit, dicens accipite Spiritum Sanctum; dubio procul oſtendit Poteſtatem non eſſe temporalem, ſed merè ſpiritualem, & hoc ipſum dicit author, ex actione ſcilicet Saluatoris, & ex verbis quæ protulit, colligi eſſe merè ſpiritualem. Iam ad errores accedamus.

Errat I. quia argumentatur à genere ad ſpeciem, ſic dicens, Poteſtas Pontificis iuxta authorem, eſt merè ſpiritualis, Ergo vix credit Pontificem eſſe ſimplicem Sacerdotem, aut Parochum. Hoc planè eſt illius argumentum qui diceret: Dicis Leonem eſſe animal, ergo dicis Leonem eſſe formicam: & huius, Dicis poteſtatem

Digitized by Google

Regis Chriſtianiſſimi eſſe temporalem, ergo dicis Regem Chriſtianiſſimum eſſe patremfamilias: qui dicit Poteſtatem Pontificis eſſe merè ſpiritualem, non dicit eam ad vnam familiam contrahi, vel ſine iuriſdictione eſſe, vt eſt ea Parochi, ſed concedit eam eſſe in omnes animas ipſi ſubditas.

Errat II. quia dicit hæreſin eſſe ſi quis dicat Pontificis Poteſtatem eſſe merè ſpiritualem, at ego dico huius contrarium, non eſſe admodum Sacræ ſcripturæ conſentaneum: non enim conuenit cum loco D. Iohannis, cap. 20. [Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.] Poteſtas quam Saluator exercuit à Patre miſſus, fuit merè ſpiritualis, vt probatum eſt, ergo cùm ſit Pontificis poteſtas, ramus poteſtatis quam Chriſtus exercuit, eſt merè ſpiritualis. Verum quidem eſt eam in omnes proprios ſubditos extendi de iure diuino, quod quia authores nominati à Dom. Cardinali negarũt, condemnati fuerunt, non verò quòd dixerint eſſe merè ſpiritualem, aliud enim eſt dicere Pontificem non habere iuriſdictionem, & aliud iuriſdictionem eius merè ſpiritualem eſſe.

Errat III. quia dicit Nauarrum ſcripſiſſe Pontificis poteſtatem non eſſe merè temporalem, quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Pontificis poteſtatem eſſe temporalem, ſed acceſſoriè ſpiritualem: hoc denotant illa verba, non eſt merè temporalis: at Nauarrus errorem adeò grauem nunquam ſcripſit: planè oppoſitum dicit. Verba Nauarri hæc ſunt numero 41. [Credimus autem id quod Notabile hoc noſtrum tertium habet, ſcilicet Romanum Pontificẽ, quatenus ſolùm eſt Romanus Pontifex, & Vicarius

Chriſti

Google

Chriſti ſummus,nudus ab omnibus priuilegiis, & donariis humanis, nullam habere poteſtatem laicam,neque ſummam,neque mediam, neque infimam,neque actu,neque habitu: habere verò id quod noſtra concluſio affixa valuis habuit, ſcilicet Poteſtatem Eccleſiaſticam nouè à Chriſto Seruatore N.inſtitutam,qualis nunquam ante illius inſtitutionem in orbe fuit, quæque eſt ſpecies poteſtatis diſtincta à Laica,& longè nobilior ea, vt aurum eſt ſpecies metalli diſtincta à ſpecie plumbi, & nobilior ea,quæque directè ſolùm amplectitur ſupernaturalia,indirectè verò eatenus naturalia, quatenus ſunt neceſſaria ad conſecutionem finis ſupernaturalis,ob quem ſunt inſtituta. In quibus verbis plura deprehendo.Primum ne ſuſpicionem quidem eſſe eius quod Dom.Cardinalis aſcribit Nauarro, Pontificis nimirum poteſtatem merè temporalem non eſſe,imò planè contrarium dicere. Secundum, poteſtatem omnem laicam quam habet, eam priuilegiis ac donariis humanis habere,non vt Chriſti Vicarium. Tertium,ipſum, vt eſt Chriſti Vicarius, nullam poteſtatem laicam habere, nec ſupremam, nec mediam,nec infimam. Quartum,non habere eiuſmodi poteſtatis actum, neque habitum, id eſt facultatem exercendi eam,licèt non exerceat, & vt nonnulli dicunt,gladium in vagina. Quintum,poteſtatem eius eſſe Eccleſiaſticam,eam ſcilicet quam Chriſtus inſtituit,quæq; nunquam in Mundo fuit, prius quàm Chriſtus eam inſtitueret, Sextum, nihil eam commune habere cum laica poteſtate, imò penitus ab ea diſtinctam eſſe, ſicut aurum à plumbo planè differt: & quemadmodum aurum non eſt plumbum, neque plumbum eſt au-

Digitized by Google

rum,ita Pontificis poteſtas nullo modo eſt temporalis,& Poteſtas laica nullo modo eſt Pontificia. Septimum, directè illam amplecti ſupernaturalia, id eſt gratiam, quam dat per Sacramenta, quæ ſupernaturalis eſt. Octauum, indirectè illam vti rebus naturalibus à Chriſto, in finem ſupernaturalem inſtitutis, nempe aqua ad baptizandum, oleo ad extremam vnctionem, pecuniis ad eleemoſynam, præcipiendo vt (1. Corinth.cap.9.) qui ſeruit altari, viuat de altari, & non alligetur os boui trituranti, prout Chriſtus inſtituit, ad finem ſupernaturalē aſſequendum. Hæc eſt poteſtas quam dicit Dominus Cardinalis Nauarrum vocare non merè temporalem, an loquitur vſpiam de poteſtate temporali? imò nec de ea loqui ſomniauit, & quamuis ſpiritualem poteſtatem dicat vti rebus naturalibus, eas tamen ſeculares, temporales, aut ciuiles non vocat, ſed naturales, quas etiam reſtringit ad eas quæ ſunt in finem ſupernaturalem inſtitutæ, & non quatenus naturalia ſunt, ſed quatenus ſpiritualia, id eſt bonitate finis amicta, qui ſupernaturalis eſt, iuxta Chriſti inſtitutionem.

Quomodo igitur verum eſt, quod Dominus Cardinalis dicit, Nauarrum Pontificis poteſtatem, laicam & temporalem appellare, quamuis non ſit merè laica & temporalis, ipſúmque ſe ingerere poſſe, quatenus Pontifex eſt, ad exercendum dominium & iuriſdictionem temporalem? ſed illuſtriſſimæ ſuæ Dominationi non eſt inſolens, vt ſæpiùs vidimus, Authores pro quadam opinione citare, qui planè contrarium dicant.

Errat I. quia dicit Regnum Papæ, omnia alia Regna gubernare, neſcio an etiam Regnum magni

Turcæ

Turcæ, vel Tartari, aut Chinæ Regis gubernet: Pontifex Regna non gubernat, Paſtor eſt Chriſtianorum, tempus demum eſt auellendi ex animo Catholico fixam hanc regnandi cogitationem, non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, neque ſeruus ſuper dominum ſuum.

Errat V. quia Pontificem Deum fingit, qualem Philoſophi agnouerunt, nempe Cauſam primam, dicit enim, ſicut Deus omnia Regna gubernat, nec Regibus ea tollit, ita Pontificem omnia Regna gubernare, ea propriis Dominis non auferendo. Eſt adeò enorme hoc dictum, tam amplum Idololatriæ aditum præbet, vt ita leuiter illud præterire nequeam. Igitur Pontifex eſt omnipotens, omniſcius, eſt vbique per præſentiam, eſſentiam, & potentiam: gubernat enim immediatè omnia Regna, vt ea Deus gubernat. Neſcio quî fieri poſſit, vt in humana & Chriſtiana mente radices egerit eiuſmodi cogitatio.

Errat VI. quia dato, non conceſſo, Pontificem regna gubernare, vt ea Deus gubernat: cauſas ſecundas ſinit Deus operari, concurrit modò cum eorum operationibus, cum bonis poſitiuè, cum malis permiſſiuè: cùm igitur ſint bonæ Dominorum Venetorum operationes, cur eos Pontifex operari non ſinit? ne mihi dicat malas ſibi videri, velléque ob id remedium adhibere, nam ſi malis omnibus mederi aggrederetur, primò Deum nòn imitaretur, qui diſſimulat, eáque permittit: ſecundò oporteret vt alia cœpta maiora ſibi proponeret, quàm hæc ſint velle duos captiuos, nimirùm vt Summo Turcæ Regnum auferret, Indias omnes conuerteret, omnes ad vnitatem Eccle-

ſiæ reduceret,& ſimilia, quæ dum nequit Pontifex peragere,facilè conſtat non ita ſe habere quod Dominus Cardinalis dicit ipſum omnia Regna gubernare,vt ea Deus gubernat.

Errat VII. quia dicit quòd ſicut Deus omnia Regna gubernat, nec tamen vlli Regnum aut Poteſtatem aufert,ita ſummus Pontifex omnia regna gubernat,Regibus poteſtatem non auferens. Primò quoniã verba illa dicit Eccleſia de Chriſto homine & non de Deo,vt ait Dominus Cardinalis, à quo ſibi Herodes metuebat, ne Regnum ſibi auferret: [Hoſtis Herodes impie, Chriſtum venire quid times?Non eripit mortalia,Qui regna dat cœleſtia.] Deinde quia nemo temporalem poteſtatem in alterius regno poteſt exercere, vt Princeps independens, quin eam eius Regni Principi tollat: nemo,niſi alterius paupertate,diues euadit.

Errat VIII.quia dicit hæreſim eſſe,ſi quis dicat iuriſdictionis poteſtatem Apoſtolis datam, eam eſſe quam Chriſtus ipſis dedit,Ioh.20. Neſcio quo alio loco Chriſtus Apoſtolis Iuriſdictionis poteſtatem dederit,ſiquidem omnes Doctores aiunt, imò & ipſemet dicit,Chriſtum eo loco hanc eis dediſſe,vbi Saluator tria dicit, primum eſt,Ioh.cap.20.[Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra:]quod affert,vt oſtendat ſe poteſtatis ſuæ partem, ipſis communicare voluiſſe. Secundum, [ſicut miſit me Pater,& ego mitto vos,]id eſt, à Patre miſſus ſum ad tollendum delendúmque peccata, & omne illud faciendum (quod Dominus Cardinalis dicit, contra ſecundam Propoſitionem ſcribens) atque ita mitto vos, ô Apoſtoli,ad idem faciendum:quibus verbis omnem ſuam ſpiritualem poteſtatem

eis

eis non communicauit,non enim dedit eis poteſtatem abſoluendi ſine Sacramentis, nec inſtituendi Sacramenta &c. neque Regnum ſuum Spirituale & cœleſte: ergo intelligitur hoc, *ſicut*, limitatè, & non illimitatè, vt dicit Dominus Cardinalis. Tertium, [Inſufflauit in eos, & dixit,accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis,retenta ſunt:]vbi limitat vocem(*ſicut*) nempe Do vobis iuriſdictionem Spirituale in animas & peccata: &hoc ita eſſe, dubium non eſt, quia promiſſionis eſt adimpletio: promiſſio facta fuit D.Petro,& Apoſtolis, ſub metaphora ligandi & ſoluendi, cum clauibus in carcere claudendi, & cum eiſdem liberandi: certum eſt peccati ſeruitutem, eam eſſe à qua nos Chriſtus liberauit: vt in prima Propoſitione eſt probatum, igitur libertas eſt gratiæ. Propterea Saluator, quod ſub metaphora promiſerat, Matth.18. verbis propriis Iohan.20. explicat, dicens, [quorum remiſeritis peccata, remittuntur, quorum retinueritis,retenta ſunt,]nam liberare cum clauibus,& claudere, ligare,& ſoluere,remittere,& retinere peccata, verba ſunt idem ſignificantia, quædam propriè, quædam metaphoricè.

Errat IX. quia dicit Pontificis poteſtatem eſſe illimitatam, nec vllam rationem vel authoritatem adfert, interim tamen neſcio vt ſtet hæc Propoſitio: ſolus enim Deus poteſtatem habet illimitatam. Principalis poteſtatem habet illimitatam, non autem Vicarius: præterea credo eſſe contra fidem, dicere omnem poteſtatem quam Chriſtus habuit, vt Eccleſiæ, caput, quámque

nunc in cœlo retinet, Pontifici cõmunicaſſe, quod proculdubio aſſeritur, dum dicitur Pontificis Poteſtatem eſſe illimitatam.

Errat X. quia cùm de ſola Iuriſdictionis poteſtate loquatur author, quam Saluator dedit Ioh. 20. cum illis verbis, [accipite ſpiritum ſanctum &c.] ipſe tranſit ad vocem illam, *Paſce*, quæ ambarum poteſtatum, ordinis nempe & Iuriſdictionis, exercitium complectitur.

Errat XI. quia cùm Author Pontificis poteſtatem, ad hos vel illos ſubditos non reſtrinxerit, ſed in genere loquutus ſit, omnem eam Iuriſdictionẽ ſpiritualem ipſi concedens, quam ei Chriſtus reliquit: dicit eum Pontifici denegare Iuriſdictionem. Exiſtimo Dominum Cardinalem putare ſe cum ſtipitibus loqui, qui vel minimam ratiocinationis ſcintillam, aut ſuper eo quod dicitur conſiderationem non habeant, ſed fallitur.

Errat XII. quia citra vllam occaſionem tranſit ad explicationem illius, *Paſce*, dicens Græcè ſignificare, Rege: non nego Chriſtum ſpiritualem eſſe Regem & Paſtorem Eccleſiæ, & quemadmodum Reges temporales in Scriptura vocantur Paſtores in temporalibus: ita Chriſtum Paſtorem, eſſe quoque Regem in ſpiritualibus: ac Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, Paſtorem, & Proregem, cum Poteſtate limitata in ſpiritualibus, quæ omnino eſt eminentiſſima, cùm ſit in animas & Chriſtianos: ſed hinc non naſcitur Pontificem eſſe Regem temporalem, aut ſpiritualem, vt eſt Chriſtus, vel habere ipſum poteſtatem vllam temporalem iure Pontificatus. Quinimò D. Iohannes bis vtitur ea voce Græca βόσκε, & ſemel hac ποίμαινε, quam per illas

duas

duas explicat, quę, ſine controuerſia, ſignificant *paſce*, imò ποίμαινε propriè ſignificat, *paſce*, vt hoc loco, & per metaphoram Rege, vt in Apocalypſi, quod contra ipſum facit: ſed explicemus vocem *Paſce*, cum SS. Patribus: [Ter dictum eſt Paſce, ad ſignificandum, quod habentes curam animarum debent ſubditos paſcere paſtu verbi Dei, & boni exempli, & prout poteſt etiam ſubſidio temporali: ſed illud quod hîc dicitur paſce, aliqui mali mutant in tonde, quia multùm ſtudent circa ſubditos exactionem temporalium exercere, & de paſtu dicto triplici non curare.] D. Iohan. Chryſoſtom. Homil. 87. [Perpende verba, paſce agnos meos, id eſt fideles meos non tuos, non vt rem tuam, ſed vt meam tracta, propterea petiui an mę amares, quia rem meam tibi commendare volui, & à te tanquam meam tractari, quem amorem erga me profiteris, erga illos exerce, ipſisq; exhibe, paſce autem non te, ſicut illi faciebant paſtores, de quibus dicitur Ezech. 34. Væh paſtoribus Iſrael qui ſeipſos paſcebant, ille ſe ipſum paſcere dicitur, qui propriam vtilitatem, gloriam, & commodum, non ipſorum fidelium quos gubernat, non Dei gloriam ex regimine quærit.] D. Auguſt. in tract. 132. in Iohan. [Qui hoc animo paſcunt oues vt ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe conuincuntur amare, non Chriſtum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non ſubueniendi, non Deo placendi charitate: contra hos igitur vigilat toties inculcata vox Chriſti, quos Apoſtolus gemit, ſua quærere, non quæ Ieſu Chriſti:] & in eodem loco: Sicut oues meas paſce, non ſicut tuas, gloriam meam in eis quære non tuam, lucra mea,

non tua, hoc idem docuit ipſemet Petrus, 1. epiſt. cap.5. Paſcite, inquit, qui in vobis eſt gregem, prouidentes, non coactè, ſed ſpontaneè, non turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.] Hæc ſunt veri Paſtoris exercitia, ſic intelliguntur voces, *Paſce*, &c. non verò quòd paſcere ſit Pontifici regnare temporaliter, & in Reges omnes temporales: imò Sancti planè contrarium dicunt, illum nempe vitare debere lucra, acquiſitiones, gloriam, dominium. &c.

Errat XIII. quia hoc, [quodcumque ſolueris,] de re omni intelligit: hoc modo Pontifex omnem modum poſſet ſoluere, omnes carceres aperire, omnia Regna transferre, mancipia quæcunque ſunt in Turcico dominio liberare, pro ſuo arbitrio, imò difficultates omnes in qualibet materia ſoluere, quis doctrinæ huius falſitatem non deprehendit? Chriſtus venit ad animas liberandas à ſeruitute peccati, & vt Redemptor, vt omnes Theologi dicunt: hoc Pontifici incumbit, cooperari, in hac redemptione, ſoluere, & ligare peccata: non opus eſt falſis iſtis opinionibus colorem inducere, vt inde concludatur, Pontificem eſſe rerum omnium dominum, nec enim ita res ſe habet.

Errat XIV. quia cùm vox, *anima*, modò pro toto homine, modò pro anima ſumatur, ſecundum materiam qua de agitur, ipſe ab vno loco ad alium argumentatur, ſine vlla ſimilitudine: quia D. Paulus de temporali Dominio loquitur, vox, [Omnis anima,] intelligitur de poteſtate in hominum corpora, & in temporalibus: quia verò Chriſtus ſpiritualem poteſtatem dedit D. Petro, vox, animas, in oratione Eccleſiæ, animam ſignificat, non verò cor-

pus in

pus in ſpiritualibus, & non in temporalibus.

Errat XV. quia dicit eos qui ex Breuiario vocem, *animas*, abſtulerunt, à Spiritu S. inſpiratos fuiſſe: neſcio an Spiritus S. diſſidiorum ſit author, hoc ſcio, vnum è donis & fructibus ipſius, eſſe pacem. Orationis illius authores ſibi propoſuerunt explicanda verba hæc, [quodcunque ligaueris,] per vocem, *animas*, ex illo loco [quorum remiſeritis peccata,] ſiquidem peccata ſunt in anima, non in corpore, ne ſcilicet vllus crederet, Pontificem eſſe Dominum in temporalibus & ſpiritualibus, bonorum ſcilicet corporum, & animarum, omniáque ſoluere & ligare poſſe, vt videtur credere Dominus Cardinalis, ídque explicarunt per vocem, *animas*, ex qua explicatione, ad omnia diſſidia quæ inter Papam & Principes, de meo & tuo, oriri poſſunt, remedium deſumitur: t v contrà, qui vocem illam è Breuiario nuper abſtulerunt, denuò diſſidiis ac litibus fomentum pararunt: inſuper notum eſt omnibus, è Conciliorum, Canonum, aliorúmque Doctorum libris, ex ipſis etiam Breuiariis & Miſſalibus ablata eſſe, & adhuc auferri ea quæ Principibus Laicis fauent, vt periculum fiat num ſenſim, & progreſſu temporis ſtabiliri poſſit opinio de illimitata Poteſtate Pontificis in temporalibus: adeò vt qui libros anno 1530. vel 1550. editos, cum hodiernis confert, ſiue Concilia, ſiue alia deſcribant, vindemiã manifeſtò deprehẽdat, vnde mirũ eſt nos poſt vindemiam paucos aliquot racemos in Sereniſſimi Principis noſtri defenſionẽ inueniſſe. Hæc eſt ratio, qua ſucceſſu temporis, fides ſcripturis omnibus abrogabitur, & Eccleſia Dei euertetur, quod per occaſionem mihi à Domino Cardinali oblatam,

Digitized by Google

dictum ſit, & charitatis gratia, tum quòd in primis optem ne amplius hoc modo ſcripturæ deprauentur, quod itidem omni cum humilitate & reuerentia dictum ſit.

Errat X V I. quia dicit, in antiquis Breuiariis, vocem, *animas*, non adfuiſſe: at ego vidi Breuiaria manuſcripta, pluſquam ducentorum annorum, & alia edita ante centum, in quibus adeſt vox, *animas*, & quando non adeſſet, inſeri deberet, ad tollendas diſſidiorum occaſiones.

Errat vltimò, quia vocem inobedientiæ, cum pertinaciæ voce confundit: certum eſt, ſi quis legi cuipiam non obediat, eum excommunicari non poſſe, vt etiam certum eſt aliquem in peccato pertinacem, niſi fuerit monitus, excommunicari non poſſe. Verùm Author neutrum dicere ſomniauit: dicit modò, ad aliquem excommunicandum, oportere illum peccaſſe, & ſæpiùs monitum non reſipiſcere, quod, quid eſt aliud, quàm in peccato pertinacia? enimuerò ſi quis peccaſſet, & monitus reſipiſceret, non poſſet excommunicari: ſed quia perſiſtit, etiam monitus, ob id excommunicari poteſt: adeò vt pertinacia, ſit vltima cauſa excommunicationis, cuius ſignum eſt euidens, quòd monitus non reſipiſcat, vnde non omnis inobedientia, materia eſt excommunicationis, nec omnis pertinacia, ſed ea quæ monitionem præſupponit, de qua authori ſermo eſt: & cùm de hac Doctores omnes loquantur, non eſt authoris doctrina aut noua, aut falſa: quia verò non eſt immorandum in rebus manifeſtis ad quintam Propoſitionem tranſeamus.

DEFEN-

DEFENSIO QVINTÆ PROPOSITIONIS.

Cap. VII.

Quinta Authoris Propoſitio.

LIcet aliqui ſint, qui neſcio quo fundamento niſi, aſſerunt perſonas & bona Eccleſiaſtica, exempta eſſe à poteſtate Principis iure diuino, nihilominùs contraria opinio, nempe de iure humano tantùm exempta eſſe, melior eſt, & ſacræ diuinæque ſcripturæ, dictis ſanctorum patrum, & hiſtoriis magis conſona.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

SI hic author alicuius eſſet reuerentiæ erga ſanctam Eccleſiam, nunquam ita liberè & abſolutè loqueretur, perſonas & res Eccleſiaſticas iure ſolùm humano exemptas eſſe. Concilium enim Tridentinum generale, ſeſſ. vltima, cap. 20. clarè docet immunitatem Eccleſiaſticam ordinatione diuina, & decretis Eccleſiaſticis inſtitutam eſſe. Quis igitur Chriſtianum ſe huic & tantæ authoritati opponere audeat? neque hæc authoritas ſola eſt, priùs enim Colonienſe Concilium parte 9. cap. 20. illud ipſum verbis hiſce declarauit: Immunitas Eccleſiaſtica eſt res antiquiſſima, & introducta iure pariter diuino & humano. Et in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. ſic legitur: Nullo nec diuino nec humano iure habent laici poteſtatem aliquam in perſonas Eccleſiaſticas. Quæ verba propriè contraria ſunt huius authoris verbis, qui dicit Principes laicos iure diuino habere poteſtatem in perſonas

Eccleſiaſticas. Ex quo magna nimis huius noui Goliath temeritas apparet, qui ſe huic agmini exercitus Dei, quale eſt Concilium generale, audet opponere. Et antè hæc Concilia, Bonifacius Papa in capit. Quanquam de cenſibus, hac de re ceu planè nota, & ab omnibus recepta, ſcripſit, quòd perſonæ & res Eccleſiaſticæ à poteſtate ſeculari, iure diuino liberæ ſint. Ante hunc Pontificem, Iohannes VIII. referente Gratiano d.96.can.Si Imperator: ſcripſit, Deum omnipotentem ordinaſſe vt Sacerdotes & alij Clerici non ordinentur vel iudicentur à poteſtate ſæculari, ſed ſolùm à Pontifice. Quod Pontifex hic de perſonis, multò antè, Papa Symmachus vnà cum toto Romano Concilio III. in eius præſentia celebrato, de bonis Eccleſiæ dixit. Hoc autem cum ſacra ſcriptura conuenit: legitur enim Geneſ. 47. quòd Ioſeph Patriarcha, cùm eſſet Vicarius generalis Pharaonis, exemerit Sacerdotes ab oneribus, quæ reliqua plebs ferebat: & 1. Eſdræ, cap. 7. ab eiſdem Artaxerxes Perſarum Rex ſimiliter Sacerdotes Hebræos abſoluit: lumen enim naturale, quod immediatè eſt à Deo, dictat hoc eſſe conueniens. Vnde Alexander III. Papa in Concilio Lateranenſi pulcherrimam hanc protulit ſententiam: Non æquum eſt Eccleſiam Dei, tempore Chriſtianorum Principum, minùs liberam eſſe, quàm fuerit tempore Pharaonis, cap. Non minùs, de immunit. Eccleſ. Sed videamus quibus argumentis ſuam probet ſententiam hic author, dum dicit ſententiam eorum qui aſſerunt exemptionem perſonarum & bonorum Eccleſiaſticorum de iure humano eſſe, Sacræ Scripturæ, San-

ctis do-

ctis doctoribus, & hiſtoriis magis conſonam eſſe.

DEFENSIO.

Marſilius.

PErvenimus ad clauem veri ſenſus Catholicæ & ſolidæ authoris doctrinæ : ideò priuſquàm ad eius defenſionem transeamus, operæ precium eſt, aliquot Propoſitionibus declarare in quonam authoris opinio differat ab opinione Domini Cardinalis, eorúmque qui vulgò ſub hęreticorum titulo citantur.

Prima propoſitio. Magnum eſt diſcrimen inter hæc duo verba, non eſſe ſubiectum & eſſe immunem: is enim Principi alicui non eſt ſubiectus, ad quē poteſtas illius Principis non extenditur, exempli gratia, Gallus qui vulgò degit in Gallia, non eſt Venetorum Principi ſubiectus, quoniam huius Principis poteſtas non extenditur ad eos qui Galli ſunt, & in Gallia degunt: ſed qui Venetus eſt, & Venętiis degit, ſi Venetorum Principi, eiúſque legibus non pareat, & hoc ei permittatur, non dicetur id facere quia non ſit Principi ſubiectus, ſed quia vel à Deo, omnium domino, vel ab ipſo Principe exemptus ſit: adeò vt quum dicit author, exemptionem vel immunitatem Eccleſiaſticam non eſſe de iure diuino, non intelligat in cauſis, in rebus, in delictis Eccleſiaſticis & Spiritualibus, in his enim Clerici à poteſtate legitimi & naturalis ipſorum Principis immunes dici nequeunt, cùm in his ei ſubiecti non ſint. Supereſt igitur vt intelligat in bonis illis, in cauſis illis & delictis, quæ intra poteſtatis Principis terminos continentur, qui ſunt temporales & politici : ex quo

multorum error elicitur, & ſpeciatim illuſtriſſimæ ſuæ Dominationis, quæ ex hoc quod author dicit non eſſe Clericos à Principis naturalis poteſtate immunes iure diuino, infert, Ergo Princeps leges poteſt condere de Re diuina facienda, de Sacerdotum coniugio: non enim valet conſequentia, non ſunt immunes à poteſtate temporali, ergo ſunt ſubiecti in cauſis delictiſque ſpiritualibus: vitanda eſt hac in materia homonymia, quæ multis olim, & etiamnum hodie errandi occaſionem præbet: itaque quum loquitur author de exceptione, exemptione, immunitate à poteſtate ſæculari, neceſſariò id accipiendum in illis cauſis, bonis & delictis, in quibus, dempto omni priuilegio diuino vel humano, aliquis Principi ſæculari neceſſariò ſubiectus eſſet.

Secunda propoſitio. Quatuor ſunt opiniones in hac materia hæreticis tributæ, quæque ceu damnatæ, reiiciuntur. Prima eſt Marſilij Patauini, & Ianduni, qui dixerunt, vt fertur, Chriſtum ſoluiſſe tributum, neceſſitate coactum. Secunda Caluini, qui dixit, in omnibus cauſis, exceptis merè Eccleſiaſticis, Clericos Principi ſeculari ſubiectos eſſe ex officio: vnde negat poſſe illos eſſe immunes, aut vllum immunitatis priuilegium eis prodeſſe poſſe.

Tertia eſt Petri Martyris, qui dicit, Principes nullũ poſſe Clericis exemptionis priuilegiũ concedere, quod ſi fecerint, peccare, quoniam eiuſmodi conceſſio eſt contra ius diuinum. Quarta eſt Brentij & Melanchtonis, qui dicunt Clericos, etiam in cauſis merè Eccleſiaſticis, Principi ſeculari ſubiectos eſſe. Hoc totum deſumptum eſt ad verbũ lib. 1. cap. 28. de Clericis, Dom. Cardinalis: vnde

colligitur

colligitur quàm fuerit vel affectata ignorantia, vel ſupina malignitas illius qui dixit in authoris doctrina eſſe Brentiana dogmata, Caluiniana, & Martiana Patauiana: ſiquidem author non aſſerit cũ Marſiliana Patauina, ſiquidẽ author non aſſerit cũ Marſilio Patauino, ſi modò fuerit opinionis illius damnatæ, Chriſtum ſoluiſſe tributum, neceſſitate coactum, ſed ne ſcãdalum præberet. Nec dicit cum Caluino ſubiectos eſſe clericos, in cauſis omnibus & delictis criminalibus, ſed in iis à quibus exempti non ſunt, quæ exemptio non eſt de iure diuino, ſed priuilegio principum. Non dicit cum Petro Martyre, eiuſmodi exemptionem à Principibus concedi non poſſe, imò contrà, ab ipſis concedi. Demum non dicit cum Brentio, clericos in ſpiritualibus cauſis ſubiectos eſſe, poteſtatem enim diſtinguit in temporalem, & ſpiritualem: & quando de ſubiectione, vel exemptione clericorum loquitur, intelligit tantùm in rebus temporalibus, ad quas dicta poteſtas extenditur, non verò in rebus merè Eccleſiaſticis & ſpiritualibus, niſi per accidens.

Tertia Propoſitio. Authoris ſententia hæc eſt, clericos à Principis ſecularis poteſtate non immunes eſſe iure diuino, ſed priuilegio Principum, vel expreſſo, vel tacito, id eſt receptis Canonibus ritè publicatis, multóque vſu approbato in hac materia. Hanc eſſe Catholicam opinionem fatetur eodem loco dominus Cardinalis, qui cenſens in vltima hac editione, exemptionem eſſe de iure diuino, contra id quod in aliis ſuis libris crediderat de hac materia, loquens de Medina & Cauarrutia, Catholicis authoribus, & qui cum Authore

veram ſentētiam hac in parte ſequuti ſunt, quamuis dicat eos liberè loquutos eſſe, ita ſcribit: [Sed operæpretium erit ad eas obiectiones breuiter reſpondere, quas Didacus Couarruuias, & Ioh. Medina, C. de Reſtit. q. 15. (qui liberiùs aliis locuti ſunt) in medium protulerunt: obiiciunt enim primò extare legem diuinam, qua clerici eximantur à iuriſdictione Principum Laicorum &c.] reſpondet ad eorum argumenta, ceu ad Catholicorum Doctorum argumenta, quamuis alioquin ea non ſoluat, vt vltimam hanc ipſius additionem legenti patebit: Sed quid in hoc immoror? Si ex iis quæ in prima & ſecunda propoſitione dicta ſunt, conſtat D. Thomā huius opinionis expreſſè fuiſſe, non ſolùm in epiſtola ad Romanos, explicando verba hęc, [cui tributum, tributum: & illa, ergo liberi eritis:] ſed etiam in 2.2. q. 104. arg. 1. ad primum, D. Auguſtini authoritatem explicando in qq. Euang. q. 23. D. Chryſoſtomum & D. Auguſtinum, explicantes epiſtolam ad Romanos cap. 13. Hoc etiam non minùs quàm Medina, expreſſè dicit Cornelius Ianſenius in ſua concordia, verba illa explicans cap. 17. D. Matth. [ergo liberi ſunt filij:] qui doctor eſt Catholicus & ſolidiſſimus. Nec mirum eſt non adeſſe hîc authorum cateruam, quia pro cōtraria opinione ſunt etiam pauciſſimi, éſtq; in ſcholis nouum hoc dubiū, & ſi quis liberè ſcribat, ſemetipſum retractare cogitur, vt cōtigit domino Cardinali, vel deletur è libris, quod ad hanc rem facit, vel minæ iactantur, adeò vt Sotus ſub finem huius materiæ, quamuis liberè loquutus eſſet, quia tamen clauſulam ſine fundamento adiecit, quę totum illud deſtruebat quod ſolidè ſu-

perius

periùs dixerat, cùm aliter non poſſet, quæſtionem ſuam terminauit, dicens, [Seruū hominem multa decet ſentire, & pauca loqui.] Ac ſanè author ipſe Propoſitiones illas nō ſcripſiſſet, niſi fuiſſet neceſſitate coactus, propter euidens periculū animarum, & pro defenſione Principis adeò Catholici, vt eſt Venetus: multa vigente pace reticētur quæ litium & contentionum tempore, non poſſunt non dici veritatis gratiâ: probatum itaq; manet, exemptionis ſententiam Catholicam eſſe ac ſolidam, multóſq; pro ſe Catholicos authores habere, & quāuis liberè prolata fuerit, hoc adductis cauſis adſcribi debet, nec ideò quòd author ab aduerſariis arguatur, & odio habeatur, malè fecit: cùm veriſſimum ſit Comici dictum: [Obſequium amicos, veritas odium parit.]

Quarta Propoſitio. Authoris ſententia eò ſolidior eſt & verior, quia nullus Scripturæ locus, vt fatetur ipſe dominus Cardinalis, imò nullum concilium, nullus Canon, nullus è Sanctis Patribus, contrarium cenſet, vt in defenſione dicetur: ac de D. Auguſtino, de D. Hieronymo, iam dictum eſt, qui citari ſolent pro contraria ſententia, quæ eſt paucorum tantùm Canoniſtarum, Can. Si Imperator, D. 96. & in cap. Quanquam, de cenſibus, in 6. & Ioh. Driedonis l. 1. de lib. Chriſtiana, c. 9. qui licèt dicant clericorum immunitatem eſſe de iure diuino, non intelligunt quòd ſit de iure diuino ſcripto, nec minùs de iure naturali, nec per conſequentiam neceſſariam, ſed per quandam probationem, nimirum quòd cùm legatur in Scriptura Pharaonem Ægypti Sacerdotes qui erant Idololatræ, & Artaxerxem quoque populi

Iſraëlitici Sacerdotes à tributo exemiſſe, videatur conueniens, à ſimili, vt Principes à tributo Sacerdotes Chriſtianos eximant: quod argumentum licèt è ſcriptura eliciatur, quę eſt ius diuinum, attamen cõtra ipſos facit: nam è ſcriptura colligitur, Principes ſeculares, nõ verò Deum, eiuſmodi immunitatem dediſſe, & hoc ipſum eſt quod dicit auhor: præthereà non valet argumentum à ſimili, dici enim poſſet: In veteri lege, quæ eſt ius diuinum, nubebant Sacerdotes, ergo eſt de iure diuino, vt Sacerdotes nubant in lege Euangelica. Ipſemèt autem Dominus Cardinalis, loco citato, dicit ea verba, de iure diuino, à prædictis authoribus iuxta modum expoſitum accipi:

Quinta Propoſitio. Noua domini Cardinalis opinio, & abſque vlla ratione vel authoritate recèns in Eccleſiam introducta, circa hanc materiam, in tribus conſiſtit. Primum eſt, clericorum immunitatem à ſeculari poteſtate, non eſſe de iure diuino ſcripto, quia nullus eſt ſcripturæ locus, qui hanc immunitatem præcipiat, nec etiam de iure naturali, morali, quod etiam à Theologis vocatur ius diuinum, quale eſt ius decem præceptorum, &c. qua in re cum Authore, cum Medina, & Couaruuia conuenit.

Secundum eſt, ipſum per ius diuinum, intelligere quandam conuenientiam, & conformitatem cum citatis illis duobus exemplis Pharaonis, & Artaxerxis: vnde colligit Principes Chriſtianos idem facere debere, ſed non properea dicit illos ad hoc obligatos eſſe: ita vt omnino fateatur Principum ſecularium eſſe, eiuſmodi dare immunita-

munitatem, vel exemptionem : ſed eos tamen obſtrictos non eſſe ex illis ſcripturæ & locis, quòd in illis huiuſcemodi obſtrictio non legatur.

Tertium, nouum, vt dixi, & hactenus inauditum eſt illud [de iure diuino, ſignificare de iure gentium,] quod probat, quia ius gentium è iure diuino naturali deriuatur, ergo eſt diuinum: eſſe verò de iure gentium probat, dicens omnes gentes exemiſſe Sacerdotes, nec dicit à quibus, an à tributis, an à cauſis, nec probat vniuerſalem illam propoſitionem omnes gentes id feciſſe, vt nec eam probare poſſet, quia falſa eſt : nec pro ſua opinione doctorem vllum citat, qui dicat [de iure diuino, ſignificare de iure gentium:] nec denique oſtendit immunitatem eſſe de iure omnium gentium : legatur cap. 29. lib. eius de clericis recens in lucem editi.

Quamuis hæc opinio per ſeipſam corruat ceu minimè ſolida & noua, circa hanc tamen plura animaduertere, non erit inutile. Primum, diſcrimen eſſe magnum inter ius diuinum, quod eſt ſcriptum & naturale ; & ius gentium, quod (quamuis ſecundariò ſit naturale, vt ait diuus Thomas, cùm è naturalis & diuini principiis eliciatur vt & ius ciuile) omnino non eſt diuinum, ſed gentium, & humanum : nec vllus vnquam hoc dicere cogitauit, eſſe diuinum. Secundum, non omne illud quod gentes quædam faciunt, dici poſſe ius gentium, ac proinde diuinum: enimuerò vindicta, in communi eſt vſu apud gentes, attamen non eſt de iure diuino, imò à Chriſto domino noſtro prohibetur;

Matth. cap. 5. [Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Odio habebis inimicum tuum, ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros:] Sacerdotes nubere, commune fuit omnibus gentibus: ergo præcipitur vt inter Chriſtianos nubant Sacerdotes, éſtque de iure diuino, quis conſequentiam hanc faciet? Tertium eſt, non eo quòd aliqui Principes id conceſſerint in re quapiã particulari, vt Sacerdotibus in tributis, dici debere, immunitatẽ in omnibus rebus eſſe de iure gentium, quia multæ gentes hoc non fecerint, nec faciunt: exempli gratia, lege Naturæ omnes Primogeniti erant Sacerdotes, iuxta communem ſententiam, ergo dicetur omnes mundi primogenitos à tributo ſaltem immunes fuiſſe, quod ſolum domini Cardinalis argumentum probat, hæc autem reſponſio viro tantę literaturæ digna non videtur. Quartum ſi eius argumentum quòd immunitas ſit de iure gentium, aliquid probaret, non probaturum aliud, niſi Principes debere à tributo Sacerdotes eximere, ſed quæſtio noſtra in hoc non conſiſtit, verùm aut in rebus omnibus temporalibus ſine Principis priuilegio immunes ſint Eccleſiaſtici. Quintum, ius gentium id dici quod ab initio mundi fuit immutabile, eritque ſemper, vt ius legitimæ ſeruitutis & dominij: ius nubendi ad humanæ ſpeciei conſeruationem, quódque gentes omnes indiſcriminatim obſeruarunt, & obſeruant, Turcæ Ethnici, Chriſtiani, Iudæi, &c. verùm quòd Sacerdotes Chriſtiani ſint immunes, de iure gentium eſſe nequit, à Chriſto enim inſtituti fuerunt, nec etiam gentes omnes, Sacerdotes ſuos exemerunt. Vltimò animad-

uer-

uertendum quòd cùm Chriſtus Dominus noſter humilitatem & ſubiectionem tam expreſsè iniunxerit, ac D. Paulus, eius nomine abſolutè dixerit, Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: quamuis immunitas de iure gentium fuiſſet, ab omnibus nempe gentibus obſeruata, quòd, inquam, ei derogatum fuiſſet per ius diuinum poſitiuum, ſicuti Chriſtus illud gentium inſtitutum de vindicta ſumenda de inimico, tollere potuit noua lege, atque hoc quòd nuberent Sacerdotes, aboleuit nouo conſilio, in Eccleſia Latina deinde præcepti inſtar obſeruato. Cùm abundè id declarauerim quod tum author, tum alij in præſenti materia ſentiunt, ad propoſitionis defenſionem veniamus.

Author duo dicit: primum eſt, perſonas Eccleſiaſticas, vt res ipſorum, à ſæculari poteſtate non eſſe exemptas, intellectis, vt dictum eſt, iis tantùm rebus ad quas illa poteſtas extenditur, hoc enim vox exemptionis denotat, ſecundum, exemptionẽ habere dictos Eccleſiaſticos non de iure diuino, ſed de iure humano, non deſcendendo ad ius vllũ particulare, vt nempe quæratur an hoc ius ſit humanum, an gentium, ciuile, aut Canonicum, licèt cùm Medina & aliis in hac parte citatis ſentiat, nempe exemptionem eſſe Priuilegio Principum: iam veniamus ad obiectionum errores.

Errat 1. Illuſtriſsima ſua dominatio, quia dicit, Sacrum Concilium Tridentinũ determinaſſe, immunitatem eſſe de iure diuino, attamen in Sacro Concilio Tridentino, ſeſſ. 25 cap. 20. ab ipſo citata, non adeſt eiuſmodi determinatio, ſed tantùm

quando ſacrum Concilium loquitur de immunitate & libertate Eccleſiaſtica in genere, hoc ei dat epithetum,[diuina ordinatione conſtitutam:]non verò dicit,vt qui eiuſmodi immunitaté in temporalibus, aſſerit non eſſe de iure diuino, ſit anathema: vel non determinat, eſſe de iure diuino, quin potiùs in genere loquitur, immunitatem eam includens, quę eſt in cauſis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus; vt verò debeant intelligi verba illa, diuina ordinatione conſtitutam, è Gloſſa colligitur, in Cap. Quanquam, de cenſibus, in 6. ad quam Doctores confugiunt, quotieſcunque reperitur eſſe immunitas in temporalibus, diuina ordinatione conſtituta, vel de iure diuino, quæ ſic habet, [eſt de iure diuino, id eſt, deducitur ab exemplo Ioſephi Patriarchę, & Artaxerxis Regis Perſarum, quod non ſignificat eſſe de iure diuino, inſtar præcepti, ſed Principes eam concedere iuxta duo illa exempla Scripturæ, quæ eſt ius diuinum: ſed author non negat conueniens eſſe vt Principes his exemplis ducti, immunitatem eiuſmodi à tributis concedant, nec ducit eos vbi hanc, iuxta hæc exempla, conceſſerint in dictis tributis ſpeciatim, de quibus ſolis agitur, illam reuocare debere, extra caſum neceſſitatis: ſed aſſerit nec in ſcriptura, nec in iure diuino præceptum eſſe, quo immunes ſint clerici, aut res eorum, abſque quod Principe immunitatis priuilegium illis non concedente: adeò vt cùm aliud non dicat Concilium, quàm quòd citatus Canon, ſciri debeat, primò ipſum nil determinare, ſecundò de immunitate in ſpiritualibus loqui: tertiò ſi de im-

munitate

munitate in temporalibus verba faciat, id eſſe per quandam decentiam, probabilitatem, & ſimilitudiné, vt Gloſſa, & alij Doctores, dicunt, quod ab Authore non negatur, qui de iure diuino propriè loquitur, & non per ſimilitudinem: & hæc eſt cauſa ob quam Medino, Ianſenius, Couarruuias, & alij, cùm propria opera poſt concilium ediderint, nemo dixit eos vllam contra concilium opinionem habuiſſe: attamen cum authore hac in parte ſenſerunt. Prętera ſeſſio illa 25. cùm Galli Pręſules à conſilio diſceſſiſſent, & Hiſpani proteſtati eſſent, præproperè tractari materias, facta fuit magna cum feſtinatione & præcipitantia, vt eiuſdem conſilij diariorum verbis vtar, cùm Acta citare non poſſimus, quę non leguntur, vt antiquorum conciliorum acta, quod noſtrorum temporum calamitati adſcribendum eſt, & ideò PP. ſub finem adieciſſe puto hæc verba, vt ſi quæ difficultates circa conſilij determinationes impoſterum occurrerent, his Pontifex remedium adhibere ſtuderet, ſiue Prouinciarum viros doctos, vbi dictę difficultates orirentur, ſiue Concilium generale conuocando, alióve modo Chriſtianæ Reipublicæ quieti & paci conſuleret. Dico igitur, primò, verba concilij perperam citari à Domino Cardinali, non enim dicit Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem in temporalibus eſſe inſtitutam ordinatione diuina, ſed dicit, ne Principes permittant vt inferiores Magiſtratus violent Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, quæcunque illa ſit, diuina ordinatione conſtitutam, nempe vel merè ſit Eccleſiaſtica, ſiue vt ait Gloſ-

ſa, temporalis, ob exempla quæ in ſcriptura leguntur, à Principibus conceſſa: non enim negat datam eſſe à Principibus, exemplo Pharaonis & Artaxerxis, immunitatem in temporalibus. Secundò dico, cùm non inueniatur in quo Scripturæ loco adſit eiuſmodi immunitas, imò contrarium legatur apud D. Paulum, Rom. 13. explicandum eſſe ſacrum concilium, vt ipſum Gloſſa explicat, ne falſum dixerit.

Errat II. quia concilium Colonienſe, præter hoc quòd ſit Prouinciale, non autem generale, nihil determinat, ſed iuxta Gloſſam loquitur, & clarius quàm Tridentinum, dicit enim, non iure diuino & humano iniunctam eſſe immunitatem, ſed introductam eſſe dicit, quia Principes exemplo Pharaonis & Artaxerxis, vt legitur in Scriptura, quæ ius eſt diuinum, moti ſunt vt Eccleſiaſticis aliiſve, priuilegia concederent, tributum non ſoluendi; non quòd alicubi Scriptura hoc præcipiat, ſed vltrò bonum illud exemplum ſumentes.

Errat III. quia concilium Lateranenſe, vt paſſim fatetur Illuſtriſſima ſua Dominatio, non habetur pro generali, & quod dicit, non indubitatũ cẽſetur, ſed eſto ita ſit, ſi intelligat in rebus Spiritualibus & merè Eccleſiaſticis, Principes in clericos poteſtatem non habere, per ſe verum eſt: at ſi dicat clericos in cauſis criminalibus, ac temporalibus rebus immunes eſſe, quia hoc non habent de iure diuino, vt probatum eſt, non debet admitti: & præterea non poteſt illud aliter intelligere quàm Gloſſa explicet, quod non negatur.

Errat

Errat I I I I.quia Authorem appellat Goliath, ſed cum potius crederem Dauidi ſimilem, quia pugnat pro caſtris,& non contra caſtra Dei,id eſt, pro doctrina Apoſtolorum, & Sacræ Scripturæ ſummi Sacerdotis Chriſti Saluatoris noſtri,& ſanctorum etiam P.P.nec aduerſus concilia,vt probatum eſt,quicquam adfert.

Errat v.quia canon Bonifacij intelligitur prout eum Gloſſa intelligit, atq; vt etiam dicit ipſe dominus Cardinalis,cap.28.l.1.de Clericis.

Errat v I.quia tam Papa Ioh.v I I I.quàm Papa Symmachus, intelligi debent in cauſis merè Eccleſiaſticis, iuxta modum explicatum, & non aliter, licet de duobus hiſce Pontificibus alibi opportunius dicturi ſimus: hoc certum eſt, non determinaſſe illos quicquam aduerſum nos, vt eorum determinationes legenti patebit.

Errat v I I.quia duo pro ſe exẽpla adfert,quę duobus modis contra illuſtriſſimã ſuam Dominationẽ faciunt: primo, quia dicit Pharaonem & Artaxerxem, Sacerdotes exemiſſe: igitur concedit quod dicit Author,Principum eſſe immunitatis priuilegia dare: ſecundo, quia dicit, naturæ lumen dictare hoc immediatè Principibus, & ipſe in Tractatu ſuo dicit, immunitatem à naturæ lumine non immediatè doceri, ſed de iure gentium, & per quandam ſimilitudinem.

Errat v I I I.quoniam ea quæ lumen naturale dictat, non opus eſt à Principibus priuilegio concedi, & D.Thomas, qui dicit clericos immunes eſſe ſpeciatim priuilegio Principum,propter naturalem quandam æquitatem, ſano modo eſt intelligendus, videlicet priuilegium illud niti

ratione,quæ dicitur æquitas naturalis, qua ciuiles omnes leges nituntur, ſed propterea non dicuntur eſſe de iure diuino naturali, at ciuiles, reuocabiles,&c.

AVTHOR.

QVia præter hæc quæ diximus, in prima propoſitione,quòd Sacerdotes in antiqua lege ſubiecti fuerint Principi ſæculari, præterquàm quòd Salomon priuauerit Abiathar ſummo Hebræorum ſacerdotio,vt cap.2.lib.3. Regum videre eſt.Tempore primitiuæ Eccleſiæ vſque ad Iuſtinianum Imperatorem, nullum in iure legitur priuilegium,immunitatis Eccleſiaſticis conceſſæ.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

ET nos in confutatione primæ Præpoſitionis demonſtrauimus Sacerdotes & Leuitas in antiqua lege ſubiectos fuiſſe Principi Eccleſiaſtico:& quoniam author dixerat Moſem fuiſſe Principem politicum,cui ſubiecti erant Sacerdotes,teſtimoniis Scripturę & SS. Patrum probauimus Moſem ſummum Sacerdotem fuiſſe. Ad exemplum Salomonis reſponderi poteſt, Salomonem illud feciſſe,tanquam diuinæ voluntatis miniſtrũ, prædictum enim iam fuerat, Heli poſteritatẽ ceſſaturam,ideò ſubiungit ſcriptura, vt impleretur ſermo Domini, quem loquutus eſt ſuper domum Heli in Silo. Huc accedit quòd facta Principum non ſint leges. Verùm quòd ante Iuſtinianum non extiterit in Eccleſia priuilegium immunitatis,fal-

tis,falſum eſt manifeſtè. Conſtantinus enim Imperator qui ducentis annis Iuſtinianum pręceſſit, & primus Imperatorum qui palàm ſe Chriſtianũ profeſſus eſt,quàm primùm Eccleſiaſticos liberos à communibus Reipublicæ oneribus declarauit,vt legitur in epiſtola eiuſdem Conſtantini ad Auilinum,quæ refertur ab Euſebio lib. 10.cap. 17. hiſtorię Eccleſiaſticę:& pręter hoc Conſtantini priuilegium,multa alia ſunt in Codice Theodoſiano,Imperatorum Iuſtiniano antiquiorum, vt refert à te citatus Couaruuias, cap. 31. quæſtionum practicarum.

DEFENSIO.

Marſilius.

INcipit author aliquot adferre exempla, quæ Illuſtriſſimam ſuam Dominationem valdè exagitant, quia non niſi de immunitate à tributis hactenus eſt locutus,quam dicit Pharaonis & Artaxerxis exemplo in Sacra Scriptura doceri : nunc verò cùm illi probanda ſit Clericorum immunitas in cauſis criminalibus,à quibus nec ipſe quidē Iuſtinianus in Nouella eos eximit,magnis ſe inuolui difficultatibus ſentiet, vt in errorum notatione conſpicuum euadet.

Errat 1.quia dicit ſe in prima Propoſitione probaſſe Moſem ſummum fuiſſe Sacerdotem , hoc non negauit author, ſed dixit quidem , Moſem, cùm ſummi Sacerdotij officium Aaroni renunciaſſet,nihilominus tamen iudicaſſe Leuitas, vnde apparet ipſum vt principem politicum , non vt ſummum Sacerdotem id feciſſe ; ſi enim ſummi

Sacerdo-

Sacerdotis proprium hoc fuiſſet, Aaroni faciendũ reliquiſſet, qui ſummi Eccleſiæ Sacerdotis typus fuit, non verò Moſes.

Errat II. quia legenti textum facilè patet Salomonem aduerſus Abiathar, 3. Reg. cap. 2. egiſſe via ordinaria, non autem ex particulari reuelatione (licèt quatenus miniſter diuinæ iuſtitiæ) omnis enim Princeps ſecularis, eſt [Miniſter Dei in iram, ei qui malè agit] vt ait Apoſtolus, Rom. 13. éſtque hoc manifeſtum Domini Cardinalis effugium.

Errat III. quia per vocem, [vt impleretur ſermo Domini,] intelligit, hoc Deum feciſſe, ſpeciatim id iniungendo Salomoni, ſed aliter res ſe habet, nam diuina ſapiẽtia, Sap. cap. 8. [vt procedat à fine vſque in finem fortiter, diſponit omnia ſuauiter, id eſt viis ordinariis, quum de reuelatione extraordinaria non conſtat.) Hoc igitur modo exempla non erunt adferenda, quia confugi & Dominus Cardinalis ad ea reſponſa, de quibus poëta dicit, [niſi Deo dignus vindice nodus inciderit.

Errat 4. quia dicit Principum facta non eſſe leges, vt ego dicã nec facta etiã Pontificum eſſe leges, eorum ſpeciatim qui eius non ſunt ſapientiæ cuius erat Salomon, quo tempore iudicauit Abiathar, nempe antequàm peccaret, quamuis error ſit grauiſſimus dicere ipſum, cùm diuinam ſapientiam, potiſſimùm ad rectè iudicandum, obtinuiſſet, in iudicando Abiathar erraſſe.

Errat vltimò, quia cùm loquatur author, ſecundùm ſubiectam materiam, & ſecundum antecedentia ſequentiáque exempla, de immunitate à foro, ac de omnibus Eccleſiaſticis. Illuſtriſſima ſua dominatio loquitur in genere. Author non

Iuſtinia-

negat Conſtantinum, alióſve Imperatores ante Iuſtinianum, immunitatis priuilegia conceſſiſſe Eccleſiaſticis, ſpectat enim ad Principes hæc dare priuilegia, ſed loquitur de immunitate à foro, iudiciíſque publicis, ipſum forum ex lege quadam in corpore iuris, diſtinguens, vt in prima Propoſitione dictum eſt, quod nemo fecit ante Iuſtinianum, atque author ille codicem proculdubio diligenter legerat, nec in re tam perſpicua falli potuit.

AVTHOR.

DIuus Paulus ait: Ad tribunalis Cæſaris ſto, Cæſarem appello: & inter ſexcenta exempla alia, legitur in vita Ottonis I. Chriſtianiſſimi imperatoris, quòd propria authoritate Iohannem Papam XII. ob mores peſsimos depoſuerit.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

AD hoc argumentum antiquitus à nonnullis hæreticis propoſitũ, optimè reſpõdet Cardinalis Turrecremata lib.2.cap.96. ſuæ ſummæ: D. Paulum fuiſſe coactum appellare ad Cæſarem, cúmque pro iudice ſuo agnoſcere, de facto, non de iure: tunc enim Diui Petri poteſtas non agnoſcebatur, nec credebatur, atque ideò ſi Paulus dicere voluiſſet, non cognoſcere ſe alium iudicẽ, quàm Chriſti Vicarium, riſum mouiſſet Iudæis, à quibus erat accuſatus, & gentilibus, à quibus erat iudicandus: & ita ipſemet dicit, coactus ſum appellare Cæſarem. Quod attinet ad hiſtoriam Papę Iohannis, & Ottonis Imperatoris, duę fal-

ſitates & errores in tam paucis verbis authoritate propria, continentur, quę duo verba falſiſſima ſunt de facto,& de iure. De facto, quia Otto ſciens ſe tanquam Laicum non poſſe iudicare Eccleſiaſticum, petiit à Concilio ROMÆ congregato, vt determinarent quid fieri deberet. Sancta Synodus, quid decernat, edicat. Ita loquitur Otto ad Concilium: itaq; Otto non depoſuit ſummum Pontificem, authoritate propria, ſed authoritate Concilij. De iure: in nullo enim authore Catholico inuenietur, Pontificem ab Imperatore deponi poſſe, ſed Imperatores quidem à Pontifice, vt Otto I V. fuit depoſitus ab Innocentio III. Fridericus II. ab Innocentio I V. & multò anteà Henricus I V. à Gregorio VII. adeò vt author in hac ſua opinione præter hęreticos antiquos & recentiores, ſocios alios non habeat, ſpeciatim verò Marſilium Patauinum, vt teſtatur Cardinalis à Turrecremata lib. 4. ſummę part. 2. cap. 37. Verùm nec à Concilio Pontifex iudicari poteſt, niſi ratione hæreſis, in quo omnes Catholici conueniunt, & hic eſt alter authoris error, quia Papa Iohannes X I I. non fuit accuſatus de hęreſi, ſed de malis moribus, & Concilium illud quod depoſuit Papam Iohannẽ X I I. non fuit Concilium legitimum, ſed Conciliabulum, ſchiſmaticum, & acceptatum, ideóque paulò poſt abrogatum. Legat qui ſcire volet hanc hiſtoriam, tomum decimum Cardinalis Baronij, aut breuitatis ergò additionem Onuptrij ad Platinam.

DEFEN-

Marſilius.

HOc argumento vtuntur multi Catholici, quòd ſi hæretici eo vſi ſint, alio fine id fecerunt quàm quo catholici: certum eſt, nec Turrecrematam, nec Illuſtriſſimam ſuam dominationem argumentum ſoluere, vnde errat:

Primò, quia cùm doceat D. Paulus vt chriſtiani Principum ſæcularium iudicium ſubeant, multóque magis in cauſis appellationis vbi qui appellat, de inferiori iudice conqueritur ad redimendam vexationem, dicit hoc D. Paulum non feciſſe de iure, ergo contra ius, ergo peccauit: & quamuis de aliis loqui poſſimus de facto, & non de iure, nihilominùs tamen Apoſtolum D. Paulum adeò temerè peccati arguere non decet.

Errat II. quia vocem, coactus, alio quàm D. Paulus ſenſu accipit: ita namque D. Paulus eam intellexit, vt ſi iniuſtè à Feſto iudice inferiare tractaretur, ad redimendam vexationem, ſuperiorem appellare coactus foret, iuxta communem eorum qui appellant, loquendi vſum, & dominus cardinalis ait ideò coactum fuiſſe, ne riſum moueret, ſi D. Petrum appellaſſet.

Errat III. quia dicit D. Paulũ ne riſum moueret. D. Petrum non appellaſſe. Peto. D. Paulus quũ D. Petrum non appellauit, an benè vel malè fecit? Si benè, ergo immunitas non eſt de iure diuino: ſi malè, cur id fecit, an fortè ne riſum moueret? igitur aliquis ne riſum moueat, poteſt malè facere, veritatem reticere, ſpeciatim verò id potuit Apoſtolus? qui dicit, prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus

autem ſtultitiam 1. ad Cor. c. 1. quid verò mouet magis riſum quàm ſtultitia? ſed non propterea D. Paulus prædicare deſtitit, quòd à Gentilibus ſtultitia putaretur eius prædicatio, quin potiùs gloriæ, ſummæ'que prædicationis ipſius virtuti hoc tribuit. Verum dico, ferre non poſſum, vt quis de D. Paulo & ſcriptura, ad improbabilem opinionem ſtabiliendam de qua nullum eſt præcepti ſignum in ſcriptura, hoc modo & ita liberè loquatur.

Errat 1 v. quia dicit, vt qui Papæ Iohannis, & Ottonis hiſtoriam ſcire voluerit, dominum Cardinalem Baronium, & additiones Onuphrij ad Platinam legat. De domino Cardinali Baronio nil aliud dicam, niſi Hiſtoricum eſſe adhuc viuentem, cuius opera ſuſpecta ſunt vbi de immunitate agitur, imò quum aliud adferre nequit, improbat antiquos omnes Hiſtoricos, quòd ſi quem admittat, verba ſumit pro ſe facientia, quæ verò contra ſe, in illo hiſtorico inſerta eſſe dicit, vt in hac ipſa hiſtoria, Luitprandi authoritatem per annorum 700. ſpatium in Eccleſia probatam, aliorúmque eius temporis ſcriptorum authoritatem reiicit: cùm itaque non tanti fiant in Mundo eius annalia, quanti putabat, ſítque liber in lucem breui proditurus, cuius inſcriptio eſt, errores Cardinalis Baronij, vbi ſigillatim oſtenduntur pluſquàm 20. errores quos in antiquiſſima hac Papæ Iohannis hiſtoria neganda commiſit, de ipſius authoritate loqui non opus eſt. In additione Onuphrij, præter hoc quod recentiſſimus eſt, nil contra authorem reperio, imò facit pro ipſo, dum legitimam Leonis electionem admittit: veniamus itaque

que ad errores, quos dominus cardinalis committit, hiſtoriam veram eſſe præſupponendo, & modum impugnando.

Errat v. quia dicit Ottonem non potuiſſe de iure exaugurare Iohannem ob delicta criminalia, Pontifices verò Imperatores exauguraſſe de iure: hactenus contrarium probatum eſt de iure, ſcilicet Pontificem in temporalibus non habere ius auferendi Regna, iure Pontificatus, & neminem de iure diuino, à ſecularis Principis poteſtate immunem eſſe in criminalibus delictis. Illuſtriſſima verò ſua dominatio argumentatur à contrario ſenſu, nec ſcio quo fundamento.

Errat v i. quia legitimam Iohannis exaugurationem concedit, eámque concedere cogitur, quia eius ope Leo creatus fuit, & pro Papa legitimo habitus, quicquid dicat Ciacconus, de quo, pace omnium dixerim, [Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui:] ergo dicendum eſt vel Iohannem ſeipſum exauguraſſe, & hoc falſum eſt, vel à concilio fuiſſe exauguratum & hoc negat dominus Cardinalis, vel Ottonem ſanctiſſimũ Imperatorem, ipſum exauguraſſe, Salomonis exemplo, qui ſeditioſum Abiathar ſummo Sacerdotio abdicauit & condemnauit, atq; id ipſum dicit author: quod ſi iuſtè factum fuerit, quemadmodum factum fuiſſe dicendum eſt, legitimæ ſucceſſionis ergò, id quoque Ottonem feciſſe opportet authoritate propria, cùm Iohannes atrociſſimis ſuis delictis, Imperatorem ad id faciendum coëgiſſet, quod nullus communiter auderet facere, ob

Reuerentiam quæ debetur ſanctę Sedi: & quamuis omne id Otto fecerit ſuadente concilio, vnde dixit, [Sancta Synodus edicat,] nihilominùs tamē vt referunt illorum temporum Hiſtorici, (Luitp. Reg.) tulit ipſe definitiuam ſententiam cum ſuo Placet.

AVTHOR.

ET ſi immunitas eſt de iure diuino, quare Papa Adrianus I. vult vt Carolus Magnus habeat authoritatem eligendi Romanum Pontificem, in cap. Adrianus, quod & Leo VIII. fecit in gratiam Ottonis primi, vt in ea ipſa diſtinctione legitur, quæ eſt 63. can. in Synodo?

OBIECTIONES.

Bellarminus.

SVbtilitatem argumenti huius valdè miror. Quid negotij cōmune habet immunitas Eccleſiaſticorum, cum nominatione perſonæ ad Pontificatum? Ideò hoc tempore Galliarum Eccleſiaſtici immunes non ſunt, quia Rex perſonas nominat vacantibus Eccleſiis. Et vbicunque ſunt Iuſpatronatus, quandoquidem patroni qui, vt plurimùm ſunt Laici, ius nominandi habent, deperdita eſt immunitas? Habuerit igitur aliquandiu Carolus à Pontifice priuilegium, ſede vacante nominandi aliquem ad Pontificatum, non ideò tamen Imperator vllam Pontifici authoritatem dedit, vel eam auferre potuit, cùm, vt ſuperiùs diximus nominatæ perſonæ, aut aliàs canonicè electæ, Deus ipſe det Pontificalem poteſtatem,

per

per quam eiuſcemodi perſona, iure diuino ſit ſuperior, & caput omnium Chriſtianorum, ſiue Principum, ſiue priuatorum. De priuilegio Imperatori Ottoni à Leone Papa conceſſo, idipſum dici poſſet, ſi priuilegium illud non fuiſſet vanum, & irritum. Et hoc dictum ſit, poſito eo quod ſcribit Gratianus in citatis canon. Adrianus, &, In ſynodo. Verùm Illuſtriſſimus noſter & doctiſſimus Cæſar Baronius tomo 9. annalium, pag. 523. clariſſimis documentis demonſtrat, nunquam eiuſmodi priuilegium conceſſum fuiſſe Imperatori ad eligendum ſummum Pontificem: atque ita totum aduerſarij argumentum corruit, habens nimirum conſequentiam malam, & antecedens falſum.

DEFENSIO.

Marſilius.

IAm dixi dominum Cardinalem Baronium in in materia immunitatum non habere authoritatem, & audiui ipſum ſicut hactenus ſibi liberum fecit, emendare Patres Canones, & Hiſtoricos, ita correcturum concilia ſuo modo, & ad ſuum finem, ac huiuſmodi licentiam ſibi arrogaturum, quod abſit: certum eſt ipſum non emendaturum textum D. Pauli, D. Chryſoſtomi, D. Thomæ, diui Auguſtini, & aliorum, adeò vt Illuſtriſſimæ ſuæ dominationis nouitates non ſint attendendæ, ſed potiùs domino Cardinali reſpondendum, qui

Errat 1. quia dicit nominationem ad Pontificatum, referre nominationem ad ſacerdotia & hoc

falſum eſt, nam Pontificatus non eſt ſacerdotium, ſed ſuprema eſt dignitas ſpiritualis à ſaluatore inſtituta, quòd ſi eſt ſacerdotium, igitur Imperator habet ius nominandi.

Errat 1 1. quia ſi perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas eſt de iure diuino, nemo poteſt Principibus eos ſubiicere, maximè verò illum qui tantæ eſt dignitatis, ſiquidem grauiter peccaretur: ergo immunitas non eſt de iure diuino: hoc argumentum vidit dominus Cardinalis Baronius, proptereà Canones improbare conatur. Argumentum itaque verum eſt ratione antecedentis, & ratione conſequentiæ: nec ſunt improbandi. Canones tam antiquī: negat etiam Leonem fuiſſe verum Pōtificem, legitima cuius electio à Leone qui ſe 1 x. vocauit & ab omnibus Pontificibus ad hæc vſque tempora eſt probata dato vno inconuenienti multa ſequuntur.

AVTHOR.

HÆc doctrina non ſolùm eſt D. Pauli, vt propoſitione prima probaui, ſed etiam D. Ioh. Chryſoſtomi, D. Thomæ Aquinatis, Soti Theologi præſtantiſſimi, diſt.21.l.4.ſent. Couarruuiæ cap.31. practicarum quæſtionum, qui etiam pro ſe citat Innocentium 1 1 1.Papam, Alciatum, Ferrarienſem, Medinam, alióſque, & duo hi authores, Sotus nempe & Couarruuias, in hoc particulari negotio plurimi faciendi ſunt, cùm vterque poſt concilium Tridentinum ſcripſerit.

O

Bellarminus.

DIuus Paulus, & D. Ioh. Chryſoſtomus non loquuntur de immunitate Eccleſiaſticorum, ſed ſolummodò docent quemlibet obligatū eſſe obedire ſuis ſuperioribus, vt ſuprà dictum eſt. D. Thomas non negat immunitatem eſſe de iure diuino, licèt affirmet eſſe de iure humano, quia poteſt eſſe, & eſt de iure humano & diuino, vt loquūtur ſacri Canones. Sotus quamuis neget immunitatem eſſe de iure diuino ſtrictè, nihilominus ait conſentaneum eſſe lumini naturali, & adiungit neminem Principum, nec omnes ſimul huic immunitati derogare poſſe. Vnde manifeſtè doctrina Soti contraria eſt negotio Venetorum, qui tot modis immunitatem Eccleſiaſticam, ac ſi penes eos eſſet, huic derogare quando libuerit, violare & proſcindere audent. Nec verum eſt Sotum poſt Concilium Tridentinum ſcripſiſſe, quia licèt primæ ſeſſioni celebratę ſub Paulo III. interfuerit, nihilominùs mortuus eſt antèquàm Concilium finiretur, atq; ita non vidit vltimū illud decretum, quo declaratur immunitatem Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum, diuina ordinatione introductam eſſe, quod decretum ſi vidiſſet, neutiquàm illi contradixiſſet. Couarruuias, vt ſuprà attigimus, nimis ſemper riſus eſt partialis pro Iuriſdictione regia: attamen is ipſe docet Pontificem iuſto titulo potuiſſe liberare Eccleſiaſticos à poteſtate ſæculari, nullúmque vel ſummum Principem huic immunitati derogare poſſe. Quapropter apparet etiā Couarruuiā improbare factū Venetorū,

atque ideò neſcit author quid dicat, dum notat hos authores plurimi faciendos eſſe. Demum ſilentio prætereundum non eſt quod addit author, Couarruuiam citare pro ſua opinione Innocent. tertium. Quo in loco notandi ſunt duo errores, authoris vnus, Couarruuię alter. Author errat: nunquam enim Couarruuias citauit pro ſe Innocent. tertium quem ſibi nouerat eſſe cōtrarium. Couarruuias errat, quia pro ſua opinione citat Innocent. Quartum in comment. ſuper cap. de maiorit. & obediēt. & tamen Innocentius I V. ibidem ait, immunitatem factam à ſummo Pontifice cum Imperatoris conſenſu, non eſſe plenam, atque ideò fateri oportere à Deo ipſo Eccleſiaſticos à poteſtate Principū ſæcularium exemptos eſſe. Quî poterat clarius dicere Innocent. I V. immunitatem Eccleſiaſticam eſſe de iure diuino? & nihilominùs audet Couarruuias dicere, Innocentium negare ſupradictam immunitatem eſſe de iure diuino. Vnde Panormitanus ſuper cap. Nimis de iureiurando, refert Innocent, I V. cenſere, immunitatem Eccleſiaſticorum eſſe de iure diuino. Ecce igitur quantis paucula illa authoris verba erroribus ſcateant, qui non contentus fuit allegaſſe Sotum & Couarruuiam, verùm etiam probationes eorum ſubiicit his verbis.

DEFENSIO.

Marſilius.

Ad Propoſitionis probationem, addere quicquam non opus eſt: veniamus itaque ad errores.

Errat

Errat I. quia dicit D. Paulum, & D. Ioh. Chryſoſtomum loqui in genere, at illos in ſpecie loqui iam probatum eſt.

Errat II. quia dicit D. Thomam cenſere immunitatem eſſe de iure diuino: iam probatum eſt illum docuiſſe hanc eſſe priuilegio Principum in certa ratione & æquitate poſito, qua priuilegia omnia, & humanæ leges nituntur, ac probatum etiam libros illos de Regimine Principum non eſſe D. Thomæ.

Errat III. quia dicit Sotum & Couarruuiam aſſerere, omnes ſimul Principes illi immunitati derogare non poſſe, quam ſemel cõnceſſerint, vel receptis ſummorum Pontificum Canonibus, admiſerint, & abſolutè loquitur, cùm tamen hi authores cum conditione loquantur, nempe, [ordinariè,] nam ſpeciatim Sotus dicit, poſſe ad vim vi repellẽdam, in quibuſdam rebus, immunitatis priuilegium auferri, quo pacto etiam Couarruuias & Medina debent intelligi, iuxta illud quod ab omnibus Doctoribus aſſeritur in materia de priuilegiis quibus derogari nequit niſi cogente neceſſitate, [& propter finem ſuperiorem] &c. Et Pontifex priuilegiis à ſe conceſſis quotidie derogat.

Errat IV. quia Dominos Venetos accuſat de violatis priuilegiis immunitatis Eccleſiaſticę, quòd falſum eſt: nam Domini Veneti iudicarunt ſemper Eccleſiaſticos in grauibus & atrocibus delictis, obſeruantes prout ipſis viſum eſt quod in Nouella Iuſtiniani continetur, non quòd ad eam ſint obligati, ſed quia iudicarunt eſſe conueniens in ſuo ipſorum Dominio id obſeruare, quod Iuſti-

niano viſum eſt conueniens obſeruare in ſuo. Quod ſpectat ad leges illas circa bona, iam dictum eſt illas eſſe de rebus temporalibus, quæ nondum peruenerunt in Dominium Eccleſiaſticorum: quod non dubium eſt quin fieri poſſit iuxta omnium opinionem, & legem quam tulerunt anno 1333. ampliare potuerunt eadem authoritate, qua tulerūt illam, cui nunquā Eccleſiaſtici cōtradixerūt. Quoad alias immunitates, quas prędicti Domini cōceſſerunt Eccleſiaſticis ſui Dominij, ſiue priuilegiis, ſiue Canonibus receptis, ſiue conſuetudine, eas illæſas tuentur, earúmque iuxta ſacrum concilium ſunt protectores, nec vnquam priuilegium vllum immutabunt, niſi ad vim vi repellendam, ad redimendam vexationem, quod ab omnibus Doctoribus conceditur, & propter bonum Commune euidentiſſimum.

Errat v. quia Innocentius IV. vult vt Imperatoris conſenſus quæratur in materia immunitatis, & ob id eum citat Couarruuias.

Errat VI. quia dicit Authorem hallucinatum fuiſſe in citando Innocentio III. pro Innocentio IIII. Error fuit typographi: nec in propoſitione adeſt, tertius, totidem literis, ſicut imprimendum curauit Dominus Cardinalis, vt errorem redderet inexcuſabilem, ſed per numeros, nempe III.

Errat vltimò, quia magna cum ſubtilitate dicit Sotum non ſcripſiſſe poſt Conciliū, ſed medio concilij tēpore: Author hoc voluit, Sotum fuiſſe in cōcilio, & poſt concilium editum fuiſſe, vt etiam Couarruuias, Medina, & alij, editi fuerunt, quos tamē nemo damnauit quaſi aliquid concilio contrarium dicāt: vnde colligitur citari falsò concilium, dicen-

do

do ipſum determinaſſe immunitatẽ eſſe de iure divino;ſi enim hoc determinaſſet,prædicti authores damnati fuiſſent.

AVTHOR.

ET eorum demonſtratio eſt efficaciſſima:nam prętcr authoritatem affirmatiuam D.Pauli,D. Ioh.Chryſoſtomi,D. Thomæ:præter conſuetudinem primitiuæ Eccleſię, adferunt etiam duo argumẽta negatiua validiſſima,quæ talia ſunt:Si clerici & bona Eccleſiaſtica immunia ſũt iure diuino,vbi hoc ius habetur?in quo Euangelio? in qua epiſtola Apoſtolica?in quo libro Noui aut Veteris Teſtamẽti? Alterum argumẽtum eſt, Neminem ſęcularium Principum Chriſtianorum de trãquillo Reipublicę ſtatu ſollicitum,hanc libertatem curare,ſed permittere vt Eccleſiaſtici immunitatibus iis fruãtur, quibus ipſe vult eos frui,quę verò immunitates ipſi nõ videtur è re eſſe,non permittere vt iis fruãtur. Et quamuis nonnulli per legem humanam intelligãt Canonẽ:nihilominus quantum colligitur ex Doctrina primę Propoſitionis,intelligendum eſt Priuilegium Principis,& conſuetudo ab ipſo Principe diſſimulata, aut Canon receptus,qui non eſt ſupra ius diuinũ. Atq; ideò cùm ſecularis Princeps poteſtatem habeat in omnes ſuos ſubditos de iure diuino:nõ video,quomodo hæc eius poteſtas diminui poſſit,vel auferri à Canone,qui ius humanum eſt: iuxta tritam Iuriſconſultorũ regulam,Quotieſcunque concurrunt duo iura, minus debet cedere maiori.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

AD rationes affirmatiuas iam reſponſum eſt, nec oportebat eadem toties repetere, tantùmmodò vt liber maior euaderet. Ad primam rationem negatiuam reſpondeo multos authores Catholicos tam Theologos quàm Canoniſtas, fusè hanc materiam, tractaſſe, in quorum libris quærenda ſunt eorum ſententiæ fundamenta. Et nos ſuperiùs paucis attigimus aliquot loca veteris & noui Teſtamenti, vt ille eſt Gen. 47. & alius 1. Eſdræ, cap. 7. & Euangelij Matth. cap. 17. Ergo liberi ſunt filij, vbi per filios intelliguntur Eccleſiaſtici, ſecundum expoſitionem Hieronymi & Auguſtini. Nec ſolùm per ius diuinum intelligitur Scriptura Sancta, ſed etiam lumen naturale, ſiue ratio, aut lex naturalis. Et hoc modo loquitur Iohannes Driedo, 1. de libertate Chriſtiana, cap. 9. immunitatem Eccleſiaſticam eſſe de iure diuino, eſt enim à ratione & lumine naturali indita: quilibet enim naturaliter intelligit perſonas & res Deo cõſecratas, proprias eſſe Dei, ideóque rationem nullam eſſe ob quam Principes ſæculares in eas habeant poteſtatem. Hoc verò eſſe lumen naturale, inde colligi poteſt quòd in omnibus religionibus ſeu veris, ſeu falſis, hæc immunitatis lex obſeruata ſit. Ita legimus Exodi cap. 30. & Numer. 1. apud Hebræos, Leuitas, & Geneſ. cap. 41. Ægyptios Sacerdotes, & 2. Oeconom. Ariſtotelis, Græcos myſtas, liberos & immunes fuiſſe: id ipsũ apud alios populos in vſu fuiſſe teſtatur Cæſar C. 6. de Bello Gallico, & Plutarchus in vita Camilli,

& alij authores, quos breuitatis cauſa omitto. Ad ſecundam rationem negatiuam reſpondeo, rationem illam apud Sotum aut Couarruuiam nō legi, ſed eam ex proprio cerebro authorem effinxiſſe: nec ratio eſt, ſed calumnia aduerſus omnes Principes, ac ſi eſſent Machiauelliſtæ, aut concederent & tollerēt Clericis immunitatē, prout vtile vel inutile fuerit Reipublicę. Nos verò ſcimus, in Eccleſia Dei multos eſſe Principes religioſos & pios, Deū timentes, vt par eſt. Sed ſi verū eſſet, quod tamen non conceditur, multos Principes non permittere immunitatem, niſi quatenus vtilis eſt Reipublicæ, quis erit ille modus argumentandi? Multi Principes non concedunt immunitatem: ergo nō eſt de iure diuino? quod perinde eſt ac ſi diceret: Multi Chriſtiani furantur, mœchantur, falſa teſtimonia dicunt, ergo præcepta nō furaberis, non mœchaberis, nō falſum teſtimonium dices, nō ſunt de iure diuino. Probandum fuiſſet, Principes non cōcedentes immunitatē, niſi quando eis placet, benè facere, aut non malè facere: & tunc rectè concluderetur non eſſe de iure diuino, ſed è ſimplici facto, aut vt meliùs dicatur, ex præuaricatione ſimplici vnius legis, colligi non poteſt, eam legem non eſſe de iure diuino. Diſcurſus poſtmodū authoris, circa ius humanum, an ius canonicum, an priuilegium Principis aut cōſuetudo ſit, omnino vanus eſt: immunitas enim Eccleſiaſticorū præterquàm quòd ſit de iure diuino, iuris etiā humani eſt omnib. modis. De hac enim exemptione inueniūtur plurimę leges ciuiles, multi Canones, & antiquiſſima conſuetudo, quod quidē nonniſi ab iis qui nihil legerūt, negari poteſt. Demū hæc cōcluſio, quòd Prin-

cipi ſæculari, non poſſit auferri, vel imminui poteſtas in Eccleſiaſticos, per qualemcunque Canonem, cùm ſit Canon de iure humano, poteſtas autem Principis de iure diuino: falſa eſt, collecta ex falſis principiis quæ repugnat omnibus Doctoribus Catholicis, tam Theologis, quàm Canoniſtis. falſam eſſe manifeſtum eſt: aduerſatur enim plurimis decretis & conciliis, ſummis Pontificibus, ipſiſmet etiam legibus Imperialibus, & lumini naturali, vt ſuprà demonſtratum eſt. Ex falſo principio collectam eſſe, probatum eſt in reſpõſione ad primam Propoſitionem, vbi declaratũ eſt, poteſtatem Principum in laicos non eſſe de iure diuino, vnde nec in clericos de iure diuino erit. Eſſe autem hanc rationem contra omnes doctores Catholicos, tam Theologos quàm Canoniſtas, clarè apparet Sotus enim & Couarruuias anteſignari inter eos, qui dicunt immunitatem Eccleſiaſticam non eſſe de iure diuino, ſcribunt ſummum Pontificem potuiſſe eximere Eccleſiaſticos, omnéſque Principes teneri hanc immunitatẽ agnoſcere, nullúmque eorum, nec omnes ſimul eam tollere vel imminuere poſſe: & hoc quidem dicunt iiſdem in locis, quæ ipſe author pro ſe allegat. Hinc ſequitur hunc authorem Venetos docuiſſe doctrinam nouam erroneam, ſcandaloſam, ſchiſmaticam & ſeditioſam: & ſi quidem negauerit eam eſſe nouam, alios tamen non inueniet authores & ſocios, quàm hæreticos & ſchiſmaticos, ac ſpeciatim Petrum Martyrem Lutheranum, qui ſcribens in epiſt. ad Romanos, & cap. 13. exponens, hæc eadem omnino verba adfert, quæ ſcribit hîc noſter aduerſarius.

Marſilius.

QVãtum librum facere poteſt ſola eius quod dictum eſt commemoratio: nec ea reſponſio liber eſt,ſed epiſtola duorum foliorum, adeò vt immeritò Illuſtriſſima ſua Dominatio Authorem arguat:vnde.

Errat I.quia dicit authorem rationes affirmatiuas repetere vt magnum librum faciat: eas non repetit,ſed commemorat iuxta omnium ſcriptorũ conſuetudinem.

Errat I I. quia dicit ſe rationi negatiuæ reſpondiſſe,attamen,vt probatum eſt, Illuſtriſſima ſua Dominatio non reſpondit,imò ſoluta ſunt omnia eius argumenta,inſuper vt ſuam de iure diuino opinionem tueretur,cùm nullum in Scriptura locũ pro ſe reperiret,incidit in doctrinam nouiſſimam, dicens immunitatem eſſe de iure gentium,& hoc, de iure gentium,ſignificare, de iure diuino: ſed non mirum eſt,cùm enim Illuſtriſſima ſua Dominatio ſcribere deberet gratificandi cauſa,vt creditur,contra id quod iam anteà ſcripſerat,iuxta probatos authores,non potuit quin incideret in eiuſmodi nouitates.

Errat I I I.quia dicit doctrinam de reuocatione priuilegiorum,cogente neceſsitate, non eſſe authorum illorum citatorum,attamen non modò eſt eorum doctrina, ſed etiam omnium qui materiam tractant de priuilegiis,nec propterea Machiauelliſtæ dici debent: hæc enim ſecta magis eſt alibi diſſeminata quàm Venetiis: Venetiis ad aliud non attenditur, quàm ad quietem publicam, ad

Religionem, ad Iuſtitiam, & vrgente aliqua neceſſitate, ad vim vi repellendam; res omnes à Deo permiſſas, ab Authoribus Catholicis, & de iure naturę, quod omnibus etiam Mundi authoribus tacentibus, ipſum nobis eſſet lex, ad Rom.c.1.

Errat IV. quia diuiſionem illam iuris naturæ, Canonici, priuilegij Principis, conſuetudinis reprehendit, omnes tamen eam huc adferunt, eſtque neceſſaria.

Errat V. quia loquitur manifeſtè contra textum D.Pauli, ad Rom.c. 13. [omnis Poteſtas eſt à Deo:] & contra textum Sap.16. [ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones] & paulò poſt, [quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſsimo:] dicit verò dominus Cardinalis, ſe probaſſe poteſtatem Principis in Laicos, non eſſe de iure diuino, ſed de iure humano, multóque minùs in Clericos. Qualis ſit hic modus loquendi, eũ audienti conſiderandum mitto: quod de immunitate aſſerit Illuſtriſsima ſua dominatio, dici nullo modo poteſt, quin Sacris literis contradicatur.

Errat VI. quia dicit Principi poteſtatem auferri & imminui poſſe à Canone, quod falſum eſt de iure, nec id dicet vnquam bonus vllus Theologus: fatebitur quidem Pontificem poſſe Principem admonere eúmque hortari vt ſuos Canones de immunitate recipiat, ſed quòd eum poſsit cogere de iure diuino, vbi de rebus ſpiritualibus & iuſtis non agitur, hóc ego nuſquam legi: imò D. Bernardus reprehendit Papam Eugenium, [quid alienos fines inuaditis? ſi voles vtrumque, perdes vtrumque.]

Errat VII. quia licèt verùm ſit poſſe ſummum

Ponti-

Pontificem canones facere circa immunitatem, aliáque,tamen canon vim non habet, vbi legitimè non eſt promulgatus, & receptus, cùm enim ſit lex humana ſecundùm omnes doctores, vt obliget, eſſentialibus hiſce duobus conditionibus opus habet: vnde ſacrum concilium Tridentinum non obligat in quibuſdam Prouinciis, quòd nec ritè promulgatum,nec receptum fuerit, aliíque pariter canones in aliis locis non obligant: nec vllus Doctor, quod ſciam, de hoc vnquam dubitauit:& Couarruuias,Sotus, Nauarrus, requirunt ſemper præter canonem, partium prætendentium conſenſum: aliàs enim cùm non ſit Pontifex, dominus totius orbis in temporalibus, iure diuino, quum facit canones qui Iuriſdictioni Laicæ damno ſunt,oportet vt vim habeant,eos niti conſenſu illius qui iuriſdictionem habet,aliâs eſſent inutiles: hæc doctrida certiſſima eſt apud iam citatos, Couarruuiam, Sotum, Nauarrum, cap. Nouit Medinam, eóſque omnes qui ſolidè loquuntur.

Errat VIII. quia dicit Principes non poſſe Canonem receptorum authoritatem minuere, quod verum eſt, & hoc dicunt Sotus & Couarruuias, ſed intelligitur ordinariè, & quia poſtquàm Canonē aliquem receperint,indecēs eſſet leui de cauſa priuilegium ei tollere: ſed nemo negat poſſe priuilegio derogari, vrgente aliqua neceſſitate, vt legitur in iis omnibus qui tractant materiam de priuilegiis, imò Pontifices quotidie ſuis priuilegis derogant.

Errat vltimò, quia falſam illationem faciens, magnis contumeliis authorē afficit, ad quas non

reſpondetur : concludere ſufficit doctrinam ab Authore propoſitam, veriſſimam eſſe, Catholicam, & maximè firmum fundamentum in ſacris literis & ſanctis Patribus habentem, doctrinam verò domini Cardinalis epitheta illa mereri, quæ prudens Lector ei dabit, vbi defenſionem noſtram legerit.

Defenſio Sextæ Propoſitionis.

CAP. VIII.

Sexta Authoris Propoſitio.

DVm Princeps Venetus, legitimus & naturalis Dominus ſui ſtatus, qui excepto Deo, nullum alium ſuperiorē agnouit vnquam, leges ſtatuit ſupra bona Eccleſiaſticorum, quę ſub ſuo Dominio ſunt, punit Eccleſiaſticos in grauib⁹ & atrocibus delictis, ac de bonis nondū ad Eccleſiaſticos deuolutis diſponit, idque authoritate quam à Deo immediatè habet, qua nunquam priuatus fuit, aut conceſſo priuilegio, aut Canone recepto, imò in eius poſſeſſione eſt, immemorabili multorum ſæculorum, non annorum modò conſuetudine, non peccat: Ratio eſt, quia qui contra legem aliquam non facit, non peccat: multò minùs peccare dici debet is qui legem obſeruat: (à Bellarmino prætermiſſum) & prætereà qui retinet quod ſuum eſt, non peccat: nec cogi debet vt eorum opinionem ſequatur, qui immunitatem de iure diuino eſſe volunt: etenim omnis Chriſtianus in eligenda opinione quam ſequatur, liber eſt, modò ſit Chatholica, quinimò Doctoris alicuius opinionem contra reliquum vulgus amplecti,

nor

non eſt peccatum, vt rectè Nauarrus probat in ſuis præludiis: ergo peccatum non erit, D. Pauli, ac tot tantorúmque doctorum in prima & quinta propoſit. citatorum, doctrinam amplecti: quinetiam, vt verum dicam eos excuſare nequeo, qui immunitatem Eccleſiaſticam putant eſſe de iure diuino, videntúrque mihi modò parùm fundati modò parùm circumſpecti, modò nimis temerarij, modò nimis adulatores.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

TAndem poſt multas ambages author redit ad propoſitum, & ſcopum ſuum penitus explicat. Sed quia loqui non poteſt, niſi omnis generis errores in ſuo diſcurſu immiſceat, eo modo Venetorum Principem depingit, acſi eſſet Monarchia abſolutus, dicens eum eſſe naturalem ſui ſtatus dominum. Si ita eſt, Reſpublica Veneta libertatem perdidit, nec verè vocari poteſt Reſpublica, quia Dominum habet, & naturalem Dominum. Dominus ille eſt qui de ſuo facere poteſt quod vult, vẽdere illud, donare oppignerare, commutare. Dominus autem naturalis eſt, qui dominium habet ex hæreditate, ſucceſſione ſanguinis, aut ortu, non electione, aut donatione. An hoc modo conueniat Duci Veneto, vt ſit naturalis Dominus Status Veneti, iudicio vniuſcuiuſque qui res eius Reip. norit, id committo. Præterea dicens hæc author Principem Venetũ non agnoſcere ſuperiorẽ in temporalibus, excepto Deo, quid eſt hoc aliud quã facere eum Dominũ abſo-

lutum, vt ſunt Reges, in quos Reſpublica omnem ſuam poteſtatem transtulit? Verum ſi Reſpublica Veneta, vera & libera Reſpublica eſt, vt ipſa prętendit, non tranſtulit in Principem ſuam omnẽ poteſtatem, ſed partem illam ei cõmunicauit, quæ ſibi placuit, quã etiam augere & minuere, totámq; auferre poteſt, vti etiam Principem pœna mortis punire, quum ſe Dominus faceret, vt iam ſemel exempluum prębuit in perſona Marini Fallerij: ac proinde Dux Venetus nõ ſolùm pro ſuo ſuperiori in temporalibus, Deum agnoſcere debet, ſed etiã Rempublicam, vel potiùs magnum concilium. Sed mittamus ipſos errores, qui ſi Venetos non premunt, multò minùs exteros prement. Veniamus ad ſtatum controuerſiæ. Affirmat hic Author Ducem Venetum non peccare ſtatuendo leges in præiudicium Eccleſiæ, vt ſcilicet incarcerentur Eccleſiaſtici, quam ob cauſam reprehenſus eſt à ſummo Pontifice, & dum eidem non obediret, excommunicatus: ipſum verò non peccare, tripliciter probat. Primò, quia habet à Deo poteſtatem immediatè in perſonas & bona Eccleſiaſtica. Secundò, quia hac poteſtate, nec per priuilegia, nec per canones receptos priuatus eſt. Tertiò, quia in poſſeſſione eſt, tempore iam immemorabili. Has rationes diſcutiamus. Prima ratio falſa eſt, non ſolùm ob ea quæ diximus in primæ Propoſitionis refutatione, Sed etiam ob id quod author adiungit hoc in loco, & per euidentem experientiam. Dicit enim hîc Author, Ducem punire poſſe Eccleſiaſticos in grauibus & atrocibus delictis, quod arguit ipſum à Deo non habere immeditè poteſtatem, ſed à quopiam alio qui eam limitate

limitatè conceſſit: nam ſi de iure diuiuo immediatè poteſtatem haberet in Eccleſiaſticos, eam haberet in omnes exceſſus tam graues quàm leues, atroces quàm non atroces. Dicit pariter Ducem diſponere poſſe de bonis nondum ad Eccleſiaſticos deuolutis, quid ea limitatio ſignificat? aliud nihil, quàm quòd non habeat poteſtatem abſolutam in bona Eccleſiaſtica, atque ideò non habere à Deo immediatè: nõ ſi hoc modo haberet, nemo eius poteſtatem reſtringere & limitare poſſet, vt nemo Pontificis poteſtatem limitare poteſt. Ad hæc quæro, an Reſpublica imminuere & augere poſſit authoritatem Ducis, eúmque Magiſtratu abdicare, & an viuat ad modum legum Venetarum, néc ne? certum eſt poſſe, aliàs enim libera non eſſet. Dux igitur immediatè à Deo poteſtatem non habet, ſed à Republica, & ita poteſtas Ducis humana, eſt limitata, ſubiecta poteſtati maiori, etiam humanæ. Secunda ratio ſimiliter falſa eſt: quia ſi Dux aut Princeps non eſt ſpoliatus poteſtate ſua per priuilegia perſonis Eccleſiaſticis ab ipſo conceſſa: hoc ideò eſt quòd ſpoliari non poſſit, niſi veſtitus, & Princeps Venetus non fuerit vnquam tali poteſtate veſtitus, cùm Reſpublica Veneta modò exerta ſit, quando Eccleſiaſtici à poteſtate laica iam immunes erant: quamuis etiam dici poſſit, dum laicus fit Eccleſiaſticus, tunc Principem priuari ſua poteſtate, quam in eiuſmodi perſonam habebat, ob priuilegium diuinum Eccleſiaſticis datum, & Canones plurimos in toto orbe Chriſtiano receptos, quibus nec vllus Princeps, nec omnes ſi-

mul derogare poſſint, vt paulò ſuperius demonſtrauimus authoritate Soti & Couarruuiæ, quos pro ſe allegauerat aduerſarius. Et ſi non fuiſſet aliud, ſufficere debuiſſet Canon ille celeberrimùs, ſi quis ſuadente, 17. quæſt. 4. vbi omnes illi excommunicantur, qui clericis aut monachis violentas manus iniiciunt, reſeruata abſolutione ſedi Apoſtolicæ: nec ibi excipiuntur Principes, aut alij Domini ſæculares. Et hic Canon, non modò nunquam fuit reuocatus, ſed Martinus V. in Concilio Conſtantin. cùm vellet excommunicationis illius ſeueritatem mitigare, ordinando vt cum excommunicatis verſari liceret, eos nihilominùs excepit qui nominatim declarati ſunt excommunicari, & qui palàm iniiciunt manus in perſonas Eccleſiaſticas: tales enim ſine alia declaratione via ivoluit, neque illis prodeſſe hanc ſuam indulgentiam. Tertia ratio poſſeſſionis immemorabilis refutatur ipſiſmet Venetorum verbis: non enim aliam ob cauſam anno 1605. renouarunt legem quandam, aut vt illi vocant, Partem factam iam anno 1536. ne Eccleſiis donentur bona immobilia, niſi quòd nunquam ad hoc vſque tempus obſeruata fuiſſet, vt ipſi fatentur. Accedit hiſce: quæ poſſeſſio, quæ conſuetudo valere poteſt aduerſus veritatem, charitatem, & iuſtitiam? atque ideò nimis eſt enormis falſitas, Ducem Venetum non peccare, dum eiuſmodi leges ponit, & perſonas Eccleſiaſticas in carceres coniicit. Deinde qui hoc tempore videt vel audit grauiſſimos & horrendos Ducis Veneti, quos perpetrat, exceſſus, dum Sacerdotes & Religioſos in vincula coniicit, ad vio-

ad violandum Apoſtolicum interdictum Eccleſiaſticos cogit, monaſteria militibus implet, ac demũ ceu Valens olim Imperator, & Hunericus Vandalorum Rex, Arrianus vterque publica perſecutione Eccleſiam moleſtat, qua ratione dicere poteſt, ducem hunc non peccare, niſi fortè ab affectibus ſuis excæcatus, &, vt inquit Apoſtolus, in reprobum ſenſum datus ſit. Omitto reliqua Authoris verba, quum dicit, eum non peccare, qui non agit contra legem, qui obſeruat legem, & qui ſequitur doctrinã D. Pauli, ſunt enim res notæ nimis, & dignæ potiùs leui puerulo, quàm graui Theologo. Verùm vltima cenſura quam adhibet author, dum ait eos qui volunt immunitatem Eccleſiaſticam eſſe de iure diuino, ſibi videri, modò parùm fundatos, modò parùm circumſpectos, modò nimis temerarios, modò nimis adulatores, non eſt cenſura lata aduerſus homines, ſed blaſphemia in Spiritum S. prolata. Cùm enim hæc ſententia expreſſa ſit à Conciliis generalibus Lateranenſi & Tridentino, ac verè dicatur, Concilia generalia congregata eſſe à Spiritu S. atque ideò rectè dicatur cum Concilio primo Hieroſolymitano: Viſum eſt Spiritui S. & nobis, hinc ſequitur Spiritum S. modò parùm eſſe fundatum, modò parùm circumſpectum, modò nimis temerarium, modo nimis adulatorem, ſi aduerſarius in ſua cenſura non mentitur.

DEFENSIO.

Marſilius.

CVm prius author probauerit Principis tẽporalis Poteſtatẽ eſſe immediatè à Deo, quãuis

humanus ſit modus eam conſequendi, nullúmque ſubditum ab ipſomet Deo exemptum fuiſſe à legibus iuſtiſque mandatis illius poteſtatis: ampliùs, Pontificis poteſtatem, quamuis ſit ſpiritualis, prohibere non poſſe ne temporalis poteſtas iuſtum ſuum Dominium in ſuos ſubditos exerceat: & duobus hiſce principiis euidenter probatis, neceſſariam conſequentiam educit nimirùm, Pontificem dum Spirituali ſua poteſtate imperat Principi Veneto, ne temporalem ſuam exerceat in ſuos ſubditos, obligatum non eſſe Principem Venetum ad obediendum, & quum non obedit, non peccare: non video quàm rectior via eligi potuerit, interim tamē Dominus Cardinalis authorē ambages egiſſe dicit. Verùm quoniam aſſerit eundem authorem non poſſe loqui, niſi omnis generis errores immiſceat, erit quoq; neceſſe vindicare illum ab hac calumnia, probando non eſſe errores in Authoris dictis, ſed potiùs in Obiectionibus, eóq; magis inexcuſabiles, quòd opponens errando, alterius doctrinam erroris inſimulet.

Errat 1. quia cùm ſereniſſima Reſpublica, ſit Princeps naturalis ſui Dominij, nec vnquam in Authoris Propoſitionib⁹ ſermo de Duce factus ſit, ſed vel deSenatu, vel de Republica, vel dePrincipe, Dominus Cardinalis vocem Principis cum voce Ducis, & ſimul cū hac Poteſtatem perſonarū confundit, adeò vt per Principem Venetum intelligat Ducem, Dux tamen eſt ſolum caput Reipublicæ, quæ verus eſt Princeps: eſt adeò inſignis hic error Domini Cardinalis, vt cum quilibet videat & cognoſcat, & hoc vnum reliquæ ſuarum Obiectionum partis vim & authoritatem infirmare potuit.

Errat

Errat II. quia oſtendit ſe authorem adeò parui pendere, vt exiſtimet, illum neſcire diſtinguere Principem quando Rempublicam & quando Ducem ſignificat, qui perſona eſt particularis, prima tamen in Republica: aut illos qui hoc authoris opus recognouerunt, adeò cæcos fuiſſe, vt errorem tam euidentem non animaduerterint: ſed Dominus Cardinalis ita eſt ſollicitus ac diligens in ſpinis inter flores inueniendis vt mirum non ſit, illum quandoq; res confuſo quodam & deprauato modo videre, ac erroris nomen virtuti tribuere.

Errat III. quia cùm in hac Reſponſione non fiat mẽtio Ducis, ſed Reipublicę, & Senatus neq; hîc agatur niſi de ipſius Dominio & Poteſtate, facile illi erat intelligere, vocem Principis, cùm ſit generica, ac tam Imperatoribus & Regibus, quàm Rebuſpublicis cõmunis, hoc loco non Ducẽ, ſed Rempublicã ſignificare: præter hoc quòd aliũ ſenſum authoris verba non patiantur: dicit enim Principẽ Venetum nunquã ſuperiorẽ in temporalibus agnouiſſe, excepto Deo: de Duce id intelligi non poteſt, quî cùm eſſet Marci procurator, ducẽ agnoſcebat ſuum Superiorem, nunc verò cùm Dux ſit, Superiorem agnoſcit ſuam Rempublicam.

Errat IV. quia cùm Author in ſua Reſponſione nuſquam mentionem fecerit de Duce, nec de eius perſona, & ne minimũ quid dixerit quod ad ipſum eiúſve dignitatem referatur, ipſe tamen non modò voce Ducis vtitur, ſed etiã ab omni ratione alieniſſimus, de perſona eius ſermonem inſtituit: ex quo nonnulli contemplationibus dediti (magno cum fundamento) collegerunt, iſtud non errorem

eſſe à Domino Cardinali, caſu factũ, ſed dedita operâ, vt occaſionẽ ſumeret Propoſitionum Authorem in odiũ cõiiciendi apud Rempublicam libertatis ſuæ amãtiſſimam, dicendo illũ facere Ducem Reipublicæ Dominum, atque de perſona Ducis ſit agendi vt in animis totius Reipublicæ ſiniſtra quędam excitaretur opinio, vel affectatæ potentiæ, vel minus puræ religionis: quod ex ipſius ſermonibus euidenter colligitur, qui aliò non tendunt, quàm vt ſerant diſſidia, odia & ſeditiones. Verum quidẽ eſt, ſicut hoc faciendi occaſio fuit nimis longè petita, effectum etiam nullum fuiſſe: quinimò aduertẽtes Domini Veneti, quàm iniuſtè velit Dominus Cardinalis authorem illum apud ipſos in inuidiam rapere, eum amabunt, eíq; magis fauebunt quàm anteà vnquam: & conſcij virtutis ſui ipſorum Ducis, ac quàm ſint actiones eius à calumniis alienæ, quas in ipſum ingerit Dominus Cardinalis, & videntes continua teſtimonia ſuæ integritatis, magnanimitatis, prudentię, & religionis, immortales Deo gratias agunt, quòd in hiſce motibus, tam fidelẽ & ſecurum Ducẽ ipſis prouiderit, virum, qui poſtquàm omnibus Reipublicæ muneribus functus eſt & apud multos Principes, Sereniſſimę Reipub. nomine legationes obiit nobiliſſimas, factus etiã generalis præfectus in terreſtri militia & Procurator D. Marci, nulla vnquam vel minima ſiniſtrè de ſe loquendi occaſione data, qui potiùs omnibus his magna cum laude & admiratione peractis hodie demum ceu Caput, maiori quàm hactenus vnquam honore & fama, Rempublicam regit.

Errat v. quia authori imponit quòd dixerit, Ducem leges condidiſſe: Author eiuſmodi fatuitatem

tatem non dicit: Princeps Venetus, id eſt Reſpublica, ea eſt quæ leges condit, non verò Dux, & author nuſquam Ducis meminit.

Errat VI. quia dicit latas eſſe Venetiis leges, quę Eccleſiaſticis & Eccleſiæ damno ſint: quotieſcunque Scripturæ locus adferetur aut Eccleſiæ definitio tanquam de fide, quòd eiuſmodi leges à Republica Veneta ſtatui non poſſint, quòd Eccleſiaſtici ob delicta ſæcularia non poſſint incarcerari, quòd Papa iure Pontificatus ſeſe poſſit in ſimilibus rebus immiſcere: dicemus leges illas eſſe contra Dei legem: ſed dum Princeps temporalem authoritatem à Deo abſolutam habet, iuxta Apoſtolos D. Petrum, & D Paulum, iuxta Sanctos Patres, iuxta definitionem de fide, Nicolai primi in epiſtola ad Michaëlem, quæ poteſtas ei à Pontifice in materia & delictis temporalibus limitari nequit, vt probatum eſt, qua Princeps ipſe nunquam fuit priuatus, actiones quas edit, Eccleſię non præiudicant dum intra ſuos limites manet, nec eos tranſgreditur. Dici potiùs poſſet Sanctitatem ſuam, dum Spiritualis Poteſtatis limites tranſgreditur, Principum temporalium quietem perturbare poſſe, imò opus eſſet vt ſæpius dicta pij Bernardi memoria repeteret, [Apoſtolis interdicitur Dominatio, indicitur miniſtratio. Petrus dare quod non habuit, non potuit, qui dixit illi claudo, argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, nempe corporalem ſanctitatem, ope Sanctitatis quā habebat, ac poteſtatis faciēdi miracula, & demū ea, [Quid alienos fines inuaditis? ſi voles vtrūq; perdes vtrūq; Quū verò Sāctitati ſuæ de hac immunitate verba fiunt,

radicem & fundamentũ quo nititur inquirere deberet,an ſit illud in Scriptura, an in Patribus, in priuilegio Principum,vel conſuetudine: & conſiderare diuerſos eſſe regionum ritus,diuersáq; priuilegia:tandémque videns Dominorum Venetorum finem eſſe optimum,nonmodò æternæ vitæ non contrarium, ſed idoneum ad Rempublicam Chriſtianam & Catholicam integris ſuis viribus conſeruandam,& ad Iuſtitiam retinendam, tum quoque vt Clerici ſe promptè ac ſeuerè caſtigatũ iri ob delicta ciuilia memores,in officio contineantur,eorũ actiones ſuo ſilentio probare: nam qui cõcedunt Pontifici authoritatem, quandoque ſeſe immiſcendi indirectè in temporalibus, eam ipſi concedunt vrgente ſumma quadam neceſſitate, & quum ad vitam æternam via ſubditis præpeditur: iam verò quoniam actiones & leges Dominorum Venetorum non modò viam non præpediunt ad vitam æternam,ſed eam potius magis planam faciléмque reddunt, quam videt neceſſitatem ſua Sanctitas,ob quam prohibere debeat leges politicas,quæ ſunt extra Iuriſdictionis ſuæ terminos?

Errat VII. quia fingit pro more ſuo, ſe vim argumenti non percipere:author argumẽtatur,nõ à poteſtate quam habet Princeps in genere à Deo,ſed ab ea poteſtate cuius exercitio ſe nunquã ſpoliauit,ſiue priuilegio conceſſo,ſiue recepto Canone,aut longa conſuetudine,quæ lex eſt,ad probandum actiones quas edit, iuxta poteſtatem illam,bonas eſſe & legitimas:ipſe verò arguit à particularibus hiſce actionibus, Principem aliam à Deo poteſtatem non habere. Princeps à Deo poteſtatem habet in res omnes temporales, ſed eam

exercet

exercet in has, non in illas: nam illas conceſſo priuilegio exemit à ſua poteſtate, has verò minimè, quod non arguit Deum conceſsiſſe ipſi poteſtatē limitatè, vt ait Illuſtriſsima ſua Dominatio, ſed ipſū ſibimet eam limitare per conceſſa priuilegia, ſiquidem nemo poteſt Principis temporalis poteſtatem limitare in temporalibus, quando non eſt tyrannica, nec vllum habet ſuperiorem præter Deum, multò minùs quum ad optimum finem exercetur.

Errat VIII. quia tribuit authori vt dicat, Ducem poſſe punire, diſponere, leges condere: Author nec voce Ducis vtitur, nec voce poteſt: ſed dicit Principem, id eſt, Rempublicam punire, diſponere, leges condere: res ſunt admodum diuerſæ, actus & poteſtas, poſſe leges condere, & leges condere.

Errat IX. quia in eo eſt, vt omnino velit authorem de Duce loqui: Author de Republica loquitur, quæ authoritatem habet in temporalibus, non autem Dux: Reſpublica enim ea eſt quæ Iuriſdictionem Principis Veneti exercet, non autē Dux.

Errat X. quia dicit authoritatem Reipublicæ in ſubditos, eſſe ab hominibus, authoritatem verò Pontificis à Deo. Hic error anteà fuit refutatus expreſsis verbis D. Pauli, Rom. 13. Sap. 6. éſtque manifeſtè contra Sacras literas.

Errat XI. quia dicit cùm orta ſit Reſpublica, quo tempore immunes erant Eccleſiaſtici, illam ſpoliari non potuiſſe eò quo nūquam induta fuit: Dominus Cardinalis probare tenebatur Eccleſiaſticos, tunc immunes fuiſſe, ſolum enim Friderici II. priuilegium adfert, quod nullius eſt momenti, imò dici poteſt id nuper tantùm fuiſſe, nec vllius

pretij deberet eſſe apud Eccleſiaſticos, cùm ipſe poſt illud priuilegium excommunicatus fuerit, & Imperio abdicatus à Gregorio IX. ac proinde omnes eius conſtitutiones abrogatæ fuerint. Sed Domini Veneti Iuſtinianum Imperatorem Sanctiſsimum imitati ſunt, cuius Nouella nunquam abrogata eſt, nec vllam Eccleſiaſticis immunitatem abſtulit, quam haberent; imò alia ipſis conceſſit.

Errat XII. quia dicit Principem vi characteris, authoritate ſpoliari quam habet in ſuos ſubditos: cùm hoc ſit expreſsè contra D. Paulum, & Sanctos ſuprà citatos in prima Propoſitione, nihil addam. Si Baptiſma non liberat à ſubiectione Principis, multò minùs Clericatus, vt optimè argumẽtatur Medina, q.15. de Reſtitutione, quod etiam argumentum à Nauarro cenſetur inſolubile, cap. Nouit. de iudic. Notab. 6.

Errat XIII. quia dicit Scripturam, Legem diuinam, Canones, Concilia, immunitatem Eccleſiaſticis conceſſiſſe: Scriptura hoc non præcipit, vt fatetur Illuſtriſſima ſua Dominatio in vltimo ſuo tractatu, neque lex Naturæ, quæ diuina eſt, id dictat: Concilia rem eiuſmodi nunquam definierunt, nec Canones tanquam de fide, vt probatum eſt: quòd autem extent quidam immunitatis Canones facti à Pontificibus: vbi ritè promulgati & recepti fuerunt, dico eſſe adhuc illos in robore ſuo, & extra caſum extremæ neceſſitatis, vt loquitur Sotus, & vt Couarruuias, ordinariè eis derogari non debere, vt in materia de Priuilegis definitur: ſed hoc ad rem non facit, quia Domini Veneti nullum vnquam Canonem recepe-

receperunt, qui repugnet legibus quas hodie ſtatuunt.

Errat XIV. quia citans Canonem dict. 17. queſt. 4. [Si quis ſuadente diabolo in Clericum manus violentas iniecerit] præſupponit Dominos Venetos ſuadente diabolo, manus violentas in Clericos inieciſſe: at hoc non fecerunt ſuadente diabolo, ſed ſuadente Deo, atque iuſtitia: Canon de priuatis iniuriis & offenſis loquitur, aliàs enim Iudices etiam Eccleſiaſtici huic ſubiecti eſſent: itaque Canon ille in ditione Veneta obſeruatur: nam ſi priuatus aliquis ſuadente diabolo manus in Clericum iniicit, & in excommunicationem incidit, abſolui poſtulat.

Errat XV. quia dicit Rempublicam ius non poſſidere iudiciorum quæ exercet, & legum quas cõdit: quod quàm falſum ſit, optimè probatum eſt à Doctiſsimo P. Magiſtro Paulo, Ordinis ſeruorum in ſuis conſiderationibus. Duo tantùm dicam, dicam, Legem quæ extat de hac materia, latam priùs fuiſſe anno 1333. non autem anno 1336. vt dicit Illuſtriſsima ſua Dominatio: nec, quia lex aliquando non obſeruatur, Princeps authoritate priuatur eam condendi, inſtaurandi, vel ampliandi: eadem enim authoritas qua primùm fuit lex condita, ſufficit ad eam inſtaurandam, ampliandam &c.

Errat XVI. quia Duci tribuit quod totius eſt reipublicæ, quæ id facere poteſt ad vim vi repellendam, & ne hæreſis in ditionem ſuam introducatur: & quia certò ſcit cenſuras nullas eſſe, nec de hoc dubitat: & quia immemorabiliter hoc poſsidet, nunquam ſcilicet huiuſ-

huiuſmodi interdictum in ſuo Dominio obſeruatum fuiſſe.

Errat XVII. quia Reſpublica milites non locat in Monaſteriis, vt dicit Dominus Cardinalis: & qui hoc retulit, verum non dixit: & multò minus verum eſt Eccleſiam publica perſecutione moleſtari, imò quod facit Reſpublica, in Eccleſiæ tutelam facit: quod ſi non ita eſt, dicat Dominus Cardinalis quam hæreſin foueat Reſpublica, quæ nil aliud prętendit, niſi vt ius ſuum conſeruet: vnde,

Errat XVIII. dum Rempublicam cum Arrianis Principibus comparat. Dicam ſemel, credunt Domini Cardinales Bellarminus & Baronius, homines terrefacere his ſuis Hæreticorum & Schiſmaticorum epithetis: nō ignoratur quid ſit Schiſma, quid Hæreſis, & ſi generale Concilium haberetur, vbi congregata eſſet tota Eccleſia, quę errare nequit, vt ſuadet ſacrum Concilium Tridentinum ſeſsione vltima, liquidò conſtaret qui ſint Hæretici, qui ſchiſmatici: interim dicere ſufficit Rempublicam non eſſe talem, imò maximè Catholicam, ſi aliàs vnquam: hæ tandem controuerſię finientur, & Domini Veneti non alij iudicabuntur, quàm qui ſemper fuerunt.

Errat XIX. quia cùm fateatur Illuſtriſsima ſua Dominatio, Concilium Lateranenſe non eſſe Generale, nec Tridentinum de immunitate loquatur, de qua opinionis contrariæ Authores loquuntur, cúmque neutrum in hoc negotio quicquam definierit de fide, dicendum non eſt habere illa parem anthoritatem cum illo Canone, de quo dicitur [Viſum eſt Spiritui S. & nobis.]

Errat vltimò, quia author epitheta illa non tribuit iis qui volunt immunitatem eſſe de iure diuino, largo modo, id eſt, per comparationem, & ſimilitudinem, vt ait Gloſſa, & intelliguntur Canones & concilia: ſed iis qui dicunt, eſſe immunitatem de iure diuino, iniuncta ſcilicet in ſcriptura, expreſſis verbis, vel de iure diuino naturali, alióve modo, quibus non dubium eſt quin eiuſmodi epitheta conueniant.

Defenſio Septimæ Propoſitionis.

CAP. VIII.

Septima Authoris Propoſitio.

DVm ſereniſſima Reſpub. nõ eſt reus, nec peccat, id faciens quod in ſuperiori Propoſitione dictum eſt, ſi à ſummo Pontifice Paulo v. in Monitorio cenſurarum ab ipſo promulgatarum excommunicetur, & loca ſacra inhibeantur, &c. nulla eſt eius ſententia, non ſolùm de iure poſitiuo, ob non ſeruatum ordinem præſcriptum à Canone de ſententia excommunicationis, in 6. vt in Manifeſto legitur, ſed etiam de iure diuino: nã poteſtas excommunicandi, eſt cõditionalis, ſi peccauerit in te frater tuus: adeò vt vbi non eſt peccatum, locum non habeat excommunicatio, ſitq; ſententia in eum lata qui non peccauit, vana, ex defectu materiæ. Ne quis autem quantumuis rudis, putet ſereniſſimam Rempub. licèt vt ſuprà eſt probatum, non peccarit neque peccet retinendo quod ſuum eſt, peccare nihilominus dum detra-

termino aſſignatis. Nec interpoſita eſt appellatio, nec cùm Papa ipſe ſit ſupremus Iudex, interponi potuit. Atque ideò obſeruatus eſt exactè integer ordo iudiciarius, præſcriptus à Canonibus de ſententia excommunic. in 6. Decebat aduerſarium producere Canonem aliquem, ac docere qua in re non fuerit obſeruatus: ſed quia facere hoc non poterat, ſufficit ei generalibus ſolùm terminis hanc rem attigiſſe, vt imperitos deciperet. Præterèa dicit ſententiam Domini noſtri nullam eſſe de iure diuino, ex defectu materiæ, quia excommunicatio, pœna eſt, quæ abſque culpa infligi nequit, atque ideò cùm Reſpublic. Veneta non peccarit, eam excommunicari non potuiſſe. Ad hoc reſpõſum eſt, & probatum peccaſſe grauiter Rempublicam, primò iniquas Eccleſiæ leges ſtatuendo, perſonas Eccleſiaſticas incarcerando, deinde dum manet inobediens ſummo Pontifici, & malè facta emendare non vult. Et quum fuiſſet dubium, num Reſpublica peccaſſet, néene, certum eſt eius rei iudicium non ad Remp. ſed ad Pontificem ceu iudicem ſupremum, pertinere. Quod quidem nec aduerſarius negare poteſt, qui propoſitione quarta aſſeruit Papæ poteſtatem eſſe ſuper peccata: ſi igitur Papa iudex eſt ſuper peccata, ad ipſum pertinebit diſcernere an res quæpiã peccatum ſit, necne, quemadmodum in figuram huius rei, in veteri Teſtamento, ſacerdotum erat iudicare leproſúſne aliquis eſſet, necne. Cùm autem ſummus Sacerdos iam iudicauerit Ducem Venetorum grauiter peccaſſe, & infectum eſſe lepra ſpirituali: atque ideò eum à conſortio fide-

ctat obedire Pontifici, & in ſententia ſua perma-
net: conſtantia enim in opinione laudabili, non
eſt pertinacia, & qui non peccauit, inobediens aut
pertinax dici non debet: ſiquidem qui legem ob-
ſeruat, facit opus ſanctum & monitorium, &
qui non obedit in rebus quę ſibi iniungi non poſ-
ſunt, peccatum non committit.

OBIECTIONES.

Bellarminus.

DVo affirmat aduerſarius in hac propoſitio-
ne: primum eſt excommunicationis & In-
terdicti ſententiam publicatam à ſanctiſſimo no-
ſtro Papa Paulo v. nullam eſſe de iure poſitiuo;
alterum eſt, nullam eſſe de iure diuino. In vtroq;
manifeſtè errat. Dicit ergo primò, eam ſenten-
tiam nullam eſſe de iure poſitiuo, quòd non
obſeruatus ordo præſcriptus à Canone de ſenten-
tia excommunicationis in 6. Hoc primum euiden-
ter eſt falſum, quia in titulo de ſent. excommun.
in 6. tres ſunt tantùm Canones qui ordinem iu-
ciarium determ[illegible]ite primo præcipitur
ſententia pr[illegible]ptis, in cap. Solet,
tuitur ne[illegible]icetur po[illegible]
nem. I[illegible]ubetur n[illegible]
cer[illegible] de re Can[illegible]
ſ[illegible]t trina mo[illegible]
[illegible]aciat ſente[illegible]
[illegible]ſatione [illegible]
[illegible]nctiſſim[illegible]
pr[illegible]

termino aſſignatis. Nec interpoſita eſt appellatio, nec cùm Papa ipſe ſit ſupremus Iudex, interponi potuit. Atque ideò obſeruatus eſt exactè integer ordo iudiciarius, præſcriptus à Canonibus de ſententia excommunic. in 6. Decebat aduerſarium producere Canonem aliquem, ac docere qua in re non fuerit obſeruatus: ſed quia facere hoc non poterat, ſufficit ei generalibus ſolùm terminis hanc rem attigiſſe, vt imperitos deciperet. Præterea dicit ſententiam Domini noſtri nullam eſſe de iure diuino, ex defectu materiæ, quia excommunicatio, pœna eſt, quæ abſque culpa infligi nequit, atque ideò cùm Reſpublic. Veneta non peccarit, eam excommunicari non potuiſſe. Ad hoc reſpōſum eſt, & probatum peccaſſe grauiter Rempublicam, primò iniquas Eccleſiæ leges ſtatuendo, perſonas Eccleſiaſticas incarcerando, deinde dum manet inobediens ſummo Pontifici, & malefacta emendare non vult. Et quum fuiſſet dubium, num Reſpublica peccaſſet, nécne, certum eſt eius rei iudicium non ad Remp. ſed ad Pontificem ceu iudicem ſupremum, pertinere. Quod quidem nec aduerſarius negare poteſt, qui propoſitione quarta aſſeruit Papæ poteſtatem eſſe ſuper [illegible] igitur Papa iudex eſt ſuper peccata, ad [illegible] nebit diſcernere an res quępiā peccae, c[illegible] modum in figuram huius [illegible] ſacerdotum erat iudi[illegible] necne. Cùm autem [illegible] cauerit Ducem Ve[illegible] & infectum eſſe le[illegible] um à conſortio fide-

lium mediante excommunicatione ſepararit, quo modo defendi aut excuſari poteſt? Dicere autem conſtantiam in bona opinione non eſſe pertinaciam, verum eſt, quamdiu quæſtio eſt dubia, ſed quando à Iudice iudicata & definita eſt, qualis hęc eſt de qua loquimur, perſuaſio eius qui Venetorum partes defendendas ſuſcepit, non eſt ampliùs opinio, ſed error, & cõſtantia in ea, pertinacia eſt.

DEFENSIO.

Marſilius.

DEfenſio ſeptimæ huius Propoſitionis eſt facilima, ſuperius enim Illuſtriſſimæ ſuæ Dominationis obiectiones validè ſunt de iure confutatæ, atque ideò ſupereſt modò vt quot errores in expoſitione facti committat, oſtendamus.

Errat 1. quia dicit Pontificem antequam proferret ſententiam contra Dominos Venetos, ter eos Canonicè admonuiſſe, primum tamen ipſius monitorium, non fuit monitorium, ſed ſententia declaratoria, & definitiua, quam nullum monitorium præceſſit. Ampliùs in tertio Monitorio cauſa adeſt emphiteoticorum, vt Romæ loquuntur, de qua nec in primo, nec in ſecundo monitorio fit mentio, adeò vt vel hoc ſolo nomine, ſi non alio, ſententia nulla ſit. Prætereà quando Monitoria non ſunt monitoria, ſed ſententiæ, quales hæ Sanctitatis ſuæ, hoc defectu laborant inexcuſabili, quíque cauſàm omnem nullam reddit, iuridicæ nimirum citationis defectu: ſed quia de hac materia egit eruditiſſimè ac determinauit in Authoris defenſionem R.P.M. Paulus Venetus Ordinis ſer-

ſenatorum in ſuiſ conſiderationibus, nihil addam.

Errat II. quia dicit Authorem debuiſſe pluribus oſtendere iuris poſitiui defectum, ſiquidem author eum ceu euidentem præſuppoſuit, quia Venetiis, nil toti populo erat notius: inſuper non multum in eo poſuit, nouit enim quid à Romanis reſpondeatur, quando Pontifex facit contra Canones, illum ſcilicet ſupra Canones eſſe: quod an verum eſſe queat in caſu noſtro, conſiderādum mitto domino Cardinali, cùm innititur ille Canon ordini fraternæ correctionis à Saluatore præſcripto, quem Pontifex immutare nequit.

Errat III. quia dicit Pontificis ſententiam non eſſe nullam de iure diuino, & Illuſtriſſima ſua dominatio dixit anteà dominos Venetos peccare grauiſſimè: non enim nego illam dixiſſe, eos peccare grauiſſimè: ſed non verum eſt illam hoc probaſſe, ſiquidem nullatenus probari poteſt, eum peccare qui non facit contra aliquam legem, qui retinet quod ſuum eſt mordicus, qui Deo potius obedit quàm hominibus, qui vim vi repellit: hæ ſunt dominorum Venetorum actiones. Ergo non peccāt: quod ab Authore validè probatum eſt, nec dominus Cardinalis eius doctrinæ quicquam oppoſuit, quod vel ſpecie tenus probabile quid haberet, ne dum quid certum aut demonſtratiuum, vt ipſe ait.

Errat IV. quia cùm dixiſſet author Pontificis poteſtatem extendi ad res ſpirituales, & eſſe ſuper peccato, infert ſpectare ad Pontificem iudicare ſemper & in omni cauſa an ſit peccatum, nécne:

Tertius error eſt,quia dicit,in hiſce controuerſiis ſufficere vt Papa dicat dominos Venetos peccare, ad credendum ſic eſſe,attamen peccatum facit primùm intentio praua,iuxta D. Bernardum, [tolle voluntatem,& infernus non erit,]deinde quòd ſit dictum,factum,concupitum, contra legem Dei, iuxta diuum Auguſtinum : itaque quum quis rectam habet intentionem,nec contra legem vllam quid facit, licèt Papa dicat eum peccare, non peccat,quod intelligitur ſecundùm omnes,vt dictum eſt, in re certa : iam autem quia Domini Veneti certò ſciunt ſe non peccare,& optimam intentionem habent,eis hoc ſcire ſufficit, nec opus habent ad Papæ iudicium confugere,maximè in controuerſia in qua vult eſſe iudex & pars.

Errat v.quia dicit ſupremum Iudicem iudicaſſe, Ducem eſſe lepra infectum,ergo eſt infectus:cùm tamen Sacerdos antiquus de lepra non iudicaret, ſed diceret,Leproſus es, ergo nolo in Templum intres:quod iudicium ad omnem medicum ſpectat,& ad quemlibet etiam, quum apparet lepra, nec latet aliquem eſſe leproſum. Inſuper ſi quis è Sacerdotibus antiquis dixiſſet aliquem eſſe leproſum,cùm tamen ſanus eſſet,ludibrio eſſet habitus. Tertiò, vt ſciatur an aliquis ſit leproſus in rebus dubiis,eatur ad Sacerdotem vel ad Doctores, at quum quis certus eſt ſe ſanũ eſſe, & non leproſũ, non opus eſt Medicũ conſulat,niſi fuerit phantaſtico illi ſimilis,quẽ cùm ſanus eſſet, quia dixit ei Medicus ipſum febricitare, febris ilicò corripuit, & obiit:denique ſi ſupremus Iudex, nempe Chriſtus, qui errare nequit, diceret contra Dominorum Venetorum iudicium ipſos in eo peccare,

Defenſio Octauæ Propoſitionis.
CAP. X.

Octaua Authoris Propoſitio.

VERVM eſt D. Gregorium Pontificem dicere, Paſtoris ſententiam iuſtam, iniuſtámve timendam eſſe. Sed hoc ad rem non facit: quia magnum eſt diſcrimen inter Iudicis Eccleſiaſtici ſententiam iniuſtam,& eam quę nulla eſt, vt affirmant doctiſſimè Nauarrus de cenſuris Eccleſiæ, cap. 27. & Sotus 4. Sentent. diſtinct. 22. addentes iniuſtam timeri, at nullam minimè obſeruari debere. Quapropter cùm cenſurę à ſummo Pontifice Paulo v. promulgatæ, vt dictum eſt, nullæ ſint ac futiles, quia ſunt inſtar ſcripti alicuius in aqua vel aëre formati, hoc eſt ſine fundamento & materia, cenſeo eas non debere obſeruari, in Eccleſia quoque veſtra nihil innouandũ eſſe(à Bellarmino prętermiſſum.)Nam licet Nauarrus loco cit.de inualida & nulla excommunicatione ſic loquatur:Sentẽtia, ſubaudi Iudicis Eccleſiaſtici, inualida ſeu nulla, nil aliud operatur in foro interiori ſiue exteriori, quàm quòd obligat excommunicatum ad ſeruandum eam, quoad populus ſibi perſuadeat vel perſuadere debeat cauſas nullitatis propter ſcandalum: nihilominùs tamen hæc doctrina mihi valdè fauet: ſiquidem toti populo Veneto nota eſt nullitatis cauſa, & ſi cui nõ eſſet, ex eo quod omnibus edicto ſuo declarauit Sereniſſimus Princeps, innoteſcere deberet: vnde tãtum abeſt vt ſit timẽdum ſcandalũ, vt potiùs dicã me Religioſos quoſdã excuſare non poſſe, qui ſiuę

ignorania,ſiue prauo alio affectu peccent, ciuitate excedere maluerunt, quàm in Sacramentis adminiſtrandis pergere, ſicuti in publicum & Religionis bonum ipſis à Principe iniungebatur: quo quidem facto omnes ſcandalizarunt, quia ipſi ſibi fuerunt lex, nec ab Eccleſia cathedrali aliiſque omnibus antiquiſſimis & ſanctiſſimis ordinibus religioſis exemplum ſumere voluerunt: quibus cum Chriſto dicam ſatius fore vt ſuſpenderentur molæ aſinariæ in colla eorum, vt non ſcandalizarent puſillos iſtos. Præterea Principis ſui naturalis libertatem defendere, qui fouet & conſeruat populo pacem, libertatem, religionem, eſt de iure naturæ, hoc eſt, diuino: & Eccleſiaſtica decreta ſunt de iure poſitiuo: quod illi cedere debet, multóque magis quando conſtat de nullitate: vnde quidam hallucinantur exiſtimantes hanc controuerſiam eſſe de fide, cùm ſit duntaxat de moribus: quòd ſi quid ſit expreſſum in ſacris literis, quod quidem rem de fide conſtitueret, eſt sereniſſimi Senatus ſententia, quæ à D. Paulo expreſſe docetur. Itaque, mi Domine, perge modò in celebrando, communicando, iiſque omnibus faciendis, quę in Eccleſia veſtra ante dictarum cenſurarum promulgationem fiebant, non ſolùm quia ſic te ſtatuiſſe ſcribis, ſed vt ſcandalum vites, tam quia ſententia nulla minimè eſt obſeruanda, quum de nullitate conſtat, quàm vt te à tuo capite, Principe videlicet in iuriſdictionis controuerſiis non ſepares, abſque vlla ratione: quinetiam exiſtimo ob eandem cauſam, eum qui die ſaltem feſto Miſſam non audiet, peccaturum: iam relinquet eam ſine legitima vlla cauſa, cùm vbique celebre-

celebretur, & ſententia nulla ſit. Noli timorem agnoſcere, vbi timor non eſt: noli trepidare, vbi non eſt timor: ne committe vt dicatur te Principi tuo ac Sereniſſimæ Reipublicæ fidem non ſeruaſſe, Filij matris meæ pugnauerunt contra me: ſed enitere vt Apoſtolico pręcepto pareas, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Hęc dico, non quòd de conſtantia tua dubitem, cùm certò ſciam te non minùs aliis omnibus huiuſce Ciuitatis, vitæ pro tuo Principe exponendę paratiſſimum eſſe: verùm vt cauſæ ipſius æquitas, quę tibi nota eſt, multò magis hoc meo reſponſo tibi innoteſcat. Denique ſcias velim Dominos Venetos licet ſub capitali poena iuſſerint vt Religioſi omnes apertas ſinant Eccleſias, &, ſicut hactenus, ſacra officia peragant, hoc non feciſſe, veritos ne qui ſunt benè affecti, verámque doctrinam ſequuntur, vt plerique omnes, ſecus eſſent facturi, quàm fecerint, pergentes nempe in celebratione, diuinorúmque omnium miniſteriorum exercitatione: verùm ne quis iſthęc vano quodam metu deſereret in ea Ciuitate quę ſemper Catholica fuit, & nunc, ſi aliàs vnquam, ſe talem profitetur. Itaque ferre non vult vt in pietatis exercitiis vlla mutatio appareat, vel vt eorundem intermiſſio cuipiam ſeſe præcipitandi anſam præbeat, cui malo pro Eccleſiæ conſeruatione Princeps modis omnibus de iure diuino mederi tenetur. Multas alias authoritates, & rationes, in hoc tractatu pro me adducere potuiſſem, ſed eas propter accelerationẽ quam requiris, & breuitatis ſtudio, miſſas facio, amplam huius materiæ tracta-

cipia, vanáque fundamenta proſtrauerimus, ac demonſtrauerimus ſententiam Domini noſtri Pauli Papæ V. validam & iuſtam, atque ita firmam & ſolidam eſſe, ac ſi marmori vel aeri inciſa eſſet, tutò concludere poſſumus eam timendam & obſeruandam eſſe, atque ideo Sacerdotibus Venetis, & ſub eorum Dominio exiſtentibus, omni cum diligentia ſeruandum eſſe interdictũ illud, niſi offendere velint Maieſtatem diuinam, & perdere ſalutem animarum ſuarum & populorum. Et hęc circa has octo Propoſitiónes dicta ſint. Verùm quia Aduerſarius ſub finem Propoſitionum ſuarum, inter alia abſurda, multos errores admiſcet, paucis eos ſigillatim detegemus.

Primò ait ſecundum doctrinam Nauarri, ſententiam excommunicationis quando nulla eſt, timendam eſſe & obſeruandam, donec populus de nullitate eius certior fiat, & hoc ad vitandum ſcandalum. Et adiungit populum plenè de nullitate excommunicationis per Ducis edictum inſtructũ eſſe. Hoc idem eſt ac ſi diceret, quando Iudex affirmat ſuam ſententiam eſſe iuſtam & validam, reus verò eam iniuſtam & nullam pronunciat, reo credendum eſſe, non Iudici. Doctrina ſanè tanto Theologo digniſſima. Et quæ ſententia erit vnquam iuſta validáque, vbi Reo credendum fuerit?

Secundò dicit ſe Religioſos quoſdam excuſare non poſſe, qui Venetiis excedere maluerunt, quàm officia diuina peragere, in quo plurimos ſcandalizarint. Excuſatione opus non habent hi religioſi; quòd ſi propter eorum obedientiam erga Pontificem nonnulli ſcandalizati ſunt, dicendum eſt illis, quod Saluator olim Phariſæis, Sinite illos, cæci

ſunt,& duces cæcorum,Matth. 15.

Tertiò dicit iuris eſſe diuini,defendere libertatem Principis ſui naturalis, ſententias autem Eccleſiaſticas eſſe iuris humani, quod iuri diuino cedit.Multum olei videtur hic Doctor perdidiſſe in iure diuino,quod ei ad ſingula verba in buccam venit: ex quo etiam naſcitur quòd tam diuinè argumentetur: Defendere libertatem Principis eſt de iure diuino:Ius humanum cedit iuri diuino,Sacerdotes igitur ad defendendam Ducis ſui libertatem,contemnere debent excommunicationes & interdictum Papæ.Sed nos ita reſpondemus, ſi eſt de iure diuino defendere libertatem Principis alicuius terreni , multò magis de iure diuino erit defendere libertatem Eccleſię,quæ ſponſa eſt cœleſtis Principis:præterea dicimus, libertatem quã hoc tempore Dux Venetus prætendit, libertatem eſſe coniiciendi in carceres,eos qui ſubditi eius nõ ſunt,& ſtatuendi leges contra iuſtitiam & pietatẽ, ac proinde de iure diuino eſſe eam non defendere,ſed potiùs impugnare:quibus adiungimus,ſententias Eccleſiaſticas,quoad poteſtatem , eſſe de iure diuino,& in Euangelio fundatas,Matth.18.

Quartò dicit aliquos decipi,putantes cõtrouerſiam hanc de fide eſſe,cùm ſit ſolùm de moribus, & ſi quid eius expreſſum ſit in Scriptura , quod quidem rem de fide conſtitueret,eſſe illud pro opinione Reipublicæ Venetæ,ſic expreſsè à D.Paulo edoctę.Reſpondeo principalem controuerſiam non eſſe de fide:ſed eos qui patrocinium ac defenſionem ſuſceperunt Reipublicæ Venetæ, errores in materia de fide in ſuis tractatibus immiſcuiſſe: Et aduerſarius qui ſolita ſua prudentia ait

Vene-

torum opinionem à diuo Paulo edoctam eſſe, non aduertit res eas quæ à diuo Paulo expreſsè edoctę ſunt, non poſſe nominari opiniones, ſequeretur enim de diui Pauli doctrina dubitari poſſe, cùm opinio incerta ſit & dubia. Veritas eſt, quòd opinio Venetorum nullo modo apud D. Paulum inueniatur, ſed hoc quidem apud eundem, Hebr. 13. ſcriptum reperitur: Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, tanquam pro animabus veſtris rationem reddituri: Et contra doctrinam hanc, quæ non opinio, ſed catholica & certiſſima fides eſt, agunt hoc tempore Veneti, decepti à vobis, non Doctoribus, ſed seductoribus.

Quintò dicit Sacerdotes non debere ſeparari à capite ſuo, quod eſt Princeps. Quid aliud diceret Proteſtantium hęreticorum aliquis in Anglia? Quis vnquam audiuit Principem ſæcularem caput eſſe Sacerdotum, ac proinde caput Eccleſiæ, niſi poſtquàm Rex Angliæ Henricus VIII. deſciuit à Papa, & nominari voluit caput Eccleſiæ Anglicanæ? attamen ait iſte non de fide, ſed de moribus agi.

Sextò laudat Eccleſiaſticos Venetos, qui parati ſunt ad vitam exponendam pro ſuo ipſorũ Principe. Noua iſthæc ſpecies eſt Sanctorum, qui exponere vitam volunt pro Principe cogente eos ad perpetranda ſacrilegia, & ne obediant Vicario Chriſti. Hactenus in laudem ſanctorum lectum eſt in officio diuino: Iſti ſunt triumphatores, qui contemnentes iuſſa Principum, meruerunt præmia æterna. Deinceps dicendùm erit: Iſti ſunt triũphatores, qui contempſerunt Deũ, vt ſeruarent

iuſſa Principum, ſi nouis hiſce Doctoribus fides adhibenda eſt.

Septimò dicit Dominos Venetos ſtatuiſſe pœnam capitalem Religioſis niſi Eccleſias apertas ſinant,& celebrent officia diuina, ne ſcilicet vano timore hæc intermittantur in ea ciuitate,quæ ſemper catholica fuit,& nunc,ſi aliàs vnquam, ſe talẽ profitetur. Ad hoc non ego reſpondebo, ſed dabo locum Spiritui S. vt ipſe reſpondeat per os Samuelis,1. Reg. 15. Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas,& non potiùs,vt obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare,& ſcelus Idololatriæ,nolle acquieſcere. Et vt non dicatur fieri hîc ſermonem de obedictia Deo debita,audiat quid dicat Dominus Lucæ 10. Qui vos audit,me audit:qui vos ſpernit,me ſpernit. Itaque certò ſciat respubl. Veneta diuina officia & ſacrificia Deo facta contra obedientiam Vicarij Chriſti,non placere Chriſto, nec placare, ſed magis excitare iram Dei aduerſus offerentes, vt eos, qui Sacerdotes ad offerendum compellunt.

Octauò monet vt doctrina legatur Nauarri ſolidiſsimi Doctoris,in cap.nouit.de Iudiciis,not.3. & in Manuali cap.27.de cenſuris,dicens ſe eum in omnibus ſupradictis fautorẽ habere. Adhortatur demum, vt quiſquis periculum declinare voluerit, ſe recipiat ad ſecuriſſimum notabilis illius doctrinę portum:quòd ſinguli Eccleſiaſtici,ſi aliqua immunitate fruantur,ea fruantur non iure diuino, ſed ex priuilegiis Principum, quę ab ipſis,

reuo-

reuocari, minui, & pro arbitrio ampliari & extendi poſſunt. Reſpondeo Nauarrum immeritò ab eo adferri, ac ſi faueret erroribus eius hactenus edoctis. Et quia libri impreſſi ſunt, ac omnium manibus teruntur, iudicio Lectoris rem committo. Sed quòd Principes ſeculares reuocare poſſint aut minuere priuilegia immunitatum quæ habent Eccleſiaſtici, eſt doctrina tam falſa & recens, vt, ſicuti ſuperiùs diximus, eam in ſpecie Couarruuias ipſe improbauerit, qui vnus tamen eſt authorum Eccleſiaſticæ immunitati minùs fauentiũ

Cùm iam ſatisfecerim, vt exiſtimo, omnibus huius authoris obiectionibus, reſtat ſolùm vt moneam, horter, & orem (vt ex toto corde facio) nobiliſſimam illam Rempublicam & sereniſſimum eius Principem, vt attentè conſiderent quibus Doctoribus ſe credant. Et ne longiùs abeam, hic Doctor, cui reſpondendum ſuſcepi, ait Nauarrum totum ſibi fauere, & tamen Nauarrus in ſumma c.25.n.16.dicit, peccatum eſſe cogere Eccleſiaſticos, aut eiſdem pręcipere ne ſeruẽt interdictum. Et cap. Nouit. de iudiciis, notab. 6. num. 30. Clericos & Monachos immunes eſſe à poteſtate Principum ſæcularium iure diuino, quoad cauſas criminales, & alia Clero adnexa, additque hanc eſſe cõmunem ſententiam Theologorum & Canoniſtarum. Igitur ex Nauarri ſententia peccat contra ius diuinum Princeps ille, qui Eccleſiaſticos aut Monachos in carceres coniicit, aut eoſdem præſumit iudicare in cauſa criminali: peccat etiam contra ius diuinum, quando clericis aut Monachis præcipit vt Miſſas celebrent aut diuina officia: ſunt enim hæ res ſpirituales: ac

tandem peccaret contra ius diuinum, ſi immunitatẽ eam quam clerici & Monachi habent à Deo, tollere aut minuere conaretur. Ecce igitur quàm falſa vos docuerit hic doctor,& quomodo ſub Nauarri nomine vobis impoſuerit. Idem faciunt omnes alij à quibus huc vſq; ſimilis materiæ libri, nouitatibus omnes & medaciis referti, in lucem prodierunt. Admoneo ſimul & rogo, vt cogitetis neminem filiis meliùs cupere, quàm Patrẽ & Matrem, & ideò dixiſſe Paulum, etiamſi multos habeatis pædagogos, non tamen habetis multos Patres. Mater veſtra eſt ſancta Eccleſia Romana, Pater veſter eſt ſummus Pontifex, qui loco Chriſti vos alit,& educat, donec perfecti ſitis & capaces hæreditatis Paradyſi. Ideò præſupponere debetis multò meliùs vobis cupere hanc matrem,& hunc patrem, quàm pædagogos iſtos, qui vos contrarias regulas docere conantur: Vltimò tandem hortor & obſecro attendatis diuina iudicia, quæ ſæpius etiam in hac vita manifeſtata ſunt. Legitur in vita Staniſlai Epiſcopi & Martyris, Papam Gregorium VII. ob peccata Regis Boleſlai tuliſſe interdictum in vniuerſam Poloniam, excommunicaſſe Regem, eidémque titulum Regium abſtuliſſe. Quia verò mãſit prædictus Rex induratus & impœnitens, Deus eum caſtigauit, faciens vt incolis contemptui, exteris execrationi eſſet: & quia nec dum cõuertebatur, ſecundũ flagellum ſubiunxit Deus, vt vna pars Regni rebellaret, in altera diſſentiones, & ſeditiones graues oborirentur: & cùm neque hoc ſufficeret, adiunxit tertium flagellum, vt ceu mente captus, dum per ſyluas vnà cum canibus errabundus diſcurreret,

reret, tandem die quodam repentina morte corrueret, & à propriis canibus diſcerperetur. Ecce finem horrendum eius qui excommunicationem & interdictũ Vicarij Chriſti ſpreuit,& nihilominùs hic nunquam auſus fuit præcipere,ne excommunicatio & interdictum ſeruaretur.Eundem finem habuit Ludouicus Bauarus Imperator, qui contemnens cenſuras Papæ Iohannis XII. & poſt hunc, Papæ Benedicti XXII.die quadam ex improuiſo irruente ſuper eum equo, ſubitanea morte extinctus,tantum ſpatij non habuit vt à peccatis & cenſuris abſolui potuerit, vt ſcribit Iohannes Villarus l.12. cap. 105. Idem Deus modò eſt qui tunc,eiuſdémque potentiæ cuius tunc: atque ideò ſi tam ſeuerè puniuit eos qui ad contemnendum cenſuras neminem impellebant,ſed ipſi tantùm eas ſpernebant, inſoliti nihil faceret, ſi hoc tempore puniret eos qui non ipſi ſolùm cenſuras nihili faciunt, ſed minus etiam mortis alios ad earum cõtemptum impellunt. Obediamus ergo Sp. S.qui in Pſalmo nos hortatur, Hodie ſi vocẽ eius audieritis,nolite obdurare corda veſtra. Et alibi: Nolite tangere Chriſtos meos. Et alibi. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus,& pereatis de via iuſta.

DEFENSIO.

Marſilius.

PRæterit dominus Cardinalis reſpõſionis Authoris finem, vt mutilata & deformis deſinat

in piſcem,ſed defectui ſupplebimus, ne vllo præcipuorum ſuorum membrorum priuata videatur. Quia verò Illuſtriſſima ſua dominatio determinat falſam eſſe authoris propoſitionem, quòd eam è falſis principiis educat,ab ipſo Domino proſtratis,nihilominùs cùm liquidò conſtet, hæc ſtare & quàm maximè firma eſſe, nulla ſubeſſe videtur occaſio, quæ ad eiuſmodi determinationem aliud reſponſum dare cogat, niſi quicquid ſuperiùs in defenſionem adductum eſt, repetendum foret: ideò ad errorum notationem tranſitum faciemus.

Errat I. quia duas actiones multùm inter ſe diſcrepantes confundit: actionem ſcilicet Iudicis ſuperioris, qui pro tribunali ſedens, Iudicis ſibi ſubiecti ſententiam iudicat nullam & inualidam, & actionem priuati alicuius, qui cenſet & habet eandem Iudicis illius ſententiam pro nulla & inualida, quia talem eam iudicat ob certam quam habet de ipſius nullitate perſuaſionem: enimuerò prima illa actio iuridica exerceri non poteſt, niſi ab eo, qui eiuſmodi authoritatem & ſuperioritatē habet: hanc verò ſecundam quilibet iudicio præditus exercere poteſt. Princeps Venetus,aut alij, dum iudicant,cenſent,& habent cenſuras ſuę Sanctitatis pro nullis & inualidis, id non faciunt tanquam Iudices ei ſuperiores in ſimilibus cauſis,ſed tanquam ij quibus ob rei perſpicuitatem, illas eo pretio habere licet,quod cùm priuato cuilibet facere ſit liberum, multò magis Principi licebit ad libertatem,pacem,& Religionem in ſua Ditione conſeruandam.

Errat

Errat II. quia dicit quum ſententia quæpiam iniuſta eſt & nulla, non Reo, id dicenti, ſed Iudici credendum eſſe. Author non dicit, aut Iudici, aut Reo credendum eſſe: nam vtrumque ſententia poteſt attinere, vt ita ob animi affectum vterque hallucinetur: verùm dicit ei fidem adhibendam qui certis & euidentibus rationibus opinionis ſuæ veritatē patefacit, neq; in hoc malè facit, cùm omnino id liceat, nulla enim vis & potentia iudicium & liberum hominis arbitrium cohibere poteſt ne quid ipſe pro certo affirmet, inductus ad hoc affirmandum & cenſendum à perſpicuitate & certitudine rationum quarundam, vel ne ij quibus declaratur & patefit eiuſmodi certitudo & perſpicuitas, idem, affirment & cenſeant: imò illi ipſi qui iniuſtæ ſententiæ executionem violentam in ſe patiuntur, quamuis eius executionem vitare nequeant, publicè tamen conqueruntur de iniuſtitia, nec ideò vituperari debent: igitur nec ij ſunt vituperandi qui nullitatem & iniuſtitiam cenſuræ contra ſe publicatæ patefaciunt, cùm non ſolùm eam nullam eſſe, ac iniuſtam cenſere & affirmare, ob huius perſpicuitatem, ſed eam quoque non obſeruare poſſint.

Errat III. quia dicit Religioſos qui Venetiis exceſſerunt, ſcandalum non præbuiſſe: nihil dicam quod ipſe finxerim deſignabo tantùm pauca quædam quæ audiui à populo ſcandalizato: dicebat primo paucos aliquot Religioſos iudicium ſuum præferre non debuiſſe Eccleſiæ Cathedrali, cuius obſeruantia Religioſis data erat ceu regula obſeruantiæ in cenſurarum materia, nec debuiſſe exemplo ſuo damnare alios æquè doctos & religioſos

ac ipſi ſibi eſſe perſuadebant. Secundò, dicebat illos id facere quòd Galeros purpureos, Epiſcopatus, & gratiam ſuæ ſanctitatis ambirent, non autem quòd reuera cauſam eſſe iuſtam exiſtimarent. Tertiò, cùm eos Princeps defendiſſet, protexiſſet, & adiuuiſſet in omnibus ipſorum neceſſitatibus & anguſtiis, malè facere dum fidem ei denegarent in cauſa temporali, in qua Princeps ipſe æquum bonúmq; diceret. Quartò, non reſpondere huic facto profeſſionem quam facerent, abeundi ſcilicet in regiones remotiſſimas, inter Indos, & Hæreticos, vt eos conuerterent, qui partim ſunt ethnici, partim excommunicati, cùm interim à fidelibus illis diſcederent qui iniuſtè erant excommunicati & interdicti. Tandem nonnulli dicebant, quòd ſi omnes reliqui illos in hoc diſceſſu imitati eſſent, Dominium Venetum fuiſſe inſtar paganiſmi ſine Sacerdotibus, vnde liberrimè lupi ouile Chriſti deuaſtaſſent. Scandali occaſionem augebant verba quę dictitabant ipſi Religioſi, eſſe nimirùm Pontificem Chriſtiani orbis Monarcham, eíq; obediēdum eſſe in omnibus, ſiue temporalia fuerint, ſiue Spiritualia, & ab omnibus. Hæc ſanè ſunt ſcandala excuſationem non admittentia, quæ niſi ab eorum authorum cæcitate manarint, eò magis culpandas eſſe ipſorum actiones dici debet.

Errat I V. quia concedens, Principi ſuo naturali obedire, & ad eius defenſionem cōcurrere, eſſe de iure diuino, ac ſententiam Pontificis eſſe de iure humano, conſequentiam negat abſq; vlla ratione, ſubditos nimirum benè feciſſe dum ſuo Principi potiùs quàm ſentētiæ Pontificis obediuerunt, nec

inſtan-

inſtantia quam adiungit Illuſtriſsima ſua dominatio, magis vrget quàm prima reſponſio, dum dicit ſi eſt de iure diuino Principis terreni libertatem defendere, multò magis eſt de iure diuino defendere libertatem Eccleſiæ, quæ ſponſa eſt Principis cœleſtis: quod verum eſt, ſed non ad rem, quia Domini Veneti nullam Eccleſiæ libertatẽ tollere prætendunt. Omnia namque in ſuo robore relinquentes, circa delicta & bona propriæ ipſorum Poteſtati ſubiecta leges ſtatuunt æquiſsimas, & ordinaria iudicia, quod ſemper fecerunt, abſque eo quòd alij Pontifices huius anteceſſores quicquam ideò mouerint, ſed potiùs ſuo ſilentio iuſtis ipſorum operationibus aſſenſum dederunt. Cùm itaque Venetiis nemo reperiatur, qui libertatem Eccleſiæ tollere procuret, non eſt quòd eam Eccleſiaſtici vindicare nitantur.

Errat v. quia vocem Ducis cum voce Principis confundit: Dux nihil ex ſeipſo facit Venetiis, ſed Princeps, id eſt Reſpublica, ea eſt quæ ordines aſſignat, & leges condit: atque ideo perſonę Ducis inuidiam conflare non opus eſt, ei tribuendo quod toti Reipublicę competit.

Errat vi. quia dicit Principem Venetũ eos qui non ſunt eius ſubditi in carceres coniicere: contrarium ſuperiùs iam probatum eſt, Clericos nempe in delictis grauibus quę ſpiritualia non attinent, immunes non eſſe, ac proinde eſſe ſubditos, & libertatem à Chriſto Domino noſtro Eccleſię ſuę conceſſam, Spiritus eſſe libertatem, & ratione ſeruitutis peccati, vt diuinè probatũ eſt, præter alia multa argumenta, & authoritates, diuiniſsima illa doctrina D. Thomæ in epiſt. ad Rom. cap. 13.

Errat vii. quia dicit leges, de quibus agitur, à

Dominis Venetis latas, repugnare iuſtitiæ & pietati: ad hoc nihil dicam, quia hæc Illuſtriſſimę ſuę Dominationis obiectio ab Illuſtriſſimo Domino Antonio Quirino Senatore ampliſſimo, eloquentiſſimè & ſolidiſſimè refutata eſt in ſuo cōſilio recèns in lucē edito, & à multùm R.P.N. Paulo Veneto ordinis ſeruorū in ſuis cōſiderationibus.

Errat VIII. quia monet ſententias Eccleſiaſticas, quoad poteſtatem, eſſe de iure diuino, quod non negatur, dum intra ſuos limites manent, ſed quum eos tranſgrediuntur, lædentes illos qui temporali ſua Poteſtate vtuntur, non modò non ſunt de iure diuino, quoad Poteſtatem, ſed ſunt contra ius diuinum, & præter omnem rationem.

Errat IX. quia concedens hanc controuerſiam non eſſe de fide, ſed de moribus, adiungit illud quod nec Illuſtriſſima ſua Dominatio, nec alij adhuc monſtrarunt, neque diuina fauente gratia, monſtrabitur, nempe in libris conſcriptis ab iis qui Sereniſſimæ huius Reipublicæ partes tuentur, errores eſſe in fide: error in fide eſt, quum dicitur aliquid aut contra ſacram Scripturam, aut contra Eccleſiæ definitionem, quæ non poteſt errare tanquam de fide, quod nemo probabit dictum vnquam fuiſſe ab vllo qui Sereniſſimæ Reipublicæ cauſam defendendam ſuſcepit. Quum de re tanti momenti agitur, ſubſiſtere non licet in vniuerſalibus, ſed ad particularia veniendum, vt ſermoni fides indubitata concilietur: intereáque benè de his ſentiendum qui accuſantur & reprehenduntur, nec tamen reprehenſionis cauſa demonſtratur.

Errat X. quia confundit principium cum concluſione,

ſione, quæ virtute continetur in principiis. Principium vnde Reipublicæ Venetæ opinio elicitur, eſt de fide, & apud D. Paulum, ad Rom. cap. 13. [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:] ſed concluſio eſt opinio certa, in iis omnibus fundata quę ſuperius dicta ſunt. Author non dixit principium à D. Paulo poſitum opinionem eſſe, ac verò dixit certam eſſe opinionem illam quę pro fundamento habet principium de fide, à D. Paulo poſitum: hunc itaque in modum ſubtilitas Domini Cardinalis euaneſcit.

Errat XI. quia locum D. Pauli, [Obedite prępoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant tanquam rationem pro animabus veſtris reddituri] intelligit quòd ſit eis obediendum in omnibus: attamen D. Paulus, qui de Principibus temporalibus dixerat, [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,] ne ſibi ipſi repugnet, eſt intelligendus, vt omnes eum intelligunt eo loco, de Poteſtate Spirituali, & in animas, quod oſtendit ratio quam dicti Præſules Deo ſunt reddituri, dicens eam fore pro animabus, non autem pro rebus temporalibus.

Errat XII. quia dicit Dominos Venetos facere contra dictam Apoſtoli doctrinam, iuxta authoris verba: author nunquam locutus eſt contra Apoſtolum imò propoſitione quarta ſtabiliit & confirmauit dictam Apoſtoli doctrinam, nec vnquã Domini Veneti rem vllam ei quod iubet Apoſtolus contrariam fecerunt, vt in tota hac defenſione demonſtratum eſt, Spiritualem Poteſtatem ordinatam in Pontifice agnoſcentes.

Errat XIII. quia Author non locutus eſt de ca-

pite in Spiritualibus, quod eſt Pontifex, ſed de capite in temporalibus, quod eſt Princeps, cui ſubditus multis variiſque nominibus obſtrictus eſt: legatur Homil. 23. D. Ioh. Chryſoſtomi in epiſt. ad Rom. ſed Proteſtantes aliter loquuntur, Principem temporalem dicentes caput etiam eſſe in Spiritualibus, quod non dicit author. Hoc loco communem illam Theologorum doctrinam commemorare mihi liceat, nempe finem qui operationem laudabilem & bonam reddit, eſſe primarium, non ſecundarium & conſequentem: exempli gratia, Chriſtus Dominus noſter mortem optauit, éique ſponte ſe expoſuit, quod cùm euenire non poſſet abſque peccato Iudæ, Pilati, Scribarum, & Phariſæorum, non ideò dici debet, Chriſtum pro fine habuiſſe horum peccatum ac ſuam illam immenſę Charitatis operationem, eo nomine culpandam eſſe: ſiquidem finis ſecundarius conſiderari non debet, ſed tantùm primarius, vt de actionis alicuius bonitate & iuſtitia iudicium feratur: ita dico ſubditi finem eſſe, temporali ſuo Principi obedire in iis quæ poteſt ipſe illi imperare, quod vbi pręſtare nequit niſi deſinat ſententiis nullis Pontificis obedire, dicendum non eſt, illius ſubditi actionem eſſe in Pontificis cõtemptum, ipſius enim finis eſt illi obedire cui eſt obligatus, quíque poteſt ipſi imperare, non autem contemnere Pontificem, eiúſque cenſuras, quas tamen omnino per neceſſariam conſequentiam non obſeruat, finem ſuperiorem & primarium, inferiori & accidentario præferens.

Errat XIIII. quia author nõ dixit ſubditos qui vitam exponunt vt Principi obediant, eúmque defendant, eſſe martyres, ſed dixit eos non malè, imò

benè

benè facere: nec de iis dici poterit, Iſti ſunt triumphatores, qui contempſerunt Deum, vt ſeruarent iuſſa Principũ, ſed potiùs, Iſti sũt triũphatores, qui vt ſeruarẽt iuſſa Dei, obediuerunt ſuis Principibus.

Errat xv. quia vocẽ Dei cõfundit cũ voce hominis. Samuel de voce Dei loquitur; qui errare nequit, & author loquitur de voce hominis, ad Hebr. c. 5. qui circundatus eſt infirmitate, & hoc modo intelli gũtur verba, [Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: id eſt, quando Præſules iuſta dicunt, & propriç Poteſtati cõformia, audiri debent: alias malè feciſſet D. Paulus, qui [reſtitit in faciem D. Petro, quia reprehenſibilis erat,] Gal. 5. Et ſi hçc vniuerſalis vèra eſſet, qui doctrinam Iohannis xxii amplexi eſſent. benè feciſſent, cùm tamen manifeſta fuerit hæreſis: dicebat enim animas beatorum non videre Deum quum primùm è corporibus migrarent, ſed oportere eas vſque ad Iudicij diem expectare, vt eum viderent: hanc fuiſſe Ioh. XXII doctrinam, expreſſe dicunt Adrianus Papa VI. & Gerſon. Serm. de Aſſump. Denique cur ſummiſtæ dicunt cenſuras nullas obſeruari non debere, ſi in omnibus, voci Pontificis aut inferiorum Præſulum obedire oporteat? quinimò vult Saluator examinari doctrinam, dicens Matth. 7. à fructibus eorum cognoſcetis eos: & D. Paulus 2. ad Tim. 4. ſignificans fore tempus quo nonnulli Præſules doctrinam ſanam non haberent, ſed ab humanis, ſuis affectibus duri ſe paterentur, diſcipulum ſuum Timotheum admonet, ne ſit ex eorum numero: vnde conſtat non eſſe cuiuis & in omnibus auſcultandum, ſed iis qui Sacræ Scripturç, veritati, exemplo Chriſti & ſanctorum conſona proponunt.

Errat XVI. quia Nauarri doctrinam repugnare dicit authoris doctrinæ, cuius tamen pars ex ipſis Nauarri verbis hactenus & valdè conformis clarè apparuit,& paulò inferiùs idem de reliqua doctrinæ authoris parte demonſtrabitur.

Errat XVII. quia falſam & nouam doctrinam vocat eam qua poſſunt Priuilegia minui, ampliari, &c.interim tamen Pontifices ſpirituali ſua poteſtate res eiuſmodi quotidie faciunt, cur ergo Principes ſua temporali idem non poterunt? Couarruuias & Sotus intelliguntur communiter & extra caſum neceſſitatis,ſed in caſu neceſſitatis, exempli cauſa ad vim repellendam,vt ait Sotus, vel ob aliam cauſam,vt omnes ij dicunt qui agunt de Priuilegiis, negari non poteſt Authoris doctrinã eſſe antiquiſsimam,tam de iure quàm de facto.

Errat XVIII. quia Nauarrus hoc vtens argumento, [Plus differt Chriſtianus à Pagano, quàm Clericus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus remanet ſubditus Principi laico, ergo multo magis Chriſtianus poſt clericatum remanet ſubditus Principi laico: ſtatuit hoc argumẽtum eſſe inſolubile, nec ſolui poſſe niſi immunitas de iure humano eſſe dicatur:legatur ipſe Doctor,incipiendo à numero citato à Dom.Cardinali vſque ad Corollarium.

Errat XIX. quia verum eſt, quòd iubere aliquẽ Interdictum validum non obſeruare, peccatum ſit, & hoc ipſum dicit Nauarrus, ſed loquitur author de inualido & nullo, de quo dum verba fiunt,confugere oportet ad eiuſdem Nauarri doctrinam, quæ legitur in Manuali cap. 27. à num. 3. ad finem vſque, & in has propoſitiones reducitur.

Prima,

Prima, Nemo tenetur noſtra ætate ſeruare Interdictum aliquod niſi denunciatum.

Secunda, Neque tenetur ſeruare interdictum quando eſt nullum in ſe, & nullitas eſt ſufficienter publicata, exceptis religioſis, qui debent illud obſeruare, ſi Eccleſia Matrix id obſeruet.

Tertia, Interdictum eſt nullum in eiſdem caſibus, in quibus eſt nulla excommunicatio.

Quarta, Excommunicatio eſt nulla, ſiue inualida, quando continet intolerabilem errorem, quem habet illa, quæ datur contra aliquem, ex quo rectè aliquid fecit.

Quinta, Excommunicatio inualida, ſeu nulla, nihil aliud operatur in foro interiori, ſiue exteriori, quàm quod obligat excommunicatum ad ſeruandum eam, quoad populus ſibi perſuadeat, vel perſuadere debeat, cauſas nullitatis ad euitandum ſcandalum.

Sexta, Idem dicendum de ſuſpenſione & Interdicto nullo, quod dictum eſt de excommunicatione nulla.

Cùm igitur Princeps virtutis opus iniunxerit, vt ſcilicet nõ obſeruetur, interdictum nullum, quod vergebat in periculum diuini cultus, & religionis, non peccauit, imò Nauarri doctrinam ad verbum obſeruauit.

Errat xx. quia nemo negat Pontificem eſſe Vicarium Patris noſtri qui eſt in cœlis, quantũ ſpectat ad res ſpirituales, ſed præterea dicimus, Principem eſſe patrem populi in temporalibus: imò quemadmodum filius meritò patri non obedit, ei tollere volẽti bona quæ ſua ſunt particulariter, vel cauſa dotis, vel caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, ita

Princeps Pontifici,licèt patri ſuo in ſpiritualibus, obedire non debet , quum ei bona temporalia, ſuámque temporalem iuriſdictionem auferre prætendit.

Errat XXI.quia cùm Dom. Cardinalis Baronius dixerit Rempub. Venetam eſſe decrepitam, ideóque delirare,ipſe contrà dicit eam eſſe tam tenellę ætatis,vt pædagogis opus habeat : Sereniſſima Reſpublica nec decrepita eſt , nec ætatis tenellę, ſed ætatem conſiſtentem habet,quicquid determinat,id magna cum prudentia,iuſtitiam ſemper & pietatem ſibi proponens, nec vllo indiget qui eam in temporalibus,& in ſuarum prouinciarum, ſuorúmve ſubditorum gubernatione erudiat,cùm Senatores habeat Sapientiſſimos: quod Authores faciunt, illud eſt ex ſe ipſis, vt iuſtam cauſam ſui Principis,ac veritatem defendant.

Errat XXII.quia pædagogi nomen cum Doctoris nomine confundit, cùm tamen Cicero diſtinguat illud in ſuo Dialogo de Amicitia: pædagogi enim exercitium ſeruile eſt,& eorũ qui pueros ſequuntur: Doctoris verò munus liberale eſt ac nobile,docere ſcilicet ex cathedra : nec vllum noui pædagogum qui ſcripſerit hactenus pro Sereniſſima Republica, ſed pro ea ſcripſerunt, ſcribúntque Doctores celeberrimi, & integra Collegia.

Errat XXIII.quia exemplum adductum Regis Boleſlai ad rem nõ facit, ſiquidem Rex ille homo fuit impius, & ſceleratiſſimus, Reſpublica verò, collectio eſt Senatorũ Catholicorum, & piorum, Iuſtitiæ & Religionis amantium.

Errat

Errat XXIIII. quia ſi omnibus iis qui interdictum non obſeruarunt, iuſſerúntque ne obſeruaretur, moriendum fuiſſet eo modo quo periit Boleſlaus, aut veneno, ſicut Bauaro contigit, non autẽ morte repentina, vt ait Illuſtriſsima ſua Dominatio: Chriſtianiſsimi Philippus Pulcher & Ludouicus XII. hoc modo periiſſent, imò totum ipſorum Regnum: quod cùm ita non euenerit, indicio eſt, non omnes qui iubent ne interdictum obſeruetur, aut qui illud non obſeruant, eo modo obituros. Hanc meam defenſionem volo claudere commemoratione duplicis exempli Pontificum, ſiquidẽ & Illuſtriſsima ſua Dominatio duo Principum temporalium exempla protulit: primum eſt Iohannis XII. qui cùm eos Epiſcopos excommunicaſſet, qui Ottonis I. mandato cauſam ſuam diſcuſſerant, obedientiam ei non præſtiterunt, imò declarata fuit nulla eiuſdem ſententia, nihilominùs quantum ſciri poteſt, nullus ex eo Concilio miſerè periit: at contrà Pontifex ille mortem adeò infamem, & miſerabilem ſubiit, vt ſit nefas dictu, poſtquàm priùs, inſtar Boleſlai, per ſyluas aliquandiu cum feris erraſſet. (Platin Luithpr.)

Secundum eſt Bonifacij VIII. qui cùm Regem Galliæ Philippum Pulchrum excommunicaſſet, eiúſque Regnum interdixiſſet, nec præſtita illi fuiſſet obedientia, tandem miſerè mortuus eſt, de quo ſic ſcribit Platina: Moritur autem hoc modo Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis, terrorem potiùs quàm Religionem iniicere

conabatur, quíque dare regna, & auferre, pellere homines, & reducere conabatur, aurum vndique conquiſitum plus quàm dici poteſt, ſitiens: diſcant igitur huius exemplo Principes omnes tam religioſi quàm ſæculares præeſſe clero ac populo non ſuperbè, & cõtumelioſè, vt hic de quo loquimur, ſed ſanctè & modeſtè, vt Chriſtus REX noſter, eiúſque diſcipuli ac veri imitatores, & malint à populis amari, quàm timeri, vnde tyrannorum pernicies oriri meritò ſolet.

Hæc duo exempla nolo applicentur præſenti ſummo Pontifici, cuius, ſeu vicarij clariſsimi Domini noſtri, Maieſtatem humillimè ac profundiſſimè cernuus veneror, ſed eos commemoraui vt videat Dominus Cardinalis argumentum ſuum ab exemplo nullam habere vim, tum quia ſimile illud non quadrat, tum vt intelligat ſi Principes quidam interdicti & excommunicati miſerè perierunt, dari etiam Pontifices qui cùm alios interdixiſſent & excommunicauiſſent, miſerè & ipſi perierunt.

Tandem Illuſtriſſimam ſuam Dominationem rogatam velim vt ignoſcat mihi ſi cùm aliter non potuerim propter conſcientiam, quàm defenſionē hanc ſuſcipere, auſus ſum, humilis ipſe & infimus, Eccleſiæ Gardinali reſpondere: nullus enim quantumuis magnus debet indignari, quòd vbi ſcriptis ſuis innocentem offenderit, contrà defendatur veritate innocentia, ſpeciatim verò eâ modeſtiâ, quā ſemper profeſſus ſum in ſcriptis meis; quę cenſuræ Sanctæ Eccleſiæ erroris neſciæ ſubmitto.

Ex his omnib. quę huc vſq; dicta sūt in defēſionē doctrinę octo propoſitionū, manifeſtè colligitur

doctri-

doctrinam illam ſanam, Catholicam, ac veram eſſe, & conſonam ſacris diuiníſque literis: generalibus Conciliis, ſacris Canonibus, ſacris Conſtitutionibus Imperialibus, exemplo Sanctorum Romanorum Pontificum, Regum, & Imperatorum ſapientiſſimorum, doctrinæ Sanctorum Patrum, & ſpeciatim Gloſſę, D. Auguſtini, D. Hieronymi, D. Chryſoſtomi, D. Iuſtini Martyris, D. Irenæi, D. Ambroſij, D. Bernardi, D. Thomæ Aquinatis, D. Gregorij Papæ, Tertulliani, Theophilacti, eorúmque Doctorum qui poſt ſacrum Concilium Tridentinum editi ſunt, videlicet Nauarri, Medinæ, Couarruuiæ, Soti, Victoriæ, & Cornelij Ianſenij.

Tres etiam illas Propoſitiones, de quibus eſt controuerſia, veriſſimas eſſe, Catholicas, & ſolidiſſimas, è prædictis ſacrarum literarum, Conciliorum generalium, Sacrorum Canonum, Conſtitutionum Imperalium, Hiſtoriarum, ſanctorum & catholicorum doctorum locis eductas, & hæ ſunt:

Prima: Summus Pontifex, nudus, vt ait Nauarrus, [à donariis & priuilegiis Principum, & iure Pontificatus,] vt ait D. Bernardus, [nullam habet laicam poteſtatem, neque ſupremam, neque mediam, neque infimam, neque actu, neque habitu.]

Secunda: In rebus & delictis tēporalibus, quæ ſpiritualia non attinent, vt Couarruuias dicit, Eccleſiaſtici à Principis ſæcularis poteſtate non ſunt immunes omnino, & de iure diuino, Sed tantùm in quibuſdam rebus & delictis, aut priuilegio ipſorum Principum, aut Canone Pontificis ab ipſis recepto, aut approbata conſuetudine.

Tertia: Cenſura de cuius nullitate liquidò conſtat, non modò non obſeruari, ſed nec etiam timeri debet. Itaque ex tota prædicta Doctrina dici illud poteſt, quod Spiritus Sanctus de candida columba dixit, ET MACVLA NON EST IN TE, maximè in duabus illis ſuis alis, nempe in Catholicæ Religionis, Sereniſſimæ Reipublicæ, & in libertatis eiuſdem defenſione, quæ duæ prærogatiuæ cùm ipſi ſint propriæ & adhuc virgines, ſperamus in Domini Dei gratia, illum eas in ſua virginitate ſine macula conſeruaturum.

Quod cùm ita ſit, vt dictum eſt, Illuſtriſſimos & Reuerendiſſimos Dom. Cardinales huic negotio delegatos, & Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Ordinarios rogatos velim ne prohibeant hanc noſtram Defenſionem in toto orbe Chriſtiano legi, & ne hac in parte potentia ſua vtantur, quæ puſillis præbet ſcandalum, ſed potiùs iuſtitia ad ædificandum: cùm enim Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis, abſque vlla ratione, vt probatum eſt, doctrinam infamarit in toto terrarũ orbe ceu hæreticam, ſchiſmaticam, erroneam, ſcandaloſam &c. æquitas poſtulat in omnibus legibus, vt contrà, eius doctrinæ defenſio, præſertim adeò iuſta & rationi conſona legatur: & exemplum ſumant ab ipſiſmet ſuis aduerſariis in hac controuerſia, Dominis ſcilicet Venetis, qui in ditione ſua lectionem permittunt librorum recens ab Illuſtriſſimis Dominis Cardinalibus Bellarmino, & Baronio, aliiſque in lucem editorum: quamuis alioquin obtrectationibus & calumniis aduerſus ipſos referti ſint, neque vili quopiam metu ab hac permiſſione deterrentur: idque multò magis ab Illuſtriſſimis ſuis Dominationibus permitti deberet,

ret,quòd libri qui pro Sereniſſima Republica emittuntur,præter veritatem quam continent rectè probatam, Chriſtiana modeſtia & humilitate ornati ſint, quam diſcere omnes nitimur à diuino Magiſtro, qui & exemplo ſuo & verbis eam nos docuit, dicens, [Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde,]Matth.c.11.

De doctrina verò Domini Cardinalis aliud non dicam hoc loco, niſi paucis quod ſuperiùs fuſè dictum eſt,ipſum tres illas ſuas Propoſitiones noſtris contrariis nullo modo probaſſe,nimirùm de ſuprema monarchia Pontificis in temporalibus, ac de limitata ipſius Poteſtate,de Clericorum immunitate in rebus omnibus de iure diuino, de cenſuris obſeruandis licèt nullæ ſint: enimuerò nullum Scripturæ locum, nullum Concilium, aut ſacrum Canonem benè intellectum, nullum è ſanctis patribus aut ſolidis doctoribus pro ſe attulit: quod non doctrinæ penuriæ adſcribendum eſt, ſed conditioni cauſæ, quam ſupremum Iudicem precor, vt in veritatis & innocentiæ ſubſidium, cum vniuerſali totius Chriſtiani orbis gaudio decidere velit.

LAVS DEO.

Excellentiſſimi Domini, Capita Excelſi Conſilij Decem,ſubſignati,Certiores facti à Do. Reformatoribus ſtudij Patauini, ex relatu facto à Reuerend. Theologis huic negotio delegatis, & à Circ.Secretario Senatus Iacobo Vico, cum iureiurando, in defenſione Ioh. Marſilij ſcripta in fauorem Reſpōſionis octo Propoſitionū,contra quam ſcripſit Illuſtriſſ.& Reuer.Do.Cardinalis Bellarminus, ab ipſis diligentiſſimè recognita, & conſiderata, nihil eſſe

contrarium Sanctæ Fidei Catholicæ, Principibus, & bonis moribus, ac typis eſſe dignam, concedunt vt in hac ciuitate poſſit imprimi.

Datum die 11. Sept. 1606.

D. Laurentius Lauredanus.
D. Ioh. Paſqualigus.
D. Hieronymus Priulus.
} Capita Excelſi Conſilij Decem.

Illuſtr. Conſilij Decem Secretarius
Io. Baptiſta Padauinus.

1606. 12. Septembr. Relatum in lib. fol. 158.
Antonius Lauredanus offic.
Cont. Blaſph.

PRO

LECTORI.

CVm in hac Defenſione ſæpiùs dixerim Authores in multis palinodiam canere coactos fuiſſe, vel ex eorum libris multa ſyncerè dicta in fauorem poteſtatis Principum temporalium expuncta fuiſſe, ad firmandam his modis opinionem de Suprema Authoritate Papæ in temporalibus, Lectorem monendum putaui citationes à me adductas, deſumptas eſſe ad verbum ex iis libris qui incorrupti ſunt, & Authorum opinionem ſyncerè continent:& quò vetuſtiora ſunt exemplaria, & à noſtris hiſce temporibus remotiora, eò meliora eſſe: ſpeciatim verò Lectorem monitum cupio, caput Nouit, de iudiciis, editum Romæ anno 1575 apud Ioſephum de Angelis, cum licentia Superiorum, eſſe textum illum quem ego & author octo propoſitionum ſequuti ſumus, cùm ſyncerè Nauarri & Pariſienſium opinionem referat,quæ poſtmodum in aliis editionibus ita fuit immutata, vt non ampliùs ea ſit, imò contraria euaſerit, nempe Gaetani: qua in re tria moneo, primum eſt, ab antecedentibus & conſequentibus non elici inſertam opinionem, ſed veram anno 1575 editam, & à nobis citatam: ſecundum eſt poſtquàm Nauarrus iuxta illam textus mutationem, ſententiam protulit Bartoli ſententiæ conſonam,eundem Nauarrum ſine vlla cauſa tribuere Bartolo quòd dicat ſententiam ab ipſo Nauarro electam,hæreſim eſſe:tertium,ſententiam Pariſienſium, quæ hîc Nauarri eſſe dicitur, non illam eſſe quæ poſt annum 1575.in eius operibus inſerta eſt,&

Gaetanum authorem habet, ſed illam eſſe quam eodem anno ipſe incitato textu Romano explicauit, ad Portugalliæ Regem ſyncerè ſcribens.

Inſuper eſt quòd moneam, editum eſſe Romæ Bellarminum contra Propoſitiones & Gerſonem, Latinè redditum à Theologo anonymo, cum epiſtola tamen de rebus ſacris, qui etiam libellus eſt de rebus ſacris: vnde colligitur quàm iniquê à Domino Cardinali, octo propoſitionum author fuerit reprehenſus, quòd ob iuſtas cauſas nomen ſuum reticuerit, aut Gerſonis interpres, quòd ſuum non declarauerit.

PRO

PRO D. IO. MARSILIO PRESBYTERO NEAPOLITANO SACRÆ THEOLOGIÆ doctore.

CORAM vobis Reuerendo P. Inquiſitore Generali Venetiarum cõparuit Dominus Ioannes Marſilius Presbyter Neapolitanus Sacrę Theologiæ Doctor, & expoſuit qualiter ad eius notitiam peruenit, quod Romæ affixæ fuerint, & publicatæ quædam literæ citatoriæ,ſiue monitoriæ, in quibus ad inſtantiam Reuerendi D.Ludouici Boidi I.V.D.Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Procuratoris fiſcalis,tanquam per edictum publicum ab Illuſtriſſ.& Reuerendiſſ.DD. Card.Generalib.Inquiſitoribus,ipſe comparens citatus fuit,attento quod iudicialiter conſtaret ad pręfatum comparentem non patere tuum acceſſum, & notorium eſſet in eius propria perſona literas eiuſmodi citatorias,ac monitoriales exequi nõ poſſe, ad perſonaliter comparendum in Romana Curia in Officio Sanctæ Inquiſitionis, & reſpondendum coram ipſis, vel eorum commiſſario generali de fide,ac ſe expurgandum ab obiectis de quibus in proceſſu ſub pœnis, vt in præfatis literis continetur, ad quas &c. Cui citationi cùm ipſe comparens parere nullo modo poſſit, cùm ipſe ab hac Ciuitate

Venetiarum ſub pœna capitis diſcedere non valeat, neque illi ad Romanam Curiã pateat tutus acceſſus, neque per interiacentia loca ſecurus tranſitus, ac prӕterea notorium ſit, quod coram ſuſpectis iudicibus citatur, attento quod notorium apud omnes eſt, quod ipſe comparens ſumpſerit defendendam quandam Epiſtolam continentem octo propoſitiones in materia Cenſurarum à Sanctitate ſua contra Venetam Rempublicam fulminatarum, quę à præfatis Illuſtr. Dominis prohibitæ fuerunt, & contra quas Illuſtr. Dominus Cardinalis Bellarminus integrum edidit tractatum, quam ob rem valde eidem comparenti Iudices præfati, ſalua ſemper in omnibus illorum reuerentia, ſuſpecti redduntur, cúmque in Ciuitate Venetiarum adſit Sancti Officij Inquiſitionis Tribunal, in quo ter in Hebdomada illius officiales conueniunt, reſident, & ius dicũt, quod etiam conſueuit à tempore ſuæ inſtitutionis vſque in præſens, cauſas fidei cuiuſcumque generis tractare, in illis procedere, & etiam per definitiuam ſententiam terminare, neque vnquam ad hanc ciuitatem vllæ citatoriæ, aut monitoriales literæ contra quaſuis perſonas ab Officio Sanctæ Inquiſitionis Romanæ conſueuerunt decerni, ſed omnes eiuſmodi cauſę in eo Tribunali iudicantur, vnde nulla apparente cauſa propter quam præfatus comparens extra hanc ciuitatem debeat citari, meritò illius ſuſpicio augetur, Quibus ſtantibus prout ſtant, & ipſe comparens quatenus opus ſit legitimè probare ſe offert, proteſtatur coram vobis, quod paratus eſt quodlibet iudicium fidei in hac ciuitate ſubire, & ab omnibus ſibi obiectis ſe expurgare, & ſi quando poterit ſecure ex hac ciuitate, & Dominio, exire,

exire,paratus eſt ad quæcunque loca ſibi non ſuſpe ƈta,& coram non ſuſpeƈtis iudicibus cõparere, & fidei ſuę rationem reddere,proteſtans,pariter,quod ſemper tenuit , ac in præſentiarum tenet Sanƈtam Fidem Catholicam Sanƈtæ Romanæ Eccleſiæ, quæ continetur in profeſſione Fidei Sanƈtæ Memoriæ Pij IV.quam ſæpe emiſit,& paratus eſt vſque ad effuſionem ſanguinis confiteri. Quapropter ad nullos aƈtus contra ipſum in Romana Curia, aut in ipſo S.Inquiſitionis Rom.Officio de iure deueniri poſſe.Proteſtans de nullitate omnium, & ſingulorum,quæ in eius abſentia, ſtantibus præſatis legitimis impedimentis agentur,aut traƈtabuntur, ſaluis omnibus aliis rationibus,& iuribus ſibi in præmiſſis,& in aliis quomodolibet competentibus, & nihilominus ſi quidquam contra huiuſmodi ſuam proteſtationem attentatum fuerit ex nunc,proût ex tunc, de iniuſtitia, & de grauamine , & de illorum nullitate proteſtatur,ac ab eis, & ab illorum quocumque ex nunc prout ex tunc,prouocat,de nullitate dicit,& appellat ad illum, ſiue ad illos,ad quem, vel ad quos,ac ex nunc prout ex tunc Apoſtolos petit,non ſe aſtringens,&c.

Præſentata,& Acceptata in Tribunali Sanƈtæ Inquiſitionis Venetiarum,vt ſtatim Romã tranſmitteretur intra tempus in monitorio præfixum, coram Notario,& Teſtibus,vt in Aƈtis. die 9.Septembris. 1606.

TRACTATVS ET RESOLVTIO circa valorem excommunicationum.

IOH. GERSONIS THEOLOGI & Cancellarij Pariſienſis, Doctoris Chriſtianiſſimi.

Digitized by Google

PIO ET RELIGIOSO
LECTORI.

E Vulgato rumore, & ſparſa paſſim fama in inclyta hac Ciuitate Pariſiorum ipſo die Sanctiſſimæ Natiuitatis Domini, & Saluatoris noſtri, contra Sereniſſimam æquè ac Religioſiſſimam Venetorum Rempublicam fulminatas fuiſſe Excommunicationes, ac Cenſuras,& comminatas huius Maledictiones, & Interdicta(quod tamen vt rationi minime conſonum, ita vix credibile videtur) idque ea potiſſimum de cauſa factum fuiſſe, quod auitam illam ſuam cœleſtis & euiterni numinis beneficio conceſſam libertatem alieno cordatè & prudēter ſubmittere renuat arbitrio. Ego probatorum quorundam Authorum reuolutione, seriò inquirere cœpi, quænam huiuſmodi Excommunicationum, Cenſurarum & Interdictorum ſit vis & energia, vbi præter demeritum delinquentium improuidè,inconſultéque omni æquitatis & Iuſtitiæ contempta ratione fulminantur.Et quidem Sacri Concilij Tridentini Decretis accuratè inſpectis,legēdo verba hæc digna vt aureis conſcripta literis perpetuo duraturæ æternitati cōſecrentur.(Quamuis Excōmunicationis gladius neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris:ſobriè tamen, magnáque cum circumſpectione exercendus eſt, cum experientia doceat,ſi temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur,magis contemni,quàm formidari,& perniciem potius parere, quàm ſalutem: (in votis mihi maximè fuiſſet, vt quemadmodum Sanctiſſimi illi Patres in Spiritu Sancto haud dubiè con-

gregati, Prælatis Eccleſiarum & fidelium cœtui præpoſitis. Antiſtitibus regulam ab iiſdem in huiuſmodi remedij applicatione & vſu ſalutifero obſeruandam præſcripſere: ſic pariter deuotas & religioſas piorum conſcientias informaſſent, quidnam earum muneris foret ac officij, quando earum Præſides ac Inſpectores formæ à Chriſto Seruatore, Apoſtolo, & Antiquis veterum Canonum Sanctionibus traditæ & præſcriptæ ex diametro aduerſantes, Cenſuras intentant Eccleſiaſticas, aut in ſubiectos populos Excommunicationes fulminant: Et cum hic deſiderio viderem meo fieri nequaquam ſatis, Claſſicorum quorundam inſpiciendo authorum vigilias, ecce prę reliquis vnus ſeſe mihi nihil tale cogitanti & inopinè obtulit Ioannes ille Gerſon popularis & Sympatrida meus, Doctoris Chriſtianiſſimi non immerito à bonis omnibus cognomine donatus, æterna ſanè vir memoria digniſſimus, tum ob vitæ innocentiam & ſanctitatem, tum ob inexhauſtos pariter in hac celebri Vniuerſitate quondam exanthlatos labores, Sacram longa annorum ſerie Theologiam omnium cum publicè profitendo, tum etiam in Conſtantienſi Concilio, vbi doctrina, exemplo, & authoritate qua pollebat, Regis Gallorum Chriſtianiſſimi ad prædictum Concilium Orator deſtinatus, reſplendens, indefeſsè admodum pro vnione S. R. E. procuranda, & pernicioſiſſimo ſchiſmate tunc temporis ſuſcitato penitus extinguendo cum deſudarit, immortalem nominis gloriã citra iniuriam omnem eſt conſecutus. In huius inquam tam præclari profecto viri Opuſculis paſſim euulgatis, præter reliquas quamplures pulchras & elegantes ſanè conſiderationes (in

qui-

quibus ſemper reuerēter Eccleſiaſticam authoritatem iuxta Diuinorum placita mandatorum exercitam, venerari ſe officiosè, & obſeruare ſedulò, vt decet, oſtendit, & maxima ac diſcreta ſeueritate reprehendit abuſus in eandem, temporum iniuria & quorundam malitia & aſtutia inuectos, qui ſua quærendo, non quæ ſunt Ieſu Chriſti, propriæ priuatæque amplitudini ſtudent non publico Eccleſiæ inuigilant profectui) hæc duo reperi Opuſcula, quæ, cum rebus quæ in præſens aguntur valde opportuna & propoſito admodū ſubſeruire noſtro iudicarim negocio, ad animarum Diuino timore & zelo inflammatarum conſolationem, volui ab aliis ſeiuncta Opuſculis ſeparatim euulgare, hac potiſſimum motus ratione, vt quilibet pietatis ſtudioſus & timoratæ vir conſcientiæ, ea perlegendo, exoptata perfrui conſolatione poſſit ac tranquillitate, excuſſo penitus timore omni haudquaquam metuendo, quem reprobis in multiplicis demeriti pœnam paſſim Diuina ſolita eſt Maieſtas potenter immittere, ſicut Regius noſter Pſaltes cecinit: *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor*, & iuxta doctrinam Apoſtoli, confortati in Domino, & in virtutis ſuæ potentia, arripiant ſcutum Fidei, illúdque indiſcreto fulmini opponant, gladium Spiritus accipiendo quòd eſt Verbum Dei, Chriſtianam libertatem Chriſtiano planè animo & heroico, cum pietate tamen & moderatione, quam enixiſſimè tueantur, & defendant.

ITEM AB EODEM DOMINO Cancellario circa materiam excommunicationum, & irregularitatum reſolutio.

CONSIDERATIO PRIMA.

Contemptus clauium eccleſiaſticarum cauſat quaſi formaliter,& principaliter excommunicationis, vel irregularitatis detrimentum. Sic enim ſolent communiter Domini Iuriſtæ dicere; quod irregularitas contrahitur,dum aliquis excommunicatus ſe immiſcet ſacris in contemptum clauium. Fundatur autem hæc conſideratio principaliter ex illa lege Euangelica Matth. 18. [Si peccauerit in te frater tuus,]ſequitur: [dic Eccleſiæ:ſi Eccleſiam nõ audierit,ſit tibi ſicut Ethnichus,& Publicanus.]

CONSIDERATIO SECVNDA.

Contemptus clauium poteſt interuenire multipliciter in aliquo. Vno modo directè, & cauſaliter: & hoc propriè dicitur fieri ex contemptu: quando ſcilicet contemptus eſt cauſa actionis principaliter: ita quod non fieret actio, niſi eſſet ad contemptum clauium:quemadmodum ſi quis dicat Epiſcopo excommunicanti: Ego in deſpectum veſtri, & veſtri præcepti nihil agã illius quod iubetis. Alio modo fit cõtẽptus implicitè: quia videlicet eſt contumax in obedientia: quãuis non ex inobedientia,vel propter non obedire: ſed propter aliquod aliud delectabile vel vtile,aliquis peccat contra prælati iuſſionem: tertio modo dicitur contemptus interpretatiuè omnis voluntaria tranſgreſſio cuiuſcunque præcepti,

cepti, & iſto modo reperitur contemptus in omni peccato, præſertim mortali, directè, vel indirectè, verè, vel interpretatiuè.

Conſideratio tertia.

Contemptus primo modo rationabiliter demeretur excommunicationem, conſequenter irregularitatem; ſimiliter & ſecundus, dum iungitur contumacia. Sed tertius contemptus non ſemper eſt excommunicationis eccleſiæ, nec conſequenter irregularitatis demeritorius. Dicitur, eccleſiæ, notanter: quia omnis peccans mortaliter eſt à Deo, & apud Deum excommunicatus: ſed non ſemper per eccleſiaſticam ſanctionem.

Conſideratio quarta.

Contemptus neutro modorum prædictorum dicendus eſt interuenire contra præceptum aliquod prælati: quando manifeſtè, & notoriè prælatus abutitur in huiuſmodi præcepto clauium poteſtate: & hoc dum ſcit, & cognoſcit ille, qui non obedit: nec aliundè generat in ſe, vel in aliis ſcandaloſum contemptum clauium: Quoniam in hoc talis non eſt inobediens clauium poteſtati: ſed erroneo clauium abuſui.

Conſideratio quinta.

Contemptus clauium magis inuenitur quo ad culpam in prælato, taliter (vt præmittitur) abutente ſua poteſtate: quam in non obediente: ſi comparatio recipiatur abuſiua. Eſt igitur quandoque meritorium, & honorificatiuum eccleſiaſticæ poteſtatis, quod tali prælato in faciem reſiſtatur cum appoſitione inculpatæ tutelæ: quemadmodum reſtitit Paulus Petro.

Conſideratio Sexta.

Contemptus clauium quandoque poſſet inueniri in vno qui non pareret ſentētiæ ſui prælati, vbi, & quando alius in eadem ſententia non obediens, nullo modo contemptus eſſet reus, præſertim apud Deum. Cuius ratio eſt: quoniam vnus reputat ſententiam iuſtam, aut quomodolibet obediendum illi: alius vero non: ſed ſcit certitudinaliter, aut probabilitate ſufficienti, ſuum prælatum male vti in præiudicium clauium, & in deſtructionem eccleſiæ.

Conſideratio Septima.

Contemptus clauium debet inueſtigari ex poteſtate legitima, & vſu legitimo poteſtatis illius qui præcipiendo excommunicat, vel irregularitatem comminatur. Alioquin prælati poſſent inducere qualemcumque vellent ſuper illos ſeruitutem: ſi ſuis ſententiis iniquis, & erroneis ſemper eſſet obediendum. Et ita patet, quod hoc commune dictum: *Sententia Prælati, vel Iudicis iniuſta timenda eſt:* indiget gloſſa. Alioquin non eſt generaliter verum: ſi timenda dicatur, quia eſt ſuſtinenda: nec repellenda: immo in caſu, pati illam eſſet aſinina patientia, & timor leporinus, & fatuus.

Conſideratio octaua.

Contemptus clauium plus habet periculi erga perſonam Summi Pontificis, quàm erga inferiores. Quoniam ab abuſibus inferioribus patet recurſus ad Papam per appellationis ſubſidium, & ſi dicatur quod ita poteſt à Papa fieri appellatio ad Concilium generale. Dixerunt olim ante Concilium generale Piſanum & Conſtantienſe, quod hoc nullo modo licebat: & allegant iura ſua pro ſe valde (ſicut

eis

eis videtur)expreſſa. Sed conſtanter nunc aſſeritur, quod eſt hæreſis damnata per Conſtitutionem expreſſiſſimam, & practicatam in Concilio prædicto Conſtan.prout alibi diffuſius eſt oſtenſum.Reſpondetur igitur aliter quod non pro leuibus cauſis(vbi etiam liceret)poteſt aut debet pro appellationibus proſequendis Concilium celebrari:ſicut habetur recurſus ad Papam.

Conſideratio nona.

Contemptus clauium non incurritur in multis caſibus quibus Papæ mandato non obeditur: dum ſcilicet abutitur enormiſſimè,& ſcandaloſiſſimè poteſtate ſua in deſtructionem non in ædificationem, ſicut tamen dicit Apoſtolus ideo poteſtatem datã eſſe.Exemplũ:ſi Papa vellet theſauros eccleſiarum diripere,aut hęreditates vſurpare,aut in ſeruitutem abiectam clerũ,cum ſuis bonis,redigere, & iuribus ſuis ſpoliare ſine cauſa,quis diceret iſta debere tolerari?Quis non cenſeret poſſe dici Papæ:cur ita facis? quis non aſſentiet,In faciem ſibi reſiſtendum?

Conſideratio decima.

Contemptus clauium etiam non ſemper inuenitur apud illos, qui nedum non obediunt ſententiis excommunicationum promulgatis per Papam, vel ſuos: ſed etiam non eſt iudicanda eſſe apud illos,qui per poteſtatem ſecularem aduerſus tales prætenſas ſententias tueri ſe procurant. Lex enim naturalis dictat, vt poſſit vis vi repelli. Conſtat autem, quod tales excommunicationes non debent dici ius, ſed vis & violentia, contrà quam fas habet liber, vel homo, vel animus ſe tueri.

Conſideratio Vndecima.

Contemptus clauium, & conſequenter excommunicatio, vel irregularitas non incurritur, dum in præmiſſis caſibus dicit aliquis Iuriſtarum, vel Theologus iuxta conſcientiam ſuam, quod huiuſmodi ſententiæ non ſunt timendæ, vel tenendæ, & hoc præſertim ſi obſeruetur informatio, ſeu cautela debita, ne ſequatur ſcandalum puſillorum, qui æſtimant Papam eſſe vnum Deum, qui habet poteſtatem omnem in cœlo, & in terra. Veruntamen expellenda eſt talium ſtultitia per informationes idoneas: qui ſi nolint acquieſcere, ipſi iam ſunt iudicandi de ſcandalo non dato, ſed accepto, hoc eſt, de ſcandalo Phariſæorum, & ex malitia: non puſillorum, & ex ſimplicitate vel ignorantia.

Conſideratio Duodecima.

Contemptus clauium dicendus eſt magis foueri, quam tolli, dum debentes abuſui clauium reſiſtere, diuiduntur inter ſe, & impediunt ſe, vel per ſtultitiam, vel per ignauiam, ne communi conſenſu fiat ambulatio in domo Domini: dum alij fauent abuſibus, alij tollere volunt. Veritas eſt, quod omnis via fauorabilis, & humilis, tentanda eſt cum ſummo Pontifice, dum male informatus, fert per ſe, vel ſuos, iniuſtas ſententias, quod deſiſtat & reformet: ſed ſi nihil prodeſt humilis ſedulitas, arripienda eſt virilis, & animoſa libertas.

DISCVSSIO ILLIVS ASSERTIONIS SENTENTIA Paſtoris etiam iniuſta tenenda eſt, per eundem Cancellarium.

CAſus eſt: Quidam ſe gerens pro Commiſſario Papæ, poſuit in ſuo proceſſu publico aſſertionẽ, quæ ſequitur: [Sentẽtiæ noſtræ etiãſi eſſent iniuſtę ſunt tenẽdæ, & timẽdę.] Quæritur ſuper hac aſſertione. Primo, ſi ſit falſa, & erronea. Secundo, ſi ſit iudicio fidei reprobanda. Tertio, ſi aſſertor ſit ad iudicium fidei rationabiliter euocandus. Arguitur quod ſit vera: quia ſecundùm Gregorium, Sententia Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta fuerit timenda eſt. Cui conſonat Vrbanus Papa, dicens, quod valdè timẽda eſt ſententia Epiſcopi, licèt iniuſtè liget. Sed Papa nedum eſt Paſtor & Epiſcopus, ſed ſupremus Paſtor & Epiſcopus. Sed contra eſt dictum Hieronymi, ſuper epiſtolam Pauli ad Philemonem, & fundatur in dicto Eſa. 5. [Si quis dixerit iniuſtum iuſtum, abominabilis eſt apud Deum.] *& Gregor. in homil. 27.* [Ipſe ligandi, atque ſoluendi poteſtate ſe priuat, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubditorum iuribus exercet.] *Et idem:* [Tunc eſt vera abſolutio præſidentis, cum interni Iudicis ſequitur arbitrium.] *Et idem:* [Non debet is pœnam ſuſtinere canonicam, in cuius damnationem non eſt canonica prolata ſententia:] conſtat autem quod ſententia iniuſta non eſt canonica.

Ponuntur pro deciſione propoſitiones, quæ ſequuntur, ad examinandum.

Hæc aſſertio propoſita in proceſſu publico, ſi ſit

erronea in fide & moribus, non eſt diſſimulanter prætereunda, cùm ſit ſcandaloſa, & ex deliberatione poſita. Hæc aſſertio eſt vna propoſitio conditionalis includens vnam conſequentiam talem, Si ſententiæ noſtræ ſunt iniuſtæ, illæ etiam ſunt timendæ. Hæc aſſertio conditionalis ſic reſoluta, ſi ſit falſa, eſt impoſſibilis: patet hæc propoſitio, ſicut, & præcedens ex regulis infallibilibus Logicorum: addendo quod aſſertio prædicta continet iſtam Vniuerſalem, quod omnes ſentētiæ dicti Commiſſarij quantumcunque iniuſtæ ſunt tenendæ. Hæc aſſertio falſa eſt, quoniam oppoſitum conſequentis ſtat cum antecedente: quoniam ſtat, aliquas ſententias Paſtoris, vel Papæ, & ſuorum Commiſſariorum non eſſe tenendas, immo nec timendas, dum ſunt iniuſtæ. Et hoc in multis caſibus. Primo, ſi ſententia lata ſit poſt appellationem legitimam, vt notauit Innocentius III. in epiſtola ad Archiepiſcopum Senonen. Secundo, ſi contineat errorem intolerabilem: vt notauit idem. Et hoc multipliciter poteſt euenire, cùm nullus Paſtor viuens in terris, immo nec Papa, ſit impeccabilis, quin poſſit abuti ſua poteſtate; cùm circundatus ſit infirmitate: vt dicitur ad Hebr. Vnus caſus eſt: ſi ſententiet expreſſè vel etiam implicitè contra fidem & Scripturam ſacram. Alter, ſi ſententiet in præiudicium veritatis vitæ & iuſtitiæ; vt ſi volens rapere ſponſam alterius, ferat in contranitentes ſententiam excommunicationis. Alter, ſi ſententiet in præiudicium iuſtæ libertatis, vt ſi volēs vſurpare ciuitatem vnius Principis ferat ſententiam excommunicationis in nolentes eam ſibi tradere: & ita de multis ſimilibus: vt ſi excommunicare velit illos qui ſuo Regi, & ſuis edictis rationabilibus: obediunt.

bediunt. Notauit hæc Inno. vbi prius: & habetur fundamentaliter, ex ineffallibili lege diuina, & naturali: cuius deductionem hîc omittimus. Hæc aſſertio eſt impoſſibilis: ſequitur hæc ex præcedentibus. Notando quòd iura quibus inniti videtur, non loquuntur tali modo conditionali & hypothetico: nec dicunt quòd ſententia Paſtoris ſit tenenda: quia longè aliud eſt dicere, quòd ſententia aliqua ſit timenda, & quòd ſit tenenda: quia tyrannica iniquitas etiam timeri poteſt, ſed non teneri debet: immo contemni, vel perſequi. Hæc aſſertio cenſenda eſt erronea contra bonos mores & canones: patet: quia cùm ſpectet ad mores, & canones (ſicut conſtat) & non eſt eis conformis in veritate, immo nec eſſe poteſt, ſicut patet ex præcedentibus, ſequitur quod eſt eis diſſona atque contraria. Hæc aſſertio debet in fide meritò ſuſpecta reputari: patet ex præcedentibus, & hoc accipiendo fidem pro obiecto fidei, pro Scriptura ſacra & iure diuino. Hæc aſſertio reddit aſſertorem ſuum in fide ſuſpectum: & ita conſequenter ad iudicium fidei rationabiliter euocandum, qui compellendus erit, vel ſe exponere, vel reuocare, vel (ſi pertinaciter renuerit) relinquendus erit iuſtitiæ ſeculari. Conſequenter ad aggrauationem dictæ aſſertionis, cum proteſtatione, quòd hoc fit ad finem ciuilem & eccleſiaſticum, & pro defenſione Catholicæ veritatis, & eccleſiaſticæ libertatis; & non ad ingerendum crimen læſæ Regiæ maieſtatis, inferuntur propoſitiones, quæ ſequuntur.

Rex Chriſtianiſſimus Francorum iurauit in ſua conſecratione defendere, & tenere iura & libertates eccleſiarum Regni ſui.

Rex idem pluries à viginti annis circa habuit conuocationem,& Concilium Prælatorum,& Vniuerſitatum Regni ſui: ad quorum deliberationem, & requeſtum concluſit ſolemniter per arreſtum curiæ ſuæ ſupremæ parlamenti, quod Eccleſia Gallicana, in ſe,& in membris ſuis, ad ſuas antiquas, & legitimas libertates reduceretur, nominatim in collatione beneficiorum per Ordinarios,& in electionibus faciendis.

Rex idem, & legitimus filius ſuus nunc regens, nouiſſimè poſt quatuor,& quinque annos fecerunt idem arreſtum ſolemniter publicari cum adiectione pœnarum in rebelles.

Rex idem debet reputare quod ſententiæ cuiuſque Paſtoris, etiam Summi Pōtificis,factæ,vel latæ in oppoſitum mediatè, vel immediatè,ſunt iniuſtæ: &continent errorem intolerabilē contra publicam iuſtitiam:& in vſurpationem indebitam: & ex conſequenti nec tenendæ ſibi ſunt , nec neceſſariò timendæ:præſertim cum obtulerit in facie Concilij Generalis Conſtan.ſe paratum velle prouidere ſtatui Summi Pontificis,ſicut alij Reges, & regna pro parte ſua. Dicitur hic quod non neceſſariò timendæ: quia poſſunt timeri à timoratis conſcientiis in aliquo caſu, quamuis non ob hoc ſint tenendæ. Multum enim differt dicere quod ſint tenendæ& dicere quod ſint timendæ. Et ideo aſſertor prædictus qui addidit de ſuo,quod ſententiæ Paſtoris iniuſtæ ſunt tenēdæ,valde temerariè,& ſcandaloſè,& erroneè videtur fuiſſe locutus:nec iura,quibus inniti videtur,loquūtur modo ſuo, immo lōgè modeſtius, ita vt poſſint ad verum ſenſum reduci, non autem aſſertio ſua, modo quo poſita eſt:ſicut patet ex propoſitio-

poſitionibus ante dictis.

Rex idem poteſt ſe tueri contra procedentes in eum, vel ſuos, occaſione prædicta, ſicut contra volentes vſurpare poſſeſſiones temporales Regni ſui: immo magis, quantum ſpiritualia, & eccleſiaſtica potiora ſunt temporalibus.

Rex idem debet habere ſubditos ſuos (præſertim eccleſiaſticos) fauorabiles in dicta proſecutione:& obedientes, iuxta monitionem Apoſtolicam, debent obedire Regi tanquam præcellenti, & hoc præcipuè dum vtitur ſua legitima poteſtate in obſeruationem proprij iuramenti, & eccleſiaſticæ libertatis tuitionem.

Rex idem debet protegere ſubditos ſuos, ſi præmiſſorum occaſione, & propter obedientiam ſibi factam pati habeant, & aſſumere cauſam in ſe. Et ſub hac protectione ſubditi, tam ſeculares, quam eccleſiaſtici, debent, & poſſunt in quiete viuere, non plus ſapientes, quam oportet.

Rex idem poteſt rationabiliter conqueri de ſubditis ſuis, præſertim eccleſiaſticis, ſi in prædicta reductione libertatum inueniantur tepidi, & tergiuerſatores, & claudicantes: & poteſt ab eis per ſe, aut ſuos exigere rationes, quibus mouentur ſentire contra deliberationes nedum Conſilij ſui, ſed ſuorum Prælatorum, ac Vniuerſitatum Regni ſui. Cæterum de pœnis per eundem infligendis, iubet eccleſiaſtica modeſtia quieſcere, nec habere ſermonem.

Digitized by Google

RESPONSIO
CARD. BELLARMINI
AD LIBELLVM, CVIVS
INSCRIPTIO EST,

Tractatus, & reſolutio circa valorem Excommunicationum, Iohan. Gerſonis Theologi, & Cancellarij Pariſienſis.

ROMÆ

Apud Gulielmum Facciottum,

M. D. CVI.

Cum licentia Superiorum.

Digitized by Google

RESPONSIO CARDINALIS BELLARMINI,

AD LIBRVM, CVIVS INSCRIPTIO EST,

Tractatus & reſolutio Ioannis Gerſonis circa valorem excommunicationis.

QVAM verum ſit quod Chriſtus ait: Qui male agit, odit lucem, Ioannis 3. manifeſtè apparet in eo, qui opuſcula duo Ioannis Gerſonis in linguam vulgarem tranſtulit. Cum enim noſſet, quot falſitates in vnica eáque breuiſſima præfatione continerentur, quot, iiſque non exiguis erroribus eadem opuſcula ſcaterent, quamque parum ad ſcopum ab ipſo præſpeculatum ij ipſi conducerent, puduit eum nomen ſuum & Typographi prodere, quin immo vt occultior eſſet Pariſiis ſe ſcripſiſſe ſimulat, cum tamen conſtet, eum & ſcripſiſſe & edidiſſe Venetiis. Ne is igitur ſua hypocriſi lectores ſimplices decipiat, verba Præfationis ſuæ examinabimus, poſtmodum vero verba etiam Gerſonis non ea fidelitate tranſlata, quam profitetur.

I. *Prima Præfationis ea ſunt verba.* [Euulgato rumore, & ſparſa paſſim fama in inclyta hac vrbe Pa-

riſiorum,ipſo die ſanctiſſimæ Natiuitatis Domini, & Saluatoris noſtri fulminatas eſſe cenſuras & excommunicationes aduerſus ſereniſſimam æquè ac religioſiſſimam Rempubl. Venetorum, idque ea potiſſimum de cauſa factum fuiſſe, quod alterius arbitrio recuſet, libertatem ſuam à Deo ſibi conceſſam ſubmittere.]

Si ſingulas libertatis ſpecies inueſtigabimus, quâ vel perſona vel Reſpublica gaudere poteſt, non niſi ſex ſequentes inueniemus: libertatem arbitrij oppoſitam neceſſitati naturali; libertatem Chriſtianam, oppoſitam ſeruituti peccati; libertatem ciuilem, oppoſitam iugo ſeruili; libertatem Reipublicæ oppoſitam ſubiectioni monarchicæ; libertatem Principis abſoluti, in rebus temporalibus ſuperiorem non agnoſcentis, oppoſitam ſubiectioni Principis minoris reſpectu maioris, demum libertatem operandi male, oppoſitam ſeruituti iuſtitiæ, quam libertatem vnam & eandem eſſe cum ſeruitute peccati, ait S. Paulus ad Rom. 6. cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ.

Non exiſtimo huius Præfationis authorem loqui de libertate arbitrij, quæ naturalis eſt, nec vllo modo perdi poteſt, niſi ſequamur errores Lutheranorum, & aliorum ſimilium hæreticorum. Nec rationaliter loqui poteſt de libertate Chriſtiana oppoſita ſeruituti peccati: hæc enim obediendo vicario Chriſti non tollitur, ſed potius non obediẽdo. Nec de libertate ciuili, qua ſerui carent, nec de libertate Reipublicæ Ariſtocraticæ, aut Democraticæ, qua carent populi poteſtati regiæ ſubiecti, aut dicamus monarchiæ, neque enim modernus Pontifex, nec anteceſſores ſui de forma regiminis Venetæ vrbis immu-

immutanda cogitauerunt vnquam, quippe qui nouit nullam legitimæ poteſtatis formam, ſiue Regũ, ſiue Principum, ſiue populorum illa ſit, libertati Chriſtianæ, cuius ſummus Pontifex principalem habet curam, aduerſari, quin immo hanc varietatem ciuitati Dei, quæ eſt Eccleſia vniuerſalis non exiguo eſſe ornamento. Remanet libertas Principis abſoluti in rebus temporalibus ſuperiorem non recognoſcentis, & de hac veriſimile eſt loqui præfationis Authorem, ſed decipitur ſine dubio, quiſquis eſt qui dicit ſanctiſſimum contra Rempublicam Venetam promulgaſſe excommunicationem, ea de cauſa, quod renuat libertatem ſuam ſibi à Deo conceſſam, alterius voluntati & arbitrio ſubmittere.

Et ſi obiicitur, condere leges, puniréve delinquẽtes proprium eſſe Principis abſoluti: & nihilominus Paulum V. capita Reipublicæ Venetæ excommunicaſſe, quod ſibi inannullãdis quibuſdã legibus, de rebus tẽporalibus ab ipſa conditis, nec in dimittendis quibuſdam reis in carcerem coniectis obedire renuerint. Reſpondetur Paulum V. Pontificem excommunicaſſe capita Reipublicæ Venetæ, non ea de cauſa, quod in quacunque lege de re tẽporali, abroganda obedire nolint, ſed quod obedire nolint in abroganda lege iniqua, impia, iniurioſa Eccleſiæ, offenſiua Dei, & proximi. Et quis Catholicorũ negare poteſt ad Pontificem, tanquam paſtorem vniuerſalem pertinere, reprehendere quemlibet Principem aut Rempublicam ob peccata ſua, eundemque poſſe, ſi obedire recuſent, cenſuris Eccleſiaſticis ad obediendum compellere. Ita videmus S. Gregorium, Mauritium Imperatorem, qui leges quaſdã ſeruitio diuino iniquas ſtatuerat, aſperrimè reprehendiſſe. Et Innocentius III. vt legitur in capit. no-

uit,de iudiciis, declarat apertè cenſuram peccatorum Principum totius mundi ad Pontificem pertinere. Non intendimus (ait) iudicare de feudo, cuius ad ipſum Regem videlicet, ſpectat iudicium, ſed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus. Et paulò inferiùs. Cum non humanæ conſtitutioni,ſed diuinæ potiùs innitamur, quia poteſtas noſtra non ex homine, ſed ex Deo eſt, nullus qui ſit ſanæ mentis ignorat,quin ad officium noſtrum ſpectet de quocunque peccato mortali corripere quemlibet Chriſtianum,& ſi correptionem contempſerit per diſtrictionem Eccleſiaſticã continere:Sed forſan dicetur aliter cũ Regibus, aliter cum aliis agendum eſſe.Sed ſcriptum legimus in lege diuina, ita magnũ iudicabis ac paruũ, nec erit apud te acceptio perſonarum. Et hæc ſunt verba Innocẽtij Papæ. Et Papa Bonifacius in extrauaganti vnã ſanctã de maioritate & obediẽtia, optimè dicit poteſtatem tẽporalem,dũ errat à ſpirituali dirigẽdam eſſe.Quia etſi Princeps temporalis abſolutus alium Principem temporalem nõ agnoſcat, pro ſuperiori,nihilominùs ſi Chriſtianus eſt, cogitur pro ſuperiori caput Chriſtianitatis agnoſcere, qui eſt ſummus Pontifex, Vicarius Chriſti in terris, cuius finis quandoquidẽ eſt bonũ ſpirituale animæ, ideò Principum temporaliũ regimini non ſe immiſcet,quouſque poteſtate ſua in detrimẽtum propriarum animarum,aut populorum,aut in damnũ Chriſtianitatis non abutuntur, ſed cùm contrarium faciunt, poteſt & debet eos manu ducere,& dirigere, qui hoc non credit,non eſt Catholicus.Et ſi diceret leges illas nec præiudicium aduerſus Eccleſiam, nec

peccatum aliquod continere; reſponderem, iudiciũ de lege peccatum, aut præiudiciũ aduerſus Eccleſiã contineat nec ne, ad eundem ſummum Pontificem, tanquam iudiciũ ſupremũ pertinere, quemadmodũ iudicare de contractu ciuili, vſurarius ne ſit, & peccatum ad eũdem iudicem Eccleſiaſticum pertinet, ad quem pertinet cognitio cauſę. Ita Sanctiſſimus Dominus noſter Paulus Papa V. Rempublicam Venetam reprehendit, non ideò quòd delinquentes ſubditos ſuos puniat, ſed quia iudicare quoque præſumit perſonas Eccleſiaſticas, quæ alium ſuperiorem quam Eccleſiaſticum non agnoſcunt, non habita ratione ſacrorum Canonum & cenſurarum grauiſſimarum, quæ feruntur in eos, qui manus iniiciunt in perſonas Deo deuotas & conſecratas. Qui igitur ſepoſita paſſione negotium hoc conſiderabit, intelliget Papam, Rempublicã alia libertate priuare nolle, quã illa operãdi malè, quæ non à Deo, ſed à Dæmone, & à propria malitia eſt, & vna eſt cum ſeruitute peccati, oppoſita veræ libertati Chriſtianitatis. Et quẽadmodũ Principes ſæculares libertatẽ aliena rapiendi, occidendi, & ſimilia ſcelera perpetrãdi ſubditis ſuis non permittunt, quod tranquillitati, & bono regimini aduerſentur, ita nec ſummũ Pontificẽ, tanquã caput Eccleſiæ decet, permittere libertatem Principibus Chriſtianis condendi leges aduerſarias Eccleſiæ & ſaluti animæ. Et quemadmodũ paſtores nõ permittũt gregi libertatẽ errãdi quo placet, herbas depaſcendi venenoſas, aquas bibendi corruptas & turbidas, nec nautã cõuenit nauẽ relinquere, vt à qualibet tempeſtate, ad ſaxa ſcopulóſque feratur. Ita nec Pontifex paſtor gregis Chriſtiani, & primarius nauiculę Petri gubernator licentiam permittere de-

bet Chriſtianis, vt ſe perdant, vt aliis perdendi ſalutem æternam occaſionem præbeant. Demum quemadmodum iuſtè Reipublicæ Venetę non placet conſcientiæ libertas, quæ hac tempeſtate hæreticis arridet, videt enim hac libertate quoslibet errores introduci, atque ea de cauſa ſanctæ inquiſitionis tribunal fouet & promouet: ita neque placere deberet eidem libertas ſtatuẽdi leges honori Deo, & bono Matris ſuæ ſpiritualis, quæ eſt ſancta Eccleſia, contrarias, ſed & beneuola fronte acceptare deberet ſe ea de re à Patre ſuo ſpirituali, qui Vicarius Dei in terris eſt, admonitam & correctam eſſe.

II. *Pergit author ad ſecundam falſitatem, dum ait:* [Ego probatorum quorundam authorum reuolutione, ſeriò inquirere cœpi, quænam huiuſmodi excommunicationum ſit, vis & energia, quando præſertim ob cauſas tam iniuſtas feruntur.

Hæc eſt ſecunda falſitas cum incredibili temeritate & intolerabili arrogantia coniuncta. Author enim præfationis definire audet, cauſas excommunicationis latæ à ſummo Pontifice aduerſus Remnpublicam Venetam eſſe iniuſtas. Et forſitan qui cum ſcriptore hoc ageret, depreheenderet eum in hoc negotio, nec ſatis inſtructum eſſe, nec latæ excommunicationis ſcire cauſas, quandoquidem ipſe fatetur, ſed ſola fama Pariſiis ſparſa ad ſcribendum ſe pulſum fuiſſe. Ac proinde, neceſſe eſt eum eſſe de grege eorum, de quibus Apoſtolus loquitur. Non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, Timoth. 1. Poſſibile eſt ne te adeo temerarium eſſe, vt negotio nec dum probè intellecto, nullo adhibito ſtudio, inconſultis Doctorib. audeas tamẽ ſententiã tam abſolutam aduerſus Vicarium

tarium Chriſti proclamare. Et poſito quod ea in re multum operæ ſtudiique impenderis, decuitne te adeo arrogantem eſſe, vt iniuſtitiæ argueres & condemnares, ſupremum mundi Iudicem, & hanc tuã ſententiam toti mundo adminiculo typi palam faceres. Sed cum omnes rationes tuæ, ob quas excommunicationem ſummi Pontificis iniuſtam pronuntias, alio fundamento, quam fama non nitantur, qua ſcilicet ſpargebatur, Rempublicam Venetam, ideo quod nolit libertatem ſuam ſibi à Deo datã arbitrio alterius ſubiicere, excommunicatam eſſe. Et nos iã clarè demonſtrauerimus eam rationem falſam eſſe, iuſtitia etiam excommunicationis latæ à ſanctiſſimo noſtro, nota ſingulis, & calculo omnium, iis ſolum exceptis, quorum ea intereſt, & qui ſenſu magis quàm ratione ducuntur, approbata ſit; verba plura in falſitate hac confutanda non perdemus.

III. *Tertia ſequitur.* [Et quidem ſacri Concilij Tridentini Decretis accuratè inſpectis legendo verba hæc digna, vt aureis literis conſcribantur. (Quãtis excommunicationis gladius, &c.) in votis mihi maximè fuiſſet, vt quemadmodum ſanctiſſimi illi Patres, Eccleſiarum Antiſtitib. regulam ab iiſdem in huiuſmodi remedij applicatione, & ſalutifero vſu obſeruandam præſcripsêre, ſic pariter conſcientias deuotas & religioſas piorum informaſſent; quidnam eorum muneris & officij foret, cùm Præſules & Inſpectores contra præſcriptam à Chriſto Domino noſtro, Sancto Paulo, & ab antiquis ſacris Canonibus, formam cenſuras fulminant.

Non contentus eſt author falſitatem vnam contra Pontificem ſummum dixiſſe, ſed adiungit aliam contra vniuerſale Concilium; vt hoc modo & ca-

put, & primaria ſanctæ Eccleſiæ membra conuiciis afficiat. Reprehendit igitur author hic ſacrum Concilium de inſufficientia, quod cum præſcripſerit Prælatis, vt in cauſis leuibus excommunicatione non vtantur, neglexerit tamen ſimul erudire laicos, quomodo ſe gerere debeant, cum eorum Prælati ordinem præfixum, qui conformis ſit ordinationi Chriſti, S. Pauli, & ſacrorum antiquorum Canonum, intermittunt. Verum ſi voluiſſet totum ſacri Concilij decretum peruoluere inueniſſet idipſum, quod hic author ſe in votis habuiſſe ſimulat, cognouiſſétque quam inique inſufficientiæ doctrinæ Cõcilium arguat. Decretum quod ipſe allegat tertium eſt ſeſſionis vltimæ, in materia de reformatione: & quemadmodum in capite decreti Prælati admonentur, ne excommunicationis armis temere & leuibus de cauſis vtantur, ita ſub finem quoque inſtruuntur laici in magiſtratu politico conſtituti, quod ad ipſos non pertineat iudicare, an Prælatus in excommunicatione debitum ordinem obſeruet, nec ne, ac proinde magiſtratibus ſæcularibus præcipitur, ne impediant Prælatos, quo minus excommunicationem ferant, multominus mandent, vt latam reuocent ſub prætextu, quod ordini debito conformis non ſit: Nefas autem ſit ſæculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare vt latam excommunicationem reuocet, ſub prætextu quod contenta in præſenti decreto non ſint ſeruata, cum non ad ſæculares ſed Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat. Hæc ſunt verba ſacri Concilij, quod ſingulis rebus proſpexit, docuitque officium ſæcularis Magiſtratus non eſſe reſiſtere violenter publica-

plicationi excommunicationum, vt modo facit Magiſtratus Reipublicæ Venetæ, deceptus ab iis, qui adulari quam veritatem docere malunt, ex quorum numero eſt is quoque, cui reſpondemus.

IV. *Pergens vlterius author adiungit, & dicit:* [Et dum cum hic deſiderio viderem meo fieri nequaquam ſatis multos authores euoluenti, ecce præ reliquis vnus ſeſe mihi obtulit Ioannes Gerſon Doctor Chriſtianiſſimus cognominatus, æterna ſane memoria dignus.]

Negandum non eſt Gerſonem fuiſſe Doctorem multæ & pietatis & ſcientiæ: ſed infœlicitas temporis, ob diuturnitatem ſchiſmatis in Eccleſia Romana induxit etiam, vt & alios quoſdam eius ætatis, hunc authorem, vt minus recte de ſedis Apoſtolicæ poteſtate ſentiret. Dum enim interueniente Concilio generali mederi ſchiſmati, & Pontifices diuerſæ obedientiæ inducere ſtuderent, vt prætenſiones ſuas Concilij declarationi ſubmitterent, ſupra modum Concilij authoritatem extollebant, pontificiam vero deprimebant. Hinc naſcebatur, vt in manifeſtos ſacræ ſcripturæ, communi ſententiæ Theologorum, qui ante, & tunc, & poſt hæc tempora vixerunt, contrarios errores laberentur. Quapropter Gerſonis authoritas in materiis Papalem poteſtatem concernentibus nullius eſt momenti: nec deerant ſcriptores alij magis ſecuri, qui adferri poterant, ad intelligendum quouſque ſe vis excommunicationis extenderet, vt ſunt S. Thomas. S. Bonauent. S. Antoninus, & infiniti alij, etſi ſuſpectum authorem, immo manifeſte erroneum in materia, de qua hic ſermo fit, non adduceret.

V. Super alia omnia digna eſt repreheſione, cauſa, qua impulſus author Præfationis, vt transferret, & in lucem ſpargeret hos duos Gerſonis tractatus. [Vt (ait ille) conſcientia quælibet pia & religioſa eos legendo conſolari poſſit, cum magnam illam pœnam non incurrat, quam diuina maieſtas reprobis ſolet immittere, vt timeant ea quæ timenda non ſunt. Trepidauerunt timore vbi non erat timor.] Ecce quo perueniat humana cæcitas; vtitur verbis Dei, vt Dei timorem auferat, Pſalmo 13. & 52. Regius Pſaltes ait: Homines impios non timere verum Deum, qui dignus eſt vt timeatur. Non eſt timor Dei ante oculos eorum, è contrario falſos timere Deos, in quibus potentia nulla eſt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Et modo nouitius hic Doctor verba Pſaltis in contrario ſenſu vſurpat, vt perſuadeat, Vicarium Chriſti non eſſe timendum, & conſequenter nec Deum, quia ipſe ad Vicarios ſuos ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, Luc. 10. Contrarius Neotheologi huius verbis S. Greg. hic enim hom. 26. ſerm. habens, de excommunicatione ait: Sententia Paſtoris timenda eſt, ſiue iniuſta ſit. Hic autē ait: Qui timet ſentētiam Paſtoris, quam ſibi perſuadet eſſe iniuſtā, cadit in pœnam reprobrorum, timentium vbi timendum non eſt. Neque malum quod ex hac doctrina oritur, hic perſiſtit, ſed indies magis magiſque vſque ad extremam animæ internecionem ſerpit. Qui enim non timet cenſuras ſummi Pontificis, multo minus timet cenſuras Epiſcopi, & qui decreta capitis Eccleſiæ ſpernit, nequaquam conſcientiæ ſibi ducit, ſpernendi quoslibet alios ordines ac ſtatus.

Hoc

Hoc artificio Martinus Lutherus multis perſuaſit libertatem Chriſtianam conſiſtere in hoc;vt ſcilicet quis habeat conſcientiam largam, nec timeat præuaricari qualiacumque Eccleſiæ Decreta. Ex quo principio vidimus tot religioſos & Deo deuotas virgines,abſq; vllo ſcrupulo ſepta monaſterij egredi,ſacrum habitum abiicere,connubia inire,tot populos,ſacras imagines conculcare, obliuiſci vigiliarum & feſtorum, neſcire amplius quid ſint Quadrageſima, Confeſſio, Veſperæ,Miſſa. Ex hoc fonte demum non timendi amplius poteſtatem Vicarij Chriſti in terris eò nonnullas prouincias deductas eſſe vidimus,vt ne veſtigium religionis Chriſtianæ in eiſdem ſuperſit.

Tandem cùm authori huius Præfationis non ſufficeret, abuſum fuiſſe loco Teſtamenti veteris, ſed abutitur etiam Nouo, dū ait:[Sed iuxta doctrinam Apoſtoli corroborati in Domino, & in virtutis ſuę potentia arripiant ſcutum fidei,illúdque temerariis fulminibus opponāt, gladium Spiritus accipiendo, quod eſt verbum Dei.]

Non magis apertè Lutherus,nec Caluinus, abuti potuit verbis Dei aduerſus Deum. Loquitur Apoſtolus in Epiſt.ad Epheſ.cap.vltimo, de reſiſtentia,qua fideles dæmonio infernali reluctari debent: Vt poſſitis ſtare contra inſidias Diaboli: & paulo inferius: In omnibus ſumentes ſcutum fidei,in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Vt etiam ait Petrus: Cui reſiſtite fortes in fide. Et ſanctus Iacobus: Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis. Et hic Neotheologus applicat hanc reſiſtentiam ad cenſuras Sūmi Pontificis:ac ſi Apoſtolus loco eius, armate vos fide, & verbo Dei,ad reſiſtendum,Dia-

bolo,dixiſſet,armate vos fide,& verbo Dei, ad reſiſtendũ Deo in ſuo vicario.Et quæ hęc fides eſt, aut quod hoc verbũ Dei,quod nos docet, Vicario Dei reſiſtere? quinimmo, quæ eſt hæc fides,quod verbũDei,quodnon doceat,nos obedire & ſubiectos eſſe oportere Eccleſiæ ſanctæ Antiſtib. An non ait S.Paulus in epiſt.ad Hebræos: Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Nunquid Chriſtus ipſe ſic iubet, Matth.18. Si Eccleſiam non audierit,ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus?

Verũ tẽpus eſt,vt ad conſiderationes Gerſonis ipſius accedamus,demõſtremuſq; manifeſtè,eas aut nihil ad negotium præſens facere,aut erroneas eſſe.

Prima conſideratio eſt, [Irregularitatem & excommunicationem principaliter inniti contemptui clauiũ Eccleſiæ,hoc eſt,poteſtatis Eccleſiaſticæ.] Hæc conſideratio vera eſt,ſi intelligatur per contemptũ inobedientia,aut vt rectius dicatur contumacia,nec eſt contraria facto ſanctiſſimi Domini noſtri.

Secunda conſideratio eſt. [Contemptum clauium poſſe interuenire tribus modis,directè, indirectè, aut apparẽter.]Ita ait interpres parũ fidelis.Gerſon enim non declarat tertiũ modũ verbo apparenter, ſed verbo interpretatiue. Quæ verba ferè contraria ſũt.Apparẽs enim illud eſt,quod apparet & nõ eſt, interpretatiuũ quod nõ apparet &eſt.Sed parũ facit hic error,ad præſens negotiũ,de quo hic ſermo eſt.

Tertia conſideratio eſt, [Contemptus clauium primo & ſimiliter ſecundo modo rationabiliter demeretur excommunicationem,conſequenter irregularitatem: tertius tamen modus non ſemper eſt demeritorius excommunicationi,niſi Dei, qui enim peccat mortaliter,à Deo excommunicatio eſt.

In hac

In hac conſideratione mali nihil continetur, quàm in vltimis verbis, propriè enim loquendo de excõmunicatione,verũ non eſt,cũ,qui peccat mortaliter à Deo excõmunicatũ eſſe,aliàs enim peccatores abſque nouo peccato nõ poſſent intereſſe Miſſæ,aut aliis diuinis officiis,quod falſum eſſe omnibus cõſtat.

Quarta conſideratio. [Contemptum neutro modorum prædictorum dicendum eſſe interuenire, quando manifeſtè & notoriè Prælatus abutitur poteſtate clauium.]

Hæc conſideratio eſt vera de abuſu clauiũ in re eſſentiali,qualis eſſet,ſi Prælatus ſuam poteſtatem excederet,aut non præmiſſa admonitione vlla excommunicaret,aut præciperet ſub pœna excommunicationis,res diuino præcepto contrarias. Tunc enim cum S.Petro dicendum eſſet:Obediendum eſt magis Deo, quàm hominibus, Actor. 5. Sed licet vera ſit doctrina Gerſonis, nihilominus Interpretis ſcopus multum eſſe poteſt venenoſus: fortè enim perſuadere vult hominibus, vt credant,excommunicationem latam à Sanctiſſimo Domino noſtro, abuſum eſſe notorium clauium, cùm è contrario legitimus & ſanctiſſimus ſit,vt clarè demonſtrari poſſet, ſi de hoc agendum foret.

Quinta conſideratio eſt. [Prælatum abutentem poteſtate clauium, magis ſpernere claues, & grauius peccare,quàm ſubditum non obedientem ſuo Prælato,atque hinc colligi, opus quandoque meritorium eſſe in eiuſcemodi negotiis Prælato in faciem reſiſtere, vt Paulus Sancto Petro reſtitit.]

In hac conſideratione multa dicenda eſſent, ſed quia ad rem noſtram parum faciunt,duo tantùm dicamus. Primum eſt:Doctrinã Gerſonis parum ſe-

curam videri, vt enim relinquantur comparationes, quæ ſecundum varias circumſtantias variari poſſunt, ex quibus oriri poteſt, vt modò Prælatus malè ſua poteſtate vtens, modò ſubditus non obediens peccet, ſi conſideretur, ſolum ipſum vti malè poteſtate, & ipſum non obedire poteſtati: grauior noxa eſt obedire nolle, quàm vti malè poteſtate, qui enim abutitur poteſtate, facit peccatũ iniuſtitiæ, & hominem ſibi ſubditum offendit: qui autem non vult obedire Prælato iuſtè præcipienti, & eius excommunicationẽ ſpernit, peccatum rebellionis cõmittit, & in ſuo Vicario Maieſtatem diuinam offendit. Ita enim dicit Chriſtus: qui vos ſpernit, me ſpernit, Lucæ 10. & Apoſtolus 1. ad Theſſal. ca. 4. Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum. Et hic contemptus Dei in ſuo Vicario à Samuele Propheta 1. Regum c. 15. ſpecies quędã idololatriæ appellatur.

Alterum eſt, quòd licet in caſu aliquo meritoriũ eſſe poſſit, reſiſtere in faciem Prælati, nihilominus ordinariè res eſt ſcandaloſa, & grauis noxæ. Adducere verò hanc conſiderationem ad præſens negotiũ, vt ad ſpernendum Vicarij Chriſti decreta ſubditi incitentur, res amandanda eſt. S. Paulus n. non reſtitit S. Petro, in materia obedientiæ, ſed in materia certę cuiuſdã obſeruantiæ legalis, & ita placuit Deo, ad oſtendendam mundo S. Petri humilitatem, permittere, vt in vno aliquo articulo obſeruantiæ legalis, S. Paulus magis illuminaretur, quàm S. Petrus, & ea de cauſa S. Petrus fraternam S. Pauli correctionem libenter ſuſtinuit, præſertim, cùm S. Paulus eſſet Apoſtolus, nec minùs repletus ſpiritu S. quàm S. Petrus, verùm in materia obedientiæ & reuerentiæ ſcimus, S. Paulum ſemper ſubditos ad obediendum

dum

dũ ſuis Præſulibus admonuiſſe, quin & ipſe Hieroſo lymam venit viſitare S.Petrũ, & conferre cum ipſo Euangelium, quod prædicabat, licet idipſum quoq; ex reuelatione habuerit, vt de ſe ipſo Paulus teſtatur in epiſt. ad Galat. c.1. Quæ igitur conſequentia erit illa: S.Paulus Apoſtolus vas electionis, auſus eſt admonere S.Petrum: operantur ergo meritoriè populi reſiſtentes in faciem Summo Pontifici, quando illis aliquid præcipit & mandat ſub pœna excommunicationis? hæc cõſequentia non eſſet boni Dialectici, ſed peruerſi Schiſmatici.

Sexta conſideratio eſt [Interuenire poſſe eiuſcemodi caſum, vt aliquis non obediendo Prælato ſit contemptor clauium, vbi & quando alius in eadem ſententia non obediens, nullo modo contemptus ſit reus. Vnus enim reputat ſententiam Prælati iuſtam eſſe, aut quomodolibet obediendum illi: alius autẽ non, ſed ſcit certitudinaliter, aut probabilitate ſufficienti, ſuũ Prælatũ malè vti poteſtate clauiũ.] In hac conſideratione nihil aliud dicendũ occurrit, quàm non ſufficere qualẽcumq. probabilitatem, nec probabilitatẽ qualiſcũq; abuſus poteſtatis clauiũ, ad hoc vt ad obediendum Prælato obligati nõ ſimus. Quin imò iuxta cõmunem doctrinã, vt aliquis non ſit obligatus obedire, opus eſt, vt certũ ſit & notorium, Prælatũ in re eſſẽtiali ſua poteſtate abuti. Eſt enim regula vniuerſalis S. Auguſtini l.22. contra Fauſtum c.75. & ab aliis accepta, obligatũ eſſe ſubditũ ad obediendum, non ſolùm quando conſtat, ſuperiorẽ nihil Deo contrariũ iubere, ſed etiã quando non eſt certus aliquid præcipere, quod ſit contrarium Deo: in caſu namque dubio obſequendum eſt iudicio ſuperioris & non proprio, & tunc tantum obediendũ non eſt, quando certum eſt, eum Deo cõtraria præ-

cipere. Eſt enim Deo obediendum magis quàm hominibus, vt ſupra diximus.

Septima conſideratio [Contemptum clauiũ inueſtigandũ eſſe ex poteſtate legitima & vſu legitimo poteſtatis illius, atque ideo gloſſa indigere dictũ illud cõmune. Sententia Paſtoris vel Iudicis etiã iniuſta timenda eſt.] Hæc eſt optima cõſideratio, & gloſſa huius dicti cõmunis reperitur in ſacris Canonib. in quib. illud ipſũ dictum exſtat, in decreto ſcil. Gratiani 11.q.3. per multa capita, & ſũma eſt, quòd ſententia Paſtoris timẽda ſit, quando iniuſta quidẽ, ſed valida eſt, cũ ſcil. nulla pars eſſentialis deeſt, ſed ſolũ accidentaria: exempli gratia: Legitimus Prælatus excommunicat ſuum ſubditum iuſtam ob cauſam, prę uia admonitione, non ex zelo puræ iuſtitiæ, ſed odio particulari, quo illi infenſus eſt, aut omiſſa trina pręmonitione, aut nõ declarata ſententia in ſcriptis, eiuſmodi excõmunicatio iniuſta eſt, ſed valida, atque ideò timenda. Quando ẽt re ipſa inualida eſſet, neſciretur tamẽ inualida, ſimiliter timenda eſt. Nec laboro in probatione horum, ſunt enim luce clariora, vt nec ipſe Gerſon ea negare poſſit. Et ex hac conſideratione colligere quiſque poterit, ſententiam Sanctiſſimi Domini noſtri Pauli V. aduerſus capita Reipublicæ Venetæ fulminatam requiſitis omnibus tam eſſentialibus quàm accidentalibus præditam eſſe, atque ideò timendam, cùm non modò valida, ſed etiam iuſtiſſima ſit. Si enim poteſtatem legitimam deſideres, ſuprema eſt ea à Deo data, vniuerſaliſſima, ſuper omnes, qui ſe oues ouilis Chriſti, & membra myſtici corporis Eccleſiæ, & ciues ciuitatis Dei, & domeſticos domus Dei appellari volunt. Quòd poteſtas vniuerſalis ſit, manifeſtè apparet

paret in iſtis verbis: Quodcũque ligaueris & quodcumque ſolueris, Matth. 16. Quod ſit ſupra omnes, ex aliis verbis colligitur: Paſce oues meas, Ioã. 21. vbi non reſtringitur poteſtas ad has illas oues, ſed includuntur omnes, quæ ſunt ſuæ, & qui hoc non credit, non eſt orthodoxus. Si vſum legitimum requiris, inuenies, non defuiſſe multas præmonitiones, nec aliquid earum rerum, quæ ad iudiciariũ proceſſum requiruntur. Si cauſam: fuit hæc defenſio immunitatis Eccleſiaſticæ, quam ſacrum Concilium Tridentinũ ſeſſ. 25. c. 20. dicit eſſe fundatã in ordinatione diuina, & in ſacrorũ Canonũ conſtitutionibus, pro quibus ſcimus multos Pręſules vſque ad mortem decertaſſe: & Deus S. Thomam Cantuarienſem multis ideò miraculis illuſtrauit, & verum Martyrem ſuum declarauit, vt poſtmodum Eccleſia eum quoque talem oſtendit, quòd ſanguinem pro libertate Eccleſiæ profuderit.

Octaua conſideratio. [Abuſus clauium plus habet periculi in ſummo Pontifice quàm in inferioribus. Quoniam ab abuſibus inferioribus patet recurſus ad Papam per appellationis ſubſidium, ab abuſibus autem Papæ recurſus non eſt niſi ad Conciliũ generale, quod non abſque difficultate congregari poteſt. Et licet in initio Concilij Conſtantienſis multi putauerint, licitum non eſſe, à Papa ad Concilium appellare: nihilominus illud ipſum Concilium declarauit expreſſè, hæreſin eſſe, negare ſuperioritatem Concilij ſupra Pontificem.] Hæc conſideratio continet errorem quendam apertiſſimum & grauiſſimum, & qui hunc errorem ad propoſitum præſentis negotij adducit, demonſtrat ſe parum Catholicum. Et vt initium capeſſamus à Concilio Conſtantienſi, tria dicenda ſunt.

Primum eſt, hoc Concilium nullibi declaraſſe, hæreſin eſſe, negare ſuperioritatem Concilij ſupra Papam, voluatur & reuoluatur integer Concilij codex, tale quid non inuenietur. Secundum eſt, quòd ſupra dictum Concilium ſeſſ. 4. decretum faciat, quo declarat hoc ipſum Concilium Conſtantienſe repræſentare Eccleſiam vniuerſalem, & habere poteſtatē immediatā à Chriſto, cui poteſtati quilibet, etiam ipſe Papa ſit obligatus obedire. Et hoc decretū etiā à viris doctiſſimis non putatur intelligendū eſſe de quolibet Papa, ſed de Papa dubio, qualis tunc erat, cùm tres diuerſi Pontifices eſſe volebant, habebātq; ſectas ſuos, & hoc veriſſimum eſt, Eccleſiam habere poteſtatem declarandi, quis ſit verus Papa eóſque qui tempore ſchiſmatis de pontificatu certant, obligatos eſſe auſcultare & obedire Eccleſiæ, & Cōcilii generalis decreto. Quòd autem Papa canonicè electus & indubiè pro Papa agnitus debeat obedire Eccleſiæ & Concilio, ex eo decreto minimè colligitur. Tertium eſt, iſtud decretum aliud robur non habere, quàm vt ſuccurratur ſchiſmati, cùm enim eo tempore Papa Concilio præſens non fuerit, erat Concilium illud acephalum, atque ideò non habebat authoritatem declarandi res fidei, nec res alias maioris momenti. Et etiamſi poſtea Martinus Papa V. approbauerit Concilium Conſtantienſe, approbauit tantum, quantum ad decreta facta per modum Concilij, vt fuerunt illa aduerſus hæreſin Ioannis VVicleffi, & Ioannis Huſſ, decretum autē ſuperioritatis Concilij ſuper Papā, non eſt factum per modū Cōcilij, hoc eſt, præuiis, examine, diſcuſſione, & diſputationibus, nec per Patrū vota & ſuffragia, ſed fuit decretū ſimpliciter inſtitutū ad me-

dendum

dendum ſchiſmati, quantum neceſſarium videbatur.

Vnde paulò poſt Pius II. in Concilio Mantuano excommunicauit eos, qui à Papa ad Concilium appellabant, eandémque excommunicationem renouauit Papa Iulius II. teſte Syluest. verbo Excõ. 7. nu. 93. & eandem modò confirmant omnes Pontifices in bulla Cœnæ Domini. Demũ Papa Martinus V. cum ſuffragiis eiuſdem Conſtantienſis Cõcilij declarat ſuſpectos de hæreſi, circa multos articulos interrogandos eſſe, in particulari verò num credant, Pontificẽ habere ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei, certũ autẽ eſt, ſi ſuprema poteſtas in Papa eſt, hoc eſſe non poſſe, ſi Conciliũ ſit ſupra Papam, alias enim ſuprema poteſtas in Cõcilio eſt, & non in Papa. Ex quibus apparet, Concilium Conſtantienſe in decreto ſeſſionis 2. ad modum à nobis explicatũ intelligendum eſſe, alias enim ſibi ipſi contrariaretur, & ſi admittenda eſt contrarietas, plus credendũ eſt decreto ſecundo à Papa & ſimul à Concilio facto, quàm primo à Cõcilio ſine Papa facto, id eſt à corpore ſine capite. Sed relinquamus Conciliũ Conſtantienſe, opinionem Gerſonis erroneam eſſe pauciſſimis verbis probari poteſt, authoritate nimirum ſcripturæ, & conciliorum, & ratione.

Scriptura ſacra in nullo loco authoritatem dat Eccleſiæ aut Cõcilio ſupra ſuos Paſtores, multo minus ſupra ſummũ Paſtorẽ, ſed contrariũ potius dicit S. Paulus in Actis Apoſt. ca. 20. Deus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Et Vicario ſuo dicit Chriſtus Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meã: vbi Chriſtum cõſtituere Petrũ fundamentum Eccleſiæ, idem fuit, ac facere caput myſticum: quod enim in domo fundamentũ, hoc caput

eſt in corpore. Videmus autem caput præeſſe & poteſtatem habere in reliquas corporis partes, non è contra. Ita quando Chriſtus Ioan. 21. Petro dixit: Paſce oues meas, conſtituit illum Paſtorem totius ouilis, & dubium non eſt, ouile non habere poteſtatē in Paſtorem, ſed potius Paſtorem in ouile. Demum quando Dominus ait: Lucę 12. Quis eſt fidelis diſpēſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiā ſuam, dubio procul declarat, Epiſcopum in Eccleſia particulari, & Papam in vniuerſali, eſſe veluti Palatinos & domus Præfectos quoſdam in familia Dei. Et quemadmodum Præfectus domus familiæ dominatur non contra: ita & Epiſcopus dominium habet in ſuam Diæceſin, hæc autem dominium non habet in Epiſcopum, nec Eccleſia etiam congregata in Cōcilio, dominiū & poteſtatem habet in Papam, atque ideo etiam in eo ipſo loco ſubiungit Saluator: Quod ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo, morā faciet Dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos & ancillas, edere, & bibere, & inebriari, veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & diuidet eum, partémque eius cum infidelibus ponet. Ex quibus colligitur, quando Præfectus domus perperā agit, Deū nolle, vt à familia puniatur, ſed iudicandi & puniendi eū, ſibi poteſtatē reſeruaſſe. Cùm igitur neque Eccleſia, & conſequēter nec Concilium, quod Eccleſiam repræſentat, iuxta ſcripturas, vllā in Papam poteſtatem habeat, rectè ſequitur, non poſſe ad Conciliū appellari, eſſe autē recurſum ad beneficium appellationis à Concilio ad Papam. Hanc eādem veritatem ex ſcripturis deductam, ipſa etiam ſacra Concilia confirmant.

Cum Papa Marcellinus, formidine mortis, grauiſſimum

uiſſimum illum errorem, ſacrificando Idolis commiſiſſet, congregatũ fuit Conciliũ Sinueſſanum, vt ea de cauſa diſputaretur, totũ Conciliũ cõfitebatur, non eſſe in ſua poteſtate iudicare Papam. Prima ſedes à nemine iudicatur. Et huius Concilij meminit Nicolaus I. in epiſtola ad Michaelẽ Imperatorẽ. Similiter Conciliũ Romanũ à Sancto Syluestro cõuocatũ can. vltimo declarat, Primã ſedẽ, quæ Papæ eſt, à nemine iudicari poſſe. Conciliũ Calcedonẽſe, vnũ ex quatuor primis Cõciliis generalib. in tertia actione, dãnat Dioſcorũ Patriarchã Alexandrinũ, & pariter totũ Conciliũ Epheſinum, quod Papã Romanũ iudicare auſus ſit. Si igitur primus Patriarcharũ poſt Romanũ vna cũ toto Concilio generali, nõ poterat iudicare Papã, manifeſtè deducitur, Cõciliũ non eſſe ſupra Papã, alias enim ipſum iudicare poſſet. Paulò poſt, Concilium V. Romanum ſub Papa Symmacho approbat, ceu propriũ Decretũ, ſentẽtiã Ennodij. Aliorũ hominũ cauſas Deus per homines terminari voluit: Sedis iſtius Præſulẽ ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio. Voluit Petri Apoſtoli Succeſſores, cœlo tantũ debere innocẽtiam. In Cõcilio octauo generali, actione 7. ita legimus: Romanũ Pontificẽ de omniũ Eccleſiarũ Præſulibus iudicaſſe, de eo verò neminẽ iudicaſſe legimus. Paulus Æmilius libro 3. Hiſtoriæ ſuæ ſcribit, cùm magnum Conciliũ in præſentia Caroli Magni, ob quaſdã res Papæ Leoni III. obiectas, congregatũ fuiſſet, omnes Epiſcopos vna voce clamaſſe, nemini licitum eſſe Summũ Pontificẽ iudicare. Cõciliũ Lateranẽſe ſub Alexandro III. dũ leges de eligendo Põtifice ſtatuẽdæ eſſent, ait, in hac electione ſingulari induſtria opus eſſe, ſi enim erretur, recurſum ad aliũ ſuperiorẽ

non ſuppetere, quod in terris Papa ſuperior nemo ſit. Legatur caput Licet extra de electione. Deinum Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſio. 11. determinat expreſsè, Papam eſſe ſuper quodcunque Concilium, ac proinde ad illum ſolum pertinere, conuocare, transferre, & dimittere Concilium. Si igitur ipſa Concilia Papæ ſe ſubiecta pronunciant, quis audebit dicere, Concilium eſſe ſupra Papā, aut ab hoc ad Concilium appellationem inſtitui poſſe. Sed videamus, an ipſa ratio in ſcripturis Dei fundata, hanc eandem veritatē confirmet. Eccleſia ſancta non eſt Reipub. Venetæ, Genuenſi, aut ciuitati cuipiā comparanda, quæ Duci ſuo Imperiū, quod placet, indulget, vnde naſcitur, vt Reſpublica Principe ſuperior ſit. Nec ſimilis eſt regno terreno, in quo populus anthoritatem transfert in Monarchas, vt tamen à dominio Regio quibuſdam in caſibus liberari queat, & redire ad regimen conſulare. Romanorum exemplo, qui à dominio Regio, ad regimen Conſulare deuenerunt. Eſt enim Eccleſia Chriſti regnum perfectiſſimum, monarchia abſoluta, & à populo nec depēdens, nec originem trahens, ſoli voluntati & imperio diuino ſubiecta. Ego autem, ait Chriſtus Pſalm. 2. cōſtitutus ſum Rex ſuper Syō montē ſanctum eius. Et Angelus ſanctus ait ad Beatam virginem Lucæ 1. Dabit ei Dominus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius nō erit finis. Et mille aliis in locis habetur idipſum. Hoc regnum independens eſſe ab hominibus, oſtendit Chriſtus, cum ait: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, Ioannis 15. Et hoc ipſum nos aliquando profitebimur: Feciſti nos Deo noſtro regnum Apocal. 5. Et hæc cauſa eſt, quod hoc

regnum in ſcripturis familiæ aſſimiletur: Quis eſt ſeruus & prudens, quē conſtituit Dominus ſuper familiā ſuā, Matth.24. Paterfamilias enim nō depēdet à familia, neque ab ipſa authoritatē acquirit. Cum igitur hęc veriſſima ſint, neceſſaria cōſequētia cōcluditur Vicariū generalē Chriſti, non depēdere ab Eccleſia, ſed à ſolo Chriſto, à quo omnis eius authoritas deriuatur, quo modo videm⁹ in terrenis regnis Pro-regē nō habere poteſtatē à regno, ſed à Rege, nec iudicari aut puniri poſſe à populo, ſed ſolū à Domino.

Vides igitur quantoperè deceptus ſit Gerſon; & qui eum ſequitur ſeipſum decipit; contrarius porrò eſt, ſacræ ſcripturæ, Conciliis, & manifeſtis rationibus. Et ſi quiſpiā obiiceret, quod ipſe Gerſon quoque ſolebat, Scriptum eſſe Matthæi 18. Dic Eccleſię, & ſi Eccleſiā non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Reſponderem, in eo loco nomine Eccleſiæ intelligi Prælatum, qui caput eſt Eccleſiæ, quem in modum exponit hunc locū Sanctus Chryſoſtom. homil.61. in Matth. & Papa Innocētius III. capit. Nouit. de Iudiciis, & docet hoc vniuerſalis Eccleſiæ totius mundi praxis, omnium ætatum & temporum conſenſus, qui enim Eccleſiæ peccatorem denunciare vult, & obſeruare hoc præceptum, non congregat Concilium, ſed ad Epiſcopum, aut eius Vicarium recurrit.

IX. *Nona conſideratio.* [Non incurritur contemptus clauium, quando Papa enormiſſimè & ſcandaloſiſſime abutitur ſua poteſtate.] Hæc conſideratio in ſe vera eſt, ſed iniurioſiſſima ſanctiſſimo Domino noſtro, & ſāctæ ſedi Apoſtolicæ, ac ſi hoc modo clauibus regni cœlorum abuti ſoleat. Simili aſtu & fraude hęretici noſtri tēporis, vt mundo odioſā red-

derent poteſtatem Pontificiam, infamia in eam conuicia ſpargunt, quæ Anteſignanus & caput eorum Satanas ſuggeſſit. Veneti eius farinæ defenſores abhorrere & punire deberent.

X. *Decima conſideratio.*[Non incurrere eos contemptum clauium, qui per poteſtatem ſæcularem, aduerſus tales prætenſas ſententias tueri ſe procurant, lex enim naturalis dictat, vim vi repelli poſſe.] Hæc doctrina pernitioſa eſt, à qua infinita oriri poſſunt ſcandala. Licet enim ſententia hæc veriſſima ſit, vim vi repelli poſſe. Nihilominus limitationes multas admittit. Vt nimirum vis ſit iniuſta, nullum præter vim extet remedium, & vt continuo reſiſtentia fiat, & præter has alias, quas Sylueſter, verbo Bellum 2. & alij Doctores, qui de hac materia tractant, declarant: ac proinde, niſi magna cautela hæc ſententia in caſibus particularibus adhibeatur, grauiſſimarum perturbationum cauſa eſt. Dum apparitores captum vinciunt, certum eſt capto violentiam inferri, nec tamen licita eſt in lictores violentia, ea de cauſa, quod vis vi repelli poſſit. Qui per vim ad ſcamna triremium alligatur, loris & verberibus ad remigandum compellitur, violentiam procul dubio ſuſtinet, nec tamen vllus, qui iudicio præditus ſit, affirmabit, hortatori remigũ, ſub hoc prætextu quempiam violenter obſiſtere poſſe. Similiter cogitur à ſuperiori ſeu Eccleſiaſtico, ceu ciuili quiſpiam, vt reſtituat rem alienam aut famam, ſeruare fidẽ & promiſſum, dici tamẽ nequit, quod tali modo coactus violẽter reſiſtere poſſit, aut inſurgere aduerſus ſuum ſuperiorem. Et vt relinquamus infinita exempla. Frequenter magiſtratus aut Principes plebi, grauiſſimas exactiones & onera imponunt,

nque ad ſoluendum impellunt cogúntque non do vllum tamen eſſe, cui placeat is, qui motus & itiones in plebe excitaret, ea de cauſa, quod lici-n ſit vim vi repellere. Et quæ metamorphoſis & ıfuſio in priuatis ædibus, vrbibus & Regnis fo-, ſi omni vi vis opponi poſſet, ea de cauſa ſolum-ɔdo, quod naturale lumẽ, vim vi repellendam di-:t. Verum ſi de vi ſermo ſit, qua Prælati vtuntur, ın cenſuris Eccleſiaſticis conſtringunt ſubditos obediendum, certum eſt, licitũ non eſſe eis vi iſtere. Si enim qui non audit Eccleſiam, iuxta præ ɔtũ Domini pro Ethnico & Publicano habẽdus, ſane deterior cenſendus eſt, qui violenter Eccle-reſiſtit. Quantum verò attinet ad recurſum Prin ıũ ſæculariũ in materia excõmunicationis, à ſacro ɔncilio Tridentino ſufficienter proſpectum eſt, m ſeſſione 25. & 13. Principibus ſæcularibus pro-ɔet, ne Prælatos ab excommunicatione impe-ınt, neque iubeant vt iam fulminatæ reuocentur, m hoc ad officium eorum non ſpectet. Si demũ negotium, de quo hoc tempore inſtituta eſt quę ɔ procedamus, principium quod adducit, vim vi ɔellere licere, ad propoſitum nil facit. Vis enim am Reipub. Venetæ ſanctiſſimus Dominus no-r infert, vis paterna, iuſta, & conformis eſt ſacræ ipturæ, ſacris Canonibus, omni tempore Eccle-Antiſtitibus vſitata: adeſt & in promptu reme-ım, quamuis ad vim aut auxilium Principum non ugiant, obedientia ſcilicet & humilitas, ſine qui-s alia omnia remedia vana ſunt.

XI. *Vndecima conſideratio.* [Iuriſtarum, aut ɪeologorum aliquem non incurrere contem-ĩ clauium Eccleſiæ, dũ in præmiſſis caſibus, iuxta

cipere. Eſt enim Deo obediendum magis quàm ho minibus, vt ſupra diximus.

Septima conſideratio [Contemptum clauiũ inueſtigandũ eſſe ex poteſtate legitima & vſu legitimo poteſtatis illius, atque ideo gloſſa indigere dictũ illud cõmune. Sententia Paſtoris vel Iudicis etiã iniuſta timenda eſt.] Hæc eſt optima cõſideratio, & gloſſa huius dicti cõmunis reperitur in ſacris Canonib. in quib. illud ipsũ dictum exſtat, in decreto ſcil. Gratiani 11. q. 3. per multa capita, & sũma eſt, quòd ſententia Paſtoris timẽda ſit, quando iniuſta quidẽ, ſed valida eſt, cũ ſcil. nulla pars eſſentialis deeſt, ſed ſolũ accidentaria: exempli gratia: Legitimus Prælatus excommunicat ſuum ſubditum iuſtam ob cauſam, pręuia admonitione, non ex zelo puræ iuſtitiæ, ſed odio particulari, quo illi infenſus eſt, aut omiſſa trina pręmonitione, aut nõ declarata ſententia in ſcriptis, eiuſmodi excõmunicatio iniuſta eſt, ſed valida, atque ideò timenda. Quando ẽt re ipſa inualida eſſet, neſciretur tamẽ inualida, ſimiliter timenda eſt. Nec laboro in probatione horum, ſunt enim luce clariora, vt nec ipſe Gerſon ea negare poſſit. Et ex hac conſideratione colligere quiſque poterit, ſententiam Sanctiſſimi Domini noſtri Pauli V. aduerſus capita Reipublicæ Venetæ fulminatam requiſitis omnibus tam eſſentialibus quàm accidentalibus præditam eſſe, atque ideò timendam, cùm non modò valida, ſed etiam iuſtiſſima ſit. Si enim poteſtatem legitimam deſideres, ſuprema eſt ea à Deo data, & vniuerſaliſſima, ſuper omnes, qui ſe oues ouilis Chriſti, & membra myſtici corporis Eccleſiæ, & ciues ciuitatis Dei, & domeſticos domus Dei appellari volunt. Quòd poteſtas vniuerſalis ſit, manifeſtè apparet

paret in iſtis verbis: Quodcúque ligaueris & quodcumque ſolueris, Matth.16. Quod ſit ſupra omnes, ex aliis verbis colligitur: Paſce oues meas, Ioã.21. vbi non reſtringitur poteſtas ad has illas oues, ſed includuntur omnes, quæ ſunt ſuæ, & qui hoc non credit, non eſt orthodoxus. Si vſum legitimum requiris, inuenies, non defuiſſe multas præmonitiones, nec aliquid earum rerum, quæ ad iudiciariũ proceſſum requiruntur. Si cauſam: fuit hæc defenſio immunitatis Eccleſiaſticæ, quam ſacrum Concilium Tridentinũ ſeſſ.25.c.20. dicit eſſe fundatã in ordinatione diuina, & in ſacrorũ Canonũ conſtitutionibus, pro quibus ſcimus multos Pręſules vſque ad mortem decertaſſe: & Deus S. Thomam Cantuarienſem multis ideò miraculis illuſtrauit, & verum Martyrem ſuum declarauit, vt poſtmodum Eccleſia eum quoque talem oſtendit, quòd ſanguinem pro libertate Eccleſiæ profuderit.

Octaua conſideratio. [Abuſus clauium plus habet periculi in ſummo Pontifice quàm in inferioribus. Quoniam ab abuſibus inferioribus patet recurſus ad Papam per appellationis ſubſidium, ab abuſibus autem Papæ recurſus non eſt niſi ad Conciliũ generale, quod non abſque difficultate congregari poteſt. Et licet in initio Concilij Conſtantienſis multi putauerint, licitum non eſſe, à Papa ad Concilium appellare: nihilominus illud ipſum Concilium declarauit expreſſè, hæreſin eſſe, negare ſuperioritatem Concilij ſupra Pontificem.] Hæc conſideratio continet errorem quendam apertiſſimum & grauiſſimum, & qui hunc errorem ad propoſitum præſentis negotij adducit, demonſtrat ſe parum Catholicum. Et vt initium capeſſamus à Concilio Conſtantienſi, tria dicenda ſunt.

Primum eſt, hoc Concilium nullibi declaraſſe, hæreſin eſſe, negare ſuperioritatem Concilij ſupra Papam, voluatur & reuoluatur integer Concilij codex, tale quid non inuenietur. Secundum eſt, quòd ſupra dictum Concilium ſeſſ. 4. decretum faciat, quo declarat hoc ipſum Concilium Conſtantienſe repræſentare Eccleſiam vniuerſalem, & habere poteſtatē immediatā à Chriſto, cui poteſtati quilibet, etiam ipſe Papa ſit obligatus obedire. Et hoc decretū etiā à viris doctiſſimis non putatur intelligendū eſſe de quolibet Papa, ſed de Papa dubio, qualis tunc erat, cùm tres diuerſi Pontifices eſſe volebant, habebātq; ſectas ſuos, & hoc veriſſimum eſt, Eccleſiam habere poteſtatem declarandi, quis ſit verus Papa eóſque qui tempore ſchiſmatis de pontificatu certant, obligatos eſſe auſcultare & obedire Eccleſiæ, & Cōcilii generalis decreto. Quòd autem Papa canonicè electus & indubiè pro Papa agnitus debeat obedire Eccleſiæ & Concilio, ex eo decreto minimè colligitur. Tertium eſt, iſtud decretum aliud robur non habere, quàm vt ſuccurratur ſchiſmati, cùm enim eo tempore Papa Concilio præſens non fuerit, erat Concilium illud acephalum, atque ideò non habebat authoritatem declarandi res fidei, nec res alias maioris momenti. Et etiamſi poſtea Martinus Papa V. approbauerit Concilium Conſtantienſe, approbauit tantum, quantum ad decreta facta per modum Concilij, vt fuerunt illa aduerſus hæreſin Ioannis VVicleffi, & Ioannis Huſſ, decretum autē ſuperioritatis Concilij ſuper Papā, non eſt factum per modū Cōcilij, hoc eſt, præuiis, examine, diſcuſſione, & diſputationibus, nec per Patrū vota & ſuffragia, ſed fuit decretū ſimpliciter inſtitutū ad medendum

dendum ſchiſmati, quantum neceſſarium videbatur.

Vnde paulò poſt Pius II. in Concilio Mantuano excommunicauit eos, qui à Papa ad Concilium appellabant, eandémque excommunicationem renouauit Papa Iulius II. teſte Syluest. verbo Excō. 7. nū. 93. & eandem modò confirmant omnes Pontifices in bulla Cœnæ Domini. Demū Papa Martinus V. cum ſuffragiis eiuſdem Conſtantienſis Cōcilij declarat ſuſpectos de hæreſi, circa multos articulos interrogandos eſſe, in particulari verò num credant, Pontificē habere ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei, certū autē eſt, ſi ſuprema poteſtas in Papa eſt, hoc eſſe non poſſe, ſi Conciliū ſit ſupra Papam, alias enim ſuprema poteſtas in Cōcilio eſt, & non in Papa. Ex quibus apparet, Concilium Conſtantienſe in decreto ſeſſionis 2. ad modum à nobis explicatū intelligendum eſſe, alias enim ſibi ipſi contrariaretur, & ſi admittenda eſt contrarietas, plus credendū eſt decreto ſecundo à Papa & ſimul à Concilio facto, quàm primo à Cōcilio ſine Papa facto, id eſt à corpore ſine capite. Sed relinquamus Conciliū Conſtantienſe, opinionem Gerſonis erroneam eſſe pauciſſimis verbis probari poteſt, authoritate nimirum ſcripturæ, & conciliorum, & ratione.

Scriptura ſacra in nullo loco authoritatem dat Eccleſiæ aut Cōcilio ſupra ſuos Paſtores, multo minus ſupra ſummū Paſtorē, ſed contrariū potius dicit S. Paulus in Actis Apoſt. ca. 20. Deus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Et Vicario ſuo dicit Chriſtus Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meā: vbi Chriſtum cōſtituere Petrū fundamentum Eccleſiæ, idem fuit, ac facere caput myſticum: quod enim in domo fundamentū, hoc caput

eſt in corpore. Videmus autem caput præeſſe & poteſtatem habere in reliquas corporis partes, non è contra. Ita quando Chriſtus Ioan.21. Petro dixit: Paſce oues meas, conſtituit illum Paſtorem totius ouilis, & dubium non eſt, ouile non habere poteſtatẽ in Paſtorem, ſed potius Paſtorem in ouile. Demum quando Dominus ait: Lucę 12. Quis eſt fidelis diſpẽſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiã ſuam, dubio procul declarat, Epiſcopum in Eccleſia particulari, & Papam in vniuerſali, eſſe veluti Palatinos & domus Præfectos quoſdam in familia Dei. Et quemadmodum Præfectus domus familiæ dominatur non contra: ita & Epiſcopus dominium habet in ſuam Diæceſin, hæc autem dominium non habet in Epiſcopum, nec Eccleſia etiam congregata in Cõcilio, dominiũ & poteſtatem habet in Papam, atque ideo etiam in eo ipſo loco ſubiungit Saluator: Quod ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo, morã faciet Dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos & ancillas, edere, & bibere, & inebriari, veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & diuidet eum, partémque eius cum infidelibus ponet. Ex quibus colligitur, quando Præfectus domus perperã agit, Deũ nolle, vt à familia puniatur, ſed iudicandi & puniendi eũ, ſibi poteſtatẽ reſeruaſſe. Cùm igitur neque Eccleſia, & conſequẽter nec Concilium, quod Eccleſiam repræſentat, iuxta ſcripturas, vllã in Papam poteſtatem habeat, rectè ſequitur, non poſſe ad Conciliũ appellari, eſſe autẽ recurſum ad beneficium appellationis à Concilio ad Papam. Hanc cãdem veritatem ex ſcripturis deductam, ipſa etiam ſacra Concilia confirmant.

Cum Papa Marcellinus, formidine mortis, grauiſſimum

uiſſimum illum errorem, ſacrificando Idolis commiſiſſet, congregatũ fuit Conciliũ Sinueſſanum, vt ea de cauſa diſputaretur, totũ Conciliũ cõfitebatur, non eſſe in ſua poteſtate iudicare Papam. Prima ſedes à nemine iudicatur. Et huius Concilij meminit Nicolaus I. in epiſtola ad Michaelẽ Imperatorẽ. Similiter Conciliũ Romanũ à Sancto Syluestro cõuocatũ can. vltimo declarat, Primã ſedẽ, quæ Papæ eſt, à nemine iudicari poſſe. Conciliũ Calcedonẽſe, vnũ ex quatuor primis Cõciliis generalib. in tertia actione, dãnat Dioſcorũ Patriarchã Alexandrinũ, & pariter totũ Conciliũ Epheſinum, quod Papã Romanũ iudicare auſus ſit. Si igitur primus Patriarcharũ poſt Romanũ vna cũ toto Concilio generali, nõ poterat iudicare Papã, manifeſtè deducitur, Cõciliũ non eſſe ſupra Papã, alias enim ipſum iudicare poſſet. Paulò poſt, Concilium V. Romanum ſub Papa Symmacho approbat, ceu propriũ Decretũ, ſentẽtiã Ennodij. Aliorũ hominũ cauſas Deus per homines terminari voluit: Sedis iſtius Præſulẽ ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio. Voluit Petri Apoſtoli Succeſſores, cœlo tantũ debere innocẽtiam. In Cõcilio octauo generali, actione 7. ita legimus: Romanũ Pontificẽ de omniũ Eccleſiarũ Præſulibus iudicaſſe, de eo verò neminẽ iudicaſſe legimus. Paulus Æmilius libro 3. Hiſtoriæ ſuæ ſcribit, cùm magnum Conciliũ in præſentia Caroli Magni, ob quaſdã res Papæ Leoni III. obiectas, congregatũ fuiſſet, omnes Epiſcopos vna voce clamaſſe, nemini licitum eſſe Summũ Pontificẽ iudicare. Cõciliũ Lateranẽſe ſub Alexandro III. dũ leges de eligendo Põtifice ſtatuẽdæ eſſent, ait, in hac electione ſingulari induſtria opus eſſe, ſi enim erretur, recurſum ad aliũ ſuperiorẽ

non ſuppetere, quod in terris Papa ſuperior nemo ſit. Legatur caput Licet extra de electione. Deinum Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſio. 11 determinat expreſsè, Papam eſſe ſuper quodcunque Concilium, ac proinde ad illum ſolum pertinere, conuocare, transferre, & dimittere Concilium. Si igitur ipſa Concilia Papæ ſe ſubiecta pronunciant, quis audebit dicere, Concilium eſſe ſupra Papã, aut ab hoc ad Concilium appellationem inſtitui poſſe. Sed videamus, an ipſa ratio in ſcripturis Dei fundata, hanc eandem veritatẽ confirmet. Eccleſia ſancta non eſt Reipub. Venetæ, Genuenſi, aut ciuitati cuipiã comparanda, quæ Duci ſuo Imperiũ, quod placet, indulget, vnde naſcitur, vt Reſpublica Principe ſuperior ſit. Nec ſimilis eſt regno terreno, in quo populus anthoritatem transfert in Monarchas, vt tamen à dominio Regio quibuſdam in caſibus liberari queat, & redire ad regimen conſulare. Romanorum exemplo, qui à dominio Regio, ad regimen Conſulare deuenerunt. Eſt enim Eccleſia Chriſti regnum perfectiſſimum, monarchia abſoluta, & à populo nec depẽdens, nec originem trahens, ſoli voluntati & imperio diuino ſubiecta. Ego autem, ait Chriſtus Pſalm. 2. cõſtitutus ſum Rex ſuper Syõ montẽ ſanctum eius. Et Angelus ſanctus ait ad Beatam virginem Lucæ 1. Dabit ei Dominus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius nõ erit finis. Et mille aliis in locis habetur idipſum. Hoc regnum independens eſſe ab hominibus, oſtendit Chriſtus, cum ait: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, Ioannis 15. Et hoc ipſum nos aliquando profitebimur: Feciſti nos Deo noſtro regnum Apocal. 5. Et hæc cauſa eſt, quod hoc

regnum in ſcripturis familiæ aſſimiletur: Quis eſt ſeruus & prudens, quē conſtituit Dominus ſuper familiā ſuā, Matth. 24. Paterfamilias enim nō depēdet à familia, neque ab ipſa authoritatē acquirit. Cum igitur hęc veriſſima ſint, neceſſaria cōſequētia cōcluditur Vicariū generalē Chriſti, non depēdere ab Eccleſia, ſed à ſolo Chriſto, à quo omnis eius authoritas deriuatur; quo modo videm⁹ in terrenis regnis Proregē nō habere poteſtatē à regno, ſed à Rege, nec iudicari aut puniri poſſe à populo, ſed ſolū à Domino.

Vides igitur quantoperè deceptus ſit Gerſon; & qui eum ſequitur ſeipſum decipit; contrarius porrò eſt, ſacræ ſcripturæ, Conciliis, & manifeſtis rationibus. Et ſi quiſpiā obiiceret, quod ipſe Gerſon quoque ſolebat. Scriptum eſſe Matthæi 18. Dic Eccleſię, & ſi Eccleſiā non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Reſponderem, in eo loco nomine Eccleſiæ intelligi Prælatum; qui caput eſt Eccleſiæ, quem in modum exponit hunc locū Sanctus Chryſoſtom. homil. 61. in Matth. & Papa Innocētius III. capit. Nouit. de Iudiciis, & docet hoc vniuerſalis Eccleſiæ totius mundi praxis, omnium ætatum & temporum conſenſus, qui enim Eccleſiæ peccatorem denunciare vult, & obſeruare hoc præceptum, non congregat Concilium, ſed ad Epiſcopum, aut eius Vicarium recurrit.

IX. *Nona conſideratio.* [Non incurritur contemptus clauium, quando Papa enormiſſimè & ſcandaloſiſſime abutitur ſua poteſtate.] Hæc conſideratio in ſe vera eſt, ſed iniurioſiſſima ſanctiſſimo Domino noſtro, & sāctæ ſedi Apoſtolicæ, ac ſi hoc modo clauibus regni cœlorum abuti ſoleat. Simili aſtu & fraude hęretici noſtri tēporis, vt mundo odioſā red-

derent poteſtatem Pontificiam, infamia in eam conuicia ſpargunt, quæ Anteſignanus & caput eorum Satanas ſuggeſſit. Veneti eius farinæ defenſores abhorrere & punire deberent.

X. *Decima conſideratio.* [Non incurrere eos contemptum clauium, qui per poteſtatem ſæcularem, aduerſus tales prætenſas ſententias tueri ſe procurant, lex enim naturalis dictat, vim vi repelli poſſe.] Hæc doctrina pernitioſa eſt, à qua infinita oriri poſſunt ſcandala. Licet enim ſententia hæc veriſſima ſit, vim vi repelli poſſe. Nihilominus limitationes multas admittit. Vt nimirum vis ſit iniuſta, nullum præter vim extet remedium, & vt continuo reſiſtentia fiat, & præter has alias, quas Syluester, verbo Bellum 2. & alij Doctores, qui de hac materia tractant, declarant: ac proinde, niſi magna cautela hæc ſententia in caſibus particularibus adhibeatur, grauiſſimarum perturbationum cauſa eſt. Dum apparitores captum vinciunt, certum eſt capto violentiam inferri, nec tamen licita eſt in lictores violentia, ea de cauſa, quod vis vi repelli poſſit. Qui per vim ad ſcamna triremium alligatur, loris & verberibus ad remigandum compellitur, violentiam pro cul dubio ſuſtinet, nec tamen vllus, qui iudicio præditus ſit, affirmabit, hortatori remigũ, ſub hoc prætextu quempiam violenter obſiſtere poſſe. Similiter cogitur à ſuperiori ſeu Eccleſiaſtico, ceu ciuili quiſpiam, vt reſtituat rem alienam aut famam, ſeruare fidẽ & promiſſum, dici tamẽ nequit, quod tali modo coactus violẽter reſiſtere poſſit, aut inſurgere aduerſus ſuum ſuperiorem. Et vt relinquamus infinita exempla. Frequenter magiſtratus aut Principes plebi, grauiſſimas exactiones & onera imponunt,

eámque ad ſoluendum, impellunt cogúntque non credo vllum tamen eſſe,cui placeat is, qui motus & ſeditiones in plebe excitaret, ea de cauſa,quod licitum ſit vim vi repellere. Et quæ metamorphoſis & confuſio in priuatis ædibus, vrbibus & Regnis foret,ſi omni vi vis opponi poſſet,ea de cauſa ſolummodo,quod naturale lumẽ, vim vi repellendam dictet. Verum ſi de vi ſermo ſit, qua Prælati vtuntur, dum cenſuris Eccleſiaſticis conſtringunt ſubditos ad obediendum, certum eſt, licitũ non eſſe eis vi reſiſtere.Si enim qui non audit Eccleſiam,iuxta præceptũ Domini pro Ethnico & Publicano habẽdus eſt,ſane deterior cenſendus eſt,qui violenter Eccleſiæ reſiſtit. Quantum verò attinet ad recurſum Principũ ſæculariũ in materia excõmunicationis,à ſacro Concilio Tridentino ſufficienter proſpectum eſt, dum ſeſſione 25.& 13. Principibus ſæcularibus prohibet, ne Prælatos ab excommunicatione impediant, neque iubeant vt iam fulminatæ reuocentur, cum hoc ad officium eorum non ſpectet. Si demũ ad negotium, de quo hoc tempore inſtituta eſt quæſtio procedamus, principium quod adducit,vim vi repellere licere, ad propoſitum nil facit. Vis enim quam Reipub. Venetæ ſanctiſſimus Dominus noſter infert,vis paterna, iuſta, & conformis eſt ſacræ ſcripturæ,ſacris Canonibus, omni tempore Eccleſiæ Antiſtitibus vſitata: adeſt & in promptu remedium,quamuis ad vim aut auxilium Principum non refugiant,obedientia ſcilicet & humilitas,ſine quibus alia omnia remedia vana ſunt.

XI. *Vndecima conſideratio.* [Iuriſtarum, aut Theologorum aliquem non incurrere contemptũ clauium Eccleſiæ,dũ in præmiſſis caſibus,iuxta

conſcientiam ſuam dicit, quod huiuſmodi ſententiæ non ſint timendę vel tenendę,& hoc præſertim, ſi obſeruetur informatio ſeu cautela debita, ne ſequatur ſcandalum puſillorum,qui æſtimant Papam eſſeDeum aliquem,qui habet poteſtatem omnem in cœlo & in terra.]

Hæc conſideratio,vt loquar de ea modeſtè, parũ conſiderata eſt:ſuffeciſſet enim Gerſonẽ dixiſſe, indoctum in re dubia poſſe ſe Iudici Theologi aut Iuriſconſulti cuiuſpiam famoſi, docti & boni cõmittere.Vt autem ad Theologum aut Iuriſconſultum quemcunque,in materia præſertim obedientiæ ſummo Pontifici ſumma debitæ recurratur, eſt temeritas, neque enim dubium, ſed certiſſimum eſt, in rebus dubiis ſuperiori obediendum eſſe, & tunc tantum obediendum non eſſe, quando dilucidum & manifeſtum eſt, ſuperiorem diuinis legibus oppoſitas pręcipere. Deinde quot Theologos ac Iuriſconſultos reperire eſt, qui aut ex ignorantia aut malitia decipi poſſunt? Et ſi hic te iſto,alius autem alio modo inſtruat,quem ſequeris?Principes profectò ſæculares nunquam permittent, vt reus lata ſemel ſententia reclamet, & dicat ad obedientiã ſe non teneri,ea de cauſa, quod Theologorum aut Iuriſperitorum aliquis in ſua conſcientia eum docuerit, ſententiam obſeruandam non eſſe: quanto minus ferendum hoc eſt, in materia obedientiæ Vicario Chriſti debitæ, cui omnes Chriſtiani obligati ſunt iure diuino obedire. Teneant puſilli & ſimplices Papã Deũ quendam eſſe, & poteſtatem omnem habere in cœlo & in terris, Deo plus placet eorum infirmitas &ſimplicitas,quam firmitudo eorum qui prudentes ſibi videri volunt, proin-

proindéque authoritatem Vicarij Chriſti, vt mos eſt noſtræ ætatis ſectariis omnibus deprimere conantur. Exiguum quid eſt Papam pro Deo in terris haberi, cum de omnibus, Principibus in Pſalm. dicatur: Ego dixi Dii eſtis. Nec inconueniens eſt dicere, Papã poteſtatẽ omnem habere, in cœlo & in terra, cum Chriſtus ipſe dixerit. Quodcũque ligaueris ſuper terram, erit ligatũ & in cœlis. Quod tamẽ à veris & doctis Catholicis ſanè & rectè intelligitur. Et vt rem paucis complectar, credo dici poſſe & recte, tã eximiam eſſe ſummi Pontificis dignitatem & poteſtatẽ, vt pauci eius ſublimitatem & ſplendorẽ capiant, & aſſequantur. Poteſt enim totum illud facere, quod ad deducendas in Paradiſum animas neceſſarium eſt, remouere omnia obſtacula, quæ mũdus & dæmõ doloſe & fraudulenter opponũt. Hinc S. Cyrillus à S. Thoma in opuſculo de primatu Petri citatus aſſerit, quemadmodum Chriſtus à Patre pleniſſimam habuit authoritatem, ita Chriſtũ quoque S. Petro, eiúſque ſucceſſoribus, ampliſſimam in vniuerſam Eccleſiam conceſſiſſe.

Duodecima conſideratio eſt. [Contemptus clauium dicendus eſt magis foueri quam tolli, dum ij, qui abuſui clauium reſiſtere debent, diuiduntur inter ſe, & impediunt ſe mutuo. Veritas eſt, quod omnis via fauorabilis & humilis tentanda ſit cum ſummo Pontifice, dum male informatus fert iniuſtas ſententias, ſed nihil prodeſt humilis ſedulitas, arripienda eſt vtilis & animoſa libertas.]

Hæc conſideratio multum faciebat ad rem, Gerſonis ætate, cùm enim tunc, trium Pontificum ſchiſma eſſet, & horum quiſque excommunicationes fulminaret aduerſus ſequaces alterius, expediebat

vt id temporis fideles inter ſe vnanimes Schiſma tollere conarentur,& eas excommunicationes parui facerent,cum quis eorum Vicarius Chriſti eſſet, ignoraretur, atque ideo iis non obſtantibus ad negotium vnionis Eccleſię attenderent. Verumtamen cum iam beneficio diuino vnus ſolum Papa indubitatus & certus ſit,nihil ad rem facit hæc conſideratio,niſi ad ſchiſma ,& membra aduerſus caput excitandum.

RESP.

RESPONSIO BELLARMINI,

AD ALTERVM GERSONIS *Opuſculum, cuius titulus eſt,*

DISCVSSIO ILLIVS ASSERTIONIS SENTENTIA Paſtoris etiam iniuſta timenda eſt.

I*N ſecundo opuſculo is ipſe Gerſon refert:* [Commiſſarium quendam Apoſtolicum in proceſſu quodam publico poſuiſſe aſſertionem, quæ ſequitur. Sententiæ noſtræ etiamſi eſſent iniuſtæ,ſunt tenendæ & timendæ.]Supra hãc aſſertionem cenſuram profert in plures propoſitiones diuiſam,& ſunt ſequentes.

Prima,hæc aſſertio eſt falſa.Secunda, hæc aſſertio eſt impoſſibilis.Tertia,hæc aſſertio cẽſenda eſt erronea contra bonos mores. Quarta,hæc aſſertio ſuſpecta eſt de hæreſi. Quinta, hæc aſſertio reddit aſſertorem ſuum ſuſpectum in fide,& ita conſequẽter ad iudicium fidei euocandum, & compellendum; vt vel ſe exponat,vel reuocet,vel ſi pertinaciter renuerit, relinquendum eſſe iuſtitiæ ſæculari.

Et hæc eſt ſumma iudicij Gerſonis, quod quam rigidum ſit,ſequens diſcurſus patefaciet.

Cõmiſſarius ille ſiue verus,ſiue fictitius,non cõ

tentus fuit dicere, ſolum ſententias ſuas etiam iniuſtas timendas eſſe, qua in re conformiter S.Gregorij dicto loquebatur, ſed etiam adiunxit obſeruãdas eſſe, & licet rectius feciſſet, hæc verba omittendo, nihilominus tam rigidam, qualis eſt ea Gerſonis, cenſuram non demeruit, qui in malum ſenſum verba, quę in bono accipi poterant, traxit. Duo reſpondet Gerſon Cõmiſſario, & de vtroque laconice & paucis ſermocinabimur. Primo reprehendit, quod ſine diſtinctione dixerit, ſententias ſuas etiam iniuſtas timendas eſſe, videtur enim voluiſſe dicere, omnes etiam iniuſtas ſententias timendas eſſe, cum tamen conſtet, non omnes iniuſtas, ſed ſolum illas, quæ iniuſtæ quidem, ſed validæ ſunt, vt ex Gratiano 11.q.3.per totum colligitur, timendas eſſe. Ad hoc reſpondetur, Commiſſarium locutum eſſe eo ſenſu, quo D.Gregorius, & ſacri Canones. Et quemadmodum S.Gregorius quando dicit: Sententiam Paſtoris ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam timendam eſſe, etiamſi indiſtinctè loquatur, non tamen cenſendus eſt dicere, omnem ſententiam timendam eſſe, ſed ſolum illam quæ non eſt nulla, licet iniuſta ſit; ita nec ex Commiſsarij verbis deducendum eſt, omnes ſententias timendas eſse, ſed ſolum manifeſtè non inualidas, licet iniuſtas. Dicam paucis, calumnia quæ Commiſsarij verbis impingitur, S.etiam Gregorij verbis affingi poſset.

Secundario reprehendit Gerſon Commiſſarium, quod dixerit, ſentẽtias quãuis iniuſtas timendas eſſe & obſeruandas. Alia enim res eſt, obſeruare, alia timere. Iniquitas Tyranni timenda, neutiquam tamen obſeruanda eſt, & qui dicit eam obſeruandam eſſe, falſum aſtruit, & in errore verſatur.

Ad hoc

Ad hoc reſpondetur: Commiſſarium, quantum quidem credi poteſt, non locutum eſſe de obſeruatione rei iniuſtæ, ſed de ſententia excommunicationis, in quantum pœna quædam eſt,& priuat hominem participatione ſacramentorum, & conuerſatione fidelium; & in hoc ſenſu rectè dicitur,ſentẽtiā excommunicationis timendam & obſeruandam eſſe; non ſunt enim res diuerſæ, timere excommunicationem, & eandem obſeruare: qui enim timet, ab vſu Sacramentorum, & à commercio fidelium abſtinet,& ita obſeruat,& qui tali modo non obſeruat,cũ fidelib.cõmunicat,Sacramẽta percipit,eã nequaquã timet. Atq; adeò ęquiuocat Gerſõ in ſẽtẽtia quæ aliquid pręcipit,& ſententia quæ aliqua re priuat. Cúmque ſuper his æquiuocis totum ſuum diſcurſum fundauerit,minimè mirum eſt quod in aëre ædificium ſuum ſtruxerit. Verum ponamus ita ſe rem habere, locutus ſit Commiſſarius,de ſententia quæ aliqua re priuat ſub pœna excommunicationis nec hoc modo mali aliquid locutus eſt. Vel enim ea ſententia præcipit rem manifeſtè bonam, vt eſt reſtitutio rei alterius; aut rem manifeſtè malam, vt ſunt furari, blaſphemare; aut rem dubiam, mala ne an bona ſit,vt eſt, ad bellum proficiſci,de quo iuſtũ ne an iniuſtum ſit,controuertitur & dubitatur. Si rem manifeſtè bonam pręcipit, obſeruanda & timenda eſt, obſeruanda eſt ſcilicet, faciendo hoc quod præcipitur,ne incurratur excommunicatio,& fieri poteſt eiuſmodi ſententiam iniuſtam eſſe,quãdo ſcilicet tres admonitiones non præceſſerint, & tamen validam ob rem bonam quæ pręcipitur, ob authoritatem præcipientis, & præuiam ad minus vnã monitionẽ.Si ſententia dubia eſt,mala ne an nõ

mala res præcipiatur, obſeruanda & timenda eſt, in caſu namque dubio, ſubdito ſtandum eſt iudicio ſuperioris, & non proprio innitendum, vt ſupra dictum, & communis ſanctorũ Patrum eſt ſententia. Si ſententia præcipit rem quæ manifeſtè peccatum eſt, tunc neque timenda neque obſeruãda eſt, & qui obſeruandam eſſe diceret, erraret; atque de hac aſſertione veræ ſunt quinque propoſitiones à Gerſone poſitæ. Sine dubio enim falſum eſt, ſententiam quæ ad peccandum obligat, obſeruandam eſſe; & impoſſibile eſt ſententiam ad peccatum vrgentẽ ad obſeruantiam obligare; ſed & erroneum eſt cõtra mores, quia docet malum facere; & contra fidem, dicens enim licitum eſſe male operari, hæreticus eſt; & impœnitens tradendus eſt iuſtitiæ ſeculari, vt pro de merito pœnas luat; & eiuſmodi ſententia, non ſolũ obſeruari nõ debet, ſed nec timeri. Ait enim Saluator: Noli timere eos qui occidunt corpus; & ſatius eſſet, mortem ſubire aliquem, quam eiuſcemodi legem obſeruare. Vnde quartum illud membrum à Gerſone poſitum non inuenitur, ſcilicet ſententiam aliquam debere, aut poſſe timeri, ſed non obſeruari, loquendo de timore, qui obſeruantiam inducit. Licet naturali timore Tyrãnus timeri poſſit, qui malum iubet. Nec etiam in hoc Commiſſarius deliquit, ſemper enim locutus fuit de ſententia iniuſta, ſed valida, qualis non eſt illa, quæ peccatum pręcipit, & notoriè nulla eſt. Vides igitur totã Gerſonis machinam in aere fabricatam, & quiſquis eũ trãſtulit, & in lucẽ ſparſit, vt Venetos ad contẽnendam iuſtam & validam ſummi Pontificis ſententiam pelliciat & inducat, oſtendit ſe plus malitiæ quàm iudicij & intellectus habuiſſe.

Huic

Huic conſiderationi adiungit Gerſon propoſitiones aliquot ad docendum Regem Chriſtianiſſimum, quid poſſit & debeat facere pro libertate Eccleſiæ Gallicanę, de quibus propoſitionibus non eſt opus, vt in præſenti negotio loquamur. Primò, quia ſingulæ nituntur in hoc principio, poteſtatem Cōcilij eſſe ſupra Papam, nec enim aliā ob cauſam Gerſon autumat, Papam immutare non poſſe antiquos Canones, in quibus tunc Eccleſiæ Gallicanæ libertas fundabatur, quam quod à Concilio decreti fuerint, & ideo arbitrio & diſpoſitioni Pontificiæ amplius non ſint ſubiecti. Modo autem docuimus, hoc principium falſum eſſe, nec à Venetis hoc pro vero adſtrui nobis perſuademus. Secundo, quia poſt tēpora Gerſonis in Concilio Lateranenſi à Leone X. derogatū fuit pragmaticis, quibus Eccleſia Gallicana defendebatur, & cōcordata inter Leonem Pōtificem & Regē Chriſtianiſſimum icta & pacta ſunt, vt libertas Gallicana contra Summū Pontificē nec amplius quidē nominetur, quinimò Rex Chriſtianiſſimus, & omnes Francię Epiſcopi, cum matre ſua, quæ eſt Eccleſia Romana, & Patre qui Papa, Vicarius Chriſti & ſucceſſor S. Petri eſt, pacem & concordiam colunt. Tertiò, quia libertas Gallicana, de qua Gerſon, commune nihil habet cum libertate, quam modo Reſpublica Veneta prætendit, illa enim antiquis decretis & Canonibus fulciebatur, hæc autem & antiquis, & modernis è diametro eſt contraria.

LAVS DEO.

APOLOGIA

ADVERSVS OPPOSITIONES

FACTAS

Ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſ. Domino

CARD. BELLARMINO.

Ad Tractatus, & Reſolutiones Iohan. Gerſonis circa valorem Excommunicationum.

PATRIS MAGISTRI PAVLI
Veneti, Ordinis Seruorum.

Iohan. cap. 18.
Regnum meum non eſt de hoc mundo.

VENETIIS
Apud Robertum Meietum.

M. D. CVI.

Cum licentia Superiorum.

Digitized by Google

Excellentiſſimi Domini, Capita Excelſi Conſilij Decem, ſubſignati, certiores facti à Do. Reformatoribus ſtudij Patauini, ex relatu facto à Reuerend. Theologis huic negotio delegatis, & à Circ. Secretario Senatus, Iacobo Vico, cum iureiurando, in Apologia pro Ioh. Gerſone contra oppoſitiones Illuſtriſſ. Do. Cardinalis Bellarmini, Patris Magiſtri Pauli Veneti, ordinis Seruorum, ab ipſis diligentiſſimè recognita, & conſiderata, nihil eſſe contrarium Sanctæ Fidei Catholicæ, Principibus aut bonis moribus, ac typis eſſe dignam, concedunt vt in hac ciuitate poſſit imprimi.

Datum die 5. Sept. 1606.

D. Laurentius Loredanus. D. Ioh. à Lege. D. Hieronymus Priulus.	Capita Excelſi Conſilij Decem.

Illuſtr. Conſilij Decem Secretarius
Ioh. Baptiſta Padauinus.

1606. 5. Septembr. Regiſtratum in officio contra Blaſphemiam fol. 158.

Ioh. Franciſcus Pinardus Secretarius.

APO-

APOLOGIA P. PAVLI.

QVandoquidem neceſſe eſt reſpondere ad obiectiones factas contra duos tractatus Ioh. Gerſonis, ſanctitate & doctrina clari, circa valorem excommunicationum, non tam in ipſius authoris famæ adminiculum, quàm ad piam & iuridicam intelligentiam eiuſmodi materiæ, & ad defendendum legitimam poteſtatem quam Deus ſupremis Principibus conceſſit: id exequar omni modeſtiæ & reuerentiæ genere, dicteria maledictáque miſſa faciens, diſſona valdè & aliena à conſiderationibus quæ inter Chriſtianos ac ſpeciatim Religioſos, circa materias de animarũ ſalute occurrunt. Nec in propulſandis contumeliis Doctori tanto illatis immorabor, cùm ipſe, ſi eſſet in viuis, iuxta propria documenta, Saluatorẽ imitaretur: Qui cùm malediceretur, non maledicebat. Aliam doctrinam non adducam, niſi quam docuerunt D. Apoſtoli, & ſucceſſiuè Sancti Patres, aliíq. Doctores Catholici, qui ad hęc vſq; tempora ſacras literas interpretati ſunt, ac fideles inſtituerunt, quã ideò ſemper Sanctę Matris Eccleſiæ iudicio, quę errare nequit, ſubiiciam, ducens me hac ratione non modò conſcientiæ meæ, qua potiſſimùm moueor, ſatiſfacere poſſe, verùm etiam omnibus hãc meam Apologiam lecturis, quibus non minùs ingrata forent ſcio abſurda conuitia & cauillationes, quàm futurum ſit gratum & acceptum, quòd ſermonis & affectus ſynceritate, defenſionem eiuſmodi ad Dei gloriam, & proximi ædificationem aggrediar. Porrò tædij vitandi cauſa, quod interdum repetitio

titulorum quorundam licèt debitorum parit,ego I-pſi rerum eſſentiæ intentus, mittam iis attributis opponentem inſignire quæ meretur, & hoc ſolo Authoris nomine cum illo agam in ſermonis mei progreſſu: Illuſtriſſimæ ac Reuerendiſſ. ſuæ Dominationi debitam illam humilémque reuerentiam ſemper ſeruans, quæ ipſi debetur omni tempore, quemadmodum eam multò antè ſemper eidem ſum teſtatus, quando etiam cum illo ante Cardinalatum agendum mihi fuit.

Avthoris Proœmivm.

Quàm verum ſit quod Chriſtus ait: Qui malè agit, odit lucem, Iohan. 3. conſpicuum euadit in eo, qui opuſcula duo Iohannis Gerſonis in linguam vulgarem tranſtulit: cùm enim noſſet quot falſitates in vnica, eáque breuiſſima reſponſione continerentur, quot, iiſque non exiguis erroribus eadem opuſcula ſcaterent, & quàm parùm ad eius ſcopum eadem conducerent, puduit ipſum, ſuum & Typographi nomen prodere, quinimò vt occultior eſſet, Pariſiis ſe ſcripſiſſe ſimulat, cùm tamen conſtet eum & ſcripſiſſe & edidiſſe Venetiis. Ne is igitur ſua hypocriſi lectores ſimplices decipiat, verba ſuæ Præfationis examinabimus, deinde verba etiam Gerſonis, non ea fidelitate tranſlata quam profitetur.

Nulla ſanè cauſa fuit ob quam puderet Interpretem, quòd Gerſonis conſiderationes, non facerent ad negotium de quo agitur in præſentiarum, ſiquidem niſi omnia eius opera iam ante centum annos edita haberentur, crediddiſſem ego duos hoſce Tractatus nunc demum compoſitos

poſitos eſſe, adeò peculiariter & propriè capita omnia perſtringunt, quæ ad hoc propoſitum perſtringi poſſunt: quinimò vbi primùm in has regiones peruenerunt, ea fuit communis opinio, priuſquàm à multis, cum antiquis exemplaribus collati eſſent, editis Lutetiæ, anno 1494. Quin potiùs editiones antiquiſſimæ, Gerſonem, præter eminentiſſimas alias quas habebat, pietatis & doctrinæ dotes, ſpiritus etiam Prophetici nonnihil habuiſſe perſuadent. Lector quilibet in hoc erit iudex. Verùm ſi hoc ad rem non facit, cur ſeipſum author adeò fatigat? cur id confutare aggreditur? doctrinam illam ſemper impugnat, at extra rem eſſe, nunquam oſtendit: an verò Gerſonis conſiderationes, errores contineant, videbitur in progreſſu, quum obiectiones eis factæ examinabuntur, quæ quidem omnes vel ea præſupponunt quæ falſa ex ipſo contextu dignoſcuntur, exempli gratia Gerſonem conſiderationes illas Schiſmatis tempore ſcripſiſſe: vel ponunt quod eſt in controuerſia, præceptum ſcilicet ſummi Pontificis, Reipulicæ Venetæ datum; iuſtum eſſe: vel ſumpto in bonum ſenſum termino quopiam ambiguo, eóque ſic in lectoris animum inſinuato, tandem concludunt ſemper iuxta prauum ſenſum.

Præfatio Interpretis, doctrinam non cõtinet quæ in opuſculis non cõprehendatur, ideóque nominis ipſius adſcriptione opus non video: niſi velimus teneri omnem Interpretem ſuum nomen adſcribere: ſed hac de re nullum extat præceptum, aut in ſacro Concilio, aut allibi, nec id vſus requirit: imò non laudantur qui è ſola quapiam præfatione, aut indice, aut libelli alicuius tranſlatione gloriam

captant. Innumera Græcorum Patrum opuſcula reperiuntur, Latinè reddita ſine Interpretis nomine, quamuis & nonnullis adſcriptum ſit. Dominus fratrum ſuorum conſilium non probauit, [Tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt diſcipuli tui videant opera, quæ tu facis, nemo quippe in occulto quicquam facit, ſed quærit ipſe palàm eſſe : ſi hæc facis, manifeſta te ipſum mundo.] Sed reſpondit, quod in multis occaſionibus ipſius ſerui poſſunt reſpondere, Tempus meum nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Laus Deo, Mundus dudum exceſſit ex infantia, nec hodie demum ſapit, ac de cibis non ampliùs ab eo qui hos menſæ apponit, ſed à ſapore diiudicat. Ac ſanè ob titulorum authoris ſplendorem Interpres qui nomen ſuum reticuit, non venit in periculum ne cauſa cadat, ex more iudicij Areopagitici. De typographo qui nomen ſuum non appoſuit, nihil dicam, cùm defendendum eum non ſuſceperim : dicam quidem hac vigentium controuerſiarum occaſione ſcriptum quoddam Mediolani editum, in lucem veniſſe abſque authoris & typographi nomine, ſine loci ac temporis notatione : quod quandam etiam Doctrinam continet, cuius quanta ſit pernicies cũ tempore patebit : huc verò reſponſum aliud adferri nequit, quàm velle nos legem vnam pro nobis, & aliam pro aliis. An verò integra fidelitas deſit interpretationi, quum obiectio aliqua in progreſſu fiet, conſiderabimus. Sed quid author dicat videamus.

Prima præfationis verba hæc ſunt.

Euulgato rumore, & ſparſa paſſim fama in inclyta hac vr-

hac vrbe Pariſiorum, ipſo die ſanctiſſimæ Natiuitatis Domini & Saluatoris noſtri, fulminatas eſſe cenſuras & excommunicationes aduerſus Sereniſſimam æquè ac Religioſiſſimam Rempubl. Venetam, idque ea potiſſimùm de cauſa factum fuiſſe quòd recuſet hæc Reſpublica libertatem à Deo ſibi conceſſam, alterius arbitrio ſubmittere.

Si ſingulas libertatis ſpecies inueſtigemus, quà vel perſona, vel Reſpublica frui poteſt, non niſi ſex ſequentes inueniemus: libertatem arbitrij oppoſitam neceſſitati naturali: libertatem Chriſtianam, oppoſitam ſeruituti peccati: libertatem ciuilē, oppoſitam iugo ſeruili: libertatem Reipublicæ, oppoſitam ſubiectioni monarchicæ: libertatem Principis abſoluti, in rebus temporalibus ſuperiorē nō agnoſcētis, oppoſitā ſubiectioni Principis minoris, reſpectu maioris: tandem libertatē operandi malè, oppoſitā ſeruituti iuſtitiæ, quā libertatē vnā & eandē eſſe cum ſeruitute peccati, ait D. Paulus ad Rom. 6. cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Non exiſtimo huius Præfationis authorē loqui de libertate arbitrij, quæ naturalis eſt, nec vllo modo perdi poteſt, niſi Lutheranorum, aliorúmq; ſimiliū hæreticorū errores ſequamur. Nec rationaliter loqui poteſt de libertate Chriſtiana, oppoſita ſeruituti peccati: hæc enim obediendo Vicario Chriſti non tollitur, ſed potiùs non obediendo. Nec de libertate ciuili, qua ſerui carent: nec de libertate Reipublicæ Ariſtocraticæ aut Democraticæ, qua carent populi poteſtati Regiæ ſubiecti, aut dicamus Monarchicæ, neque enim hodiernus Pontifex, nec anteceſſores ipſius de formæ regiminis Venetæ

vrbis immutanda cogitarunt, vnquam, quippe qui nouit nullam legitimæ Poteſtatis formam, ſiue Regum, ſiue Principum, ſiue populorum illa ſit, libertati Chriſtianæ, cuius ſummus Pontifex principalem habet curam, aduerſari, quinimò hanc varietatem ciuitati Dei, quæ eſt Eccleſia vniuerſalis, non exiguo eſſe ornamento.

Neſcio quo animo Author ſex libertatum apparatum faciat, cùm plus ſatis notum ſit de qua libertate agatur, ſed ſi quidem proponere volebat omnes libertatis ſpecies, quibus aut perſona quæpiam, aut Reſpublica frui poteſt, cur libertatem quoque Eccleſiaſticam non propoſuit, eámque declarauit? cùm tanta ſit inter Canoniſtas controuerſia, vt qualis ea ſit nondum planè conſtet. Interim verò hierarchia Eccleſiaſtica, Reſpublica eſt, cuius libertas ad quam harum ſex referri debeat, non liquet: & cùm dixerit nullam aliam libertatem dari præter ſex illas, mirandi anſam nobis præbuit, quaſi vellet huic renunciare: de qua tamen loqui, imò fusè agere, locus fortè hoc-ce magis opportunus non erat: ſed quoniam in recenſendis ſex illis libertatibus, author vtitur ambigua propoſitione, neceſſe eſt, priùs quàm vlterius progrediamur, eam ad verum ſuum ſenſum contrahere, ne quis decipiatur. Loquens de libertate Chriſtiana, dicit hanc non amitti obediendo Chriſti Vicario, ſed potiùs ei non obediendo: hac limitatione opus eſt, quando Chriſti Vicarius imperat iuxta Chriſti inſtitutionem, ſed quando imperat iuxta propriam opinionem, & animi affectus, quibus, vt homo, eſt obnoxius, & vt ait Gaetanus, interdum magis quàm reliqui, 22. quæſtion. 39. artic. 1.

tunc

tunc non amittitur libertas, ei non obediendo,ſed potiùs obediendo. Quemadmodum libertatem amiſiſſet, quiſquis obediiſſet Honorio primo, quum iuſſit ne diceretur vnam vel duas in Chriſto voluntates eſſe: & qui obediiſſet Gregorio III. quum voluit vt qui haberet vxorem ad officia coniugij ob morbum aliquem ineptam, ei liceret aliam cum ea ducere: ac pariter multis cenſuris Stephani VI.contra Formoſum,Iohannis IX.contra Stephanum, & Sergij III. contra Iohannem: & qui obediiſſet quoque Celeſtino III. quum docebat hæreſeos causâ,matrimonium diſſolui poſſe: peccaſſet etiam qui Iohanni XXII. obediens, Sanctorum defunctorum animas ,diuinam faciem non videre credidiſſet: quæ omnia breuiter hîc attigi vt lector videat ſpecioſum quidem eſſe effatum illud: Libertas Chriſtiana, obediendo Pontifici non amittitur, ſed non obediendo: at ſimul eſſe inſidioſum,quum ita vniuerſaliter enunciatur,neque per hoc limitatur,quando iubet ex lege Dei.

Super quarta libertatis ſpecie, vbi dicit nullum vnquam Pontificem de forma reginiinis Venetæ vrbis immutanda cogitaſſe, Authorem monebo, nimis eſſe, in Eccleſiaſtica noningentorum annorum Hiſtoria negatiuam aſſerere, cùm circiter centum & quadraginta Pontifices extiterint, poſtquàm rebus temporalibus ſeſe immiſcuerũt, quorum plerique licèt erga Rempublicam benè affecti fuerint, de omnibus tamen hoc dici nequit,etſi Diuina protectio libertatem hanc mirificè conſeruauit,tunc potiſſimùm quum extrema eius ruina promoueri videbatur. Quin & addi

poſſet, valdè mirum ac moleſtum videri, quòd cùm ex authoris verbis nullus è prægreſſis Pontificibus tentarit aut prætenderit vnquam, Reipublicæ regimen immutare velle, iam id reuera ſe poſſe facere credat præſens Pontifex, dum vult iudicium ferre de conſtitutione legum eius, quæ ſanè ſunt anima ciuilis regiminis.

Tandem author, eo quod ad rem non faciebat miſſa, lubens ait Interpretem loqui de ſupremi Principis libertate, quæ inter alia conſiſtit in condendis legibus ad bonum regimen neceſſariis, & in delinquentibus puniendis, ac dicit:

Supereſt libertas Principis abſoluti in rebus temporalibus ſuperiorem non agnoſcentis, & de hac præfationis authorem loqui eſt veriſimile: ſed decipitur ſine dubio quiſquis ait Sanctitatem Domini noſtri, excommunicationem intorſiſſe contra Rempublicam Venetam, ea de cauſa, quòd renuat libertatem ſibi à Deo conceſſam alterius arbitrio ſubiicere. Et ſi obiicitur, condere leges puniréve delinquentes, proprium eſſe Principis abſoluti, & nihilominùs Paulum V. D. N. Reipub. Venetæ capita excommunicaſſe, quòd ſibi in abrogandis legibus quibuſdam de rebus temporalibus ab ipſa conditis, nec in reis quibuſdam in carcerem coniectis dimittendis obedire noluerint: reſpondetur Paulum V. Summũ Pontificem excommunicaſſe capita Reip. Venetæ, non quòd in quacũque lege de re temporali abroganda obedire nolint ſed quòd obedire nolint in abroganda lege iniqua & impia, iniurioſa Eccleſiæ, Deúmque & proximũ maximè offendente. Et quis Catholicorum ne-

gare

gare poteſt, ad Pontificem, tanquam Paſtorem vniuerſalem pertinere, quemlibet Principem aut Rempublicam ob peccata ſua reprehendere, eóſque ſi obedire nolint, cenſuris Eccleſiaſticis ad obediendum compellere? Ita videmus Diuum Gregorium Pontificem, Mauritium Imperatorem, qui leges quaſdam ſeruitio diuino iniquas tulerat, grauiſſimè reprehendiſſe: & Innocentius III. vt legitur in cap. nouit, de Iudiciis, declarat apertè, cenſuram peccatorum Principum totius mundi ad Pontificem pertinere: Non intendimus, ait, iudicare de feudo, cuius ad ipſum, Regem videlicet, ſpectat iudicium, ſed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus. Et paulò inferiùs: Cùm non humanæ conſtitutioni ſed diuinæ potiùs innitamur, quia poteſtas noſtra non ex homine, ſed ex Deo eſt, nullus qui ſit ſanæ mentis ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet de quocunque peccato mortali corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correptionem contempſerit, per diſtinctionem Eccleſiaſticam continere. Sed forſan dicetur, aliter cum Regibus, aliter cum aliis agendum eſſe. Sed ſcriptum legimus in lege diuina, ita magnum iudicabis ac paruum, nec erit apud te acceptio perſonarum. Hactenus Innocentius Papa. Et Papa Bonifacius in Extrauaganti Vnam ſanctam, de maiorit. & obedient. optimè dicit poteſtatem temporalem, dum errat, à ſpirituali dirigendam eſſe: quia etſi Princeps temporalis abſolutus alium Principē temporalem non agnoſcat pro ſupe-

riori, nihilominùs ſi Chriſtianus eſt, cogitur pro ſuperiori caput Chriſtiani orbis agnoſcere, qui eſt ſummus Pontifex, Chriſti Vicarius in terris, cuius finis cùm ſit bonum ſpirituale animæ, ideò Principum temporalium regimini ſe non immiſcet, quouſque poteſtate ſua in detrimentum propriarum animarum, aut populorum, vel in damnum Chriſtiani orbis non abutuntur, ſed quando contrarium faciunt, poteſt ac debet eos manu ducere, & dirigere: & qui hoc non credit, non eſt Catholicus. Quòd ſi quis diceret, leges illas nec præiudicium aduerſus Eccleſiam, nec peccatum aliquod continere: reſponderem iudicium de lege an peccatum aut præiudicium aduerſus Eccleſiam contineat, nec-ne, ad eundem ſummum Pontificem, tanquam iudicem ſupremum pertinere, ſicuti iudicare de contractu ciuili, vſurarius ne ſit, & peccatum, ad eundem Iudicem Eccleſiaſticum pertinet, ad quem pertinet cauſæ cognitio. Ita Sanctiſſimus Dominus noſter Paulus Papa V. Rempublicam Venetam reprehendit, non ideò quòd delinquentes ſubditos ſuos puniat, ſed quia iudicare quoque præſumit perſonas Eccleſiaſticas, quæ alium ſuperiorem quàm Eccleſiaſticum non agnoſcunt, non habita ratione ſacrorum Canonum & cenſurarum grauiſſimarum, quæ feruntur in eos qui manus iniiciunt in perſonas Deo deuotas & conſecratas. Qui igitur ſepoſita paſſione negotium hoc conſiderabit, intelliget Papam alia libertate Rempub. priuare nolle, quàm illa operandi malè, quæ non à Deo, ſed à dæmone eſt, & à propria malitia, & vna eſt cum ſeruitute peccati, oppoſita veræ liber-

libertati Chriſtianorum. Et quemadmodum Principes ſæculares libertatem aliena rapiendi, occidendi, & ſimilia ſcelera perpetrandi ſubditis ſuis non concedunt, quòd ea tranquillitati & bono Reipublicæ regimini aduerſentur, Ita nec ſummum Pontificem, tanquam caput Eccleſiæ decet, veniam dare Chriſtianis Principibus condendi leges aduerſarias Eccleſiæ & animarum ſaluti. Et quemadmodum paſtores non permittunt gregi libertatem errandi quo placet, depaſcendi herbas venenoſas, aquas bibendi corruptas & turbidas, nec nautam conuenit nauem relinquere, vt à qualibet tempeſtate ad ſaxa ſcopulóſque feratur: Ita nec Pontifex, gregis Chriſtiani paſtor, & primarius nauiculæ Petri gubernator, licentiam permittere debet Chriſtianis, vt ſe perdant, aut aliis perdendi æternam ſalutem anſam præbeant. Demum quemadmodum iuſtè Reipublicæ Venetæ non placet conſcientiæ libertas, quæ hac tempeſtate hæreticis arridet, videt enim hac libertate quoſlibet errores introduci, atque ea de cauſa ſanctæ inquiſitionis tribunal fouet & promouet, ita nec placere deberet eidem libertas ſtatuendi leges honori Dei, & bono Matris ſuæ Spiritualis, quæ ſancta eſt Eccleſia, contrarias, ſed beneuola fronte acceptare deberet ſe ea de re à Patre ſuo Spirituali, qui Vicarius Dei eſt in terris, admonitam & correctam eſſe.

Totus hic ſermo peculiarem conſiderationem meretur, quia nec omnia in eo poſita, vera ſunt, & præterea concluſionem author ex iis deducit, quæ nullo modo deduci poteſt. Vbi retulit Inter-

pretis verba, nempe Sanctitatem ſuam excommunicare Rempublicam Venetam, eo quod libertatem ſibi à Deo conceſſam alterius arbitrio ſubiicere abnuat. Ipſe hæc inuertit, dicens Pontificem excommunicare capita Reipublicæ: at ſi dignetur inſpicere, inueniet rectè locutum eſſe interpretem, ſe verò artificiosè erroris inſignis dexterè excuſandi gratia, perſonas mutare. Pontificis monitorium oblatum ipſo Natalis die, inſcriptũ eſt,[Marino Grimano Duci, & Reipublicæ Venetorum.] In hoc iubet eos quibus ſcribit, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, abrogare, expungere &c. duas leges. Rectè igitur dixit Interpres, excommunicare Rempublicam. Author verò vt errorem inſignem excuſet, Vniuerſitatem ſcilicet excommunicaſſe, contra Theologorum omnium & Canoniſtarum doctrinam, & contra Pontificias ipſas Conſtitutiones, aſtutè dicit, excommunicare illum capita, ſempérque idem ſeruat artificium: quamuis non ſolùm in hoc Breui ſeu Monitorio Pontifex Rempublicam excommunicet, ſed etiam in alio 25. Februar. oblato, idem faciat, ac deinde in vltimo 17. April. excommunicet etiam Ducem, & Senatum, qui & ipſe eſt Collegium. Rogamus authorem vt ingenuè loquatur, dicátque Pontificem excommunicare Rempub. excommunicare Senatum, non verò Capita, hæ namque excuſationes non poſtulatæ, admitti nequeunt: Error commiſſus eſt in Vniuerſitate excommunicanda: tegatur alia ratione, quàm imprudentiæ prætextu. Dignum eſt etiam animaduerſione, qua modeſtia loquatur de illa Republica cui Sedes Apoſtolica tantum debet, nec de præſentibus modò dicat ex qui-

ex quibus ipſa conſtat, & componitur,ſed de iis qui ab anno 1300.ad hoc vſque tempus vixerunt, leges ab ipſis conditas,iniquas & impias eſſe: & quidem, quod maioris eſt momenti, contra propriam doctrinam: etenim paulò inferiùs dicit, Summi Pontificis eſſe de Principum legibus iudicium ferre: attamen eas Summus Pontifex iniquas & impias nunquam vocauit, vnde igitur hæc authorem vocabula deſumpſiſſe dicemus? Modeſtia decet omnes, ſi modò ab ea perſonæ inſignes & Illuſtriſſimæ non ſint immunes. Duo proponit, alterum, Reipublicæ leges iniquas & impias eſſe,alterum, Pontificis eſſe eas reprehendere, & non obedientem, cenſuris compellere. Primum, quod eſt præcipuum fundamentum,cui probando inſiſtendum erat,penitus deſerit,forte quia non videbat vt id exequi poſſet.Secundum, quod non probato primo leue erat, prolixè admodum probare nititur, tres authoritates, aliáſque rationes adducens. At ſequamur ipſius ordinem, & videamus, quàm benè probata ſit eius intẽtio,primò quidẽ authoritate D. Gregorij,quam author Mauritium increpaſſe dicit.

Habetur in epiſt.61.libr.2. admonitio valdè humilis D. Gregorij ad Mauritium Imperatorem,ſuper lege ab ipſo lata, ne quis militiæ aut muneri publico addictus, Monachalem vitam eligeret,niſi priùs rationibus redditis, aut abſoluta militia. D. Greg. oſtẽditq́uè poſſe iure ipſo monaſterio rationes reddi,& militẽ conuerſũ,magis Rempu. iuuare precibus quàm in militia, & hanc legẽ Diuinũ cultum impedire, ſed audiamus quàm acerba ſit eius reprehenſio: primò dicit, [Ego autem indignus pietatis veſtræ famulus in hac ſuggeſtione, neque

vt Epiſcopus,neq; vt ſeruus iure Reip.ſed iure priua to loquor:]& paulò inferiùs,[Ego verò hæc Dominis meis loquẽs, quis ſum niſi puluis,& vermis?Sed tamen quia contra authorẽ omniũ Deũ hanc intendere conſtitutionẽ ſentio,Dominis tacere non poſſum:] & inferiùs,Deum imperatori loquentem inducens ait, [Sacerdotes meos tuæ manui commiſi, & tu à meo ſeruitio milites tuos ſubtrahis?] & paulò inferiùs ait, [Requirat ergo Dominus meus quis prior Imperatorum talem legem dederit, & ſubtiliùs extimet, ſi debuit dari:] & quid ab Imperatore requirat,concludens, ait, [Vnde per eundem tremendum Iudicem deprecor, ne illæ tantæ lacrymæ, tantæ orationes,tanta ieiunia,tantæque eleemoſynæ Domini mei,ex qualibet occaſione apud Omnipotentis Dei oculos fuſcentur, ſed aut temperãdo pietas veſtra,aut mutando, vigorem eiuſdem legis inflectat.

Humilis hæc & conueniens admonitio, Summo Pontifice verè digna, dura reprehenſio ab Authore vocari non meretur, ſed maiori conſideratione digna ſunt verba quæ ſequuntur,[Ego quidem iuſſioni ſubiectus, eandem legem per diuerſas terrarum partes tranſmitto, & quia lex ipſa omnipotẽti Deo minimè concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam Dominis nunciaui: vtrobique ergo quæ debui exſolui,qui,& Imperatori obedientiam præbui & pro Deo quod ſenſi,minimè tacui.

Summi Pontificis verba huc non attuliſſem, niſi ab authore coactus, vt ei oſtenderem non obiurgatione, ſed humili admonitione D. Gregorium erga Imperatorem vſum eſſe: ſed cùm me huc vſque duxerit, eſt quòd ab ipſo petam, an dum ſe toties

D.Grego-

D. Gregorius indignum Imperatoris ſeruum appellat, dum ait ſe vt ſubiectum ipſius imperio, legẽ in diuerſas partes mittere, quam nõ iuſtam eſſe exiſtimet, dum ait ſe hoc faciendo, debitã Imperatori obedientiã præſtare, an, inquam, hæc cum doctrina conueniãt quam ipſe nunc euulgat, Pontificem: ſtatuens Sumũ Monarcham temporalem, Principes verò minùs quàm ſeruos, vt oſtendã priùs quàm ex hoc propoſito diſcedamus, verbis eius id concludi, quamuis nunc expreſſè pronũciare non audeat: ſed interim oportet authori ſignificẽ quale fuerit Nomophylacium Apoſtolicũ, cui D. Gregorius obiurgationem ſuam affigi curauit: ad Theodorũ ſcribit Mauritij medicum epiſt. 64. ſe admonitionem feciſſe, (ſuggeſtionem enim ſic interpretabor, ſi permittat author, ne me, vt Interpretẽ, arguat) Imperatori: ſed non vult vt illã ſuam epiſtolam palàm, ſed clam & opportunè ipſi tradat, ne à maioribus negotiis auocetur: Veniam etiam petere cogor, ſi dum de maiori propoſitione agitur, D. Gregorij verbis adductus, minoris ipſius particulam per accidens attigero, vt legis iniquitas probetur: ſanctus ille Mauritium monet, vt inquirat num Princeps aliquis eiuſmodi legem tulerit: ita cuperem dixiſſet Sanctiſſimus Pontifex Reipub. Venetæ, vt videret num Reges Portugalliæ, Caſtilliæ, Aragonæ, Poloniæ, Galliæ, Siciliæ, Comes Burgundiæ, vel Reſpublica Genuenſis, leges ſuis ſimiles condiderint vnquam, in hoc enim ſanè D. Gregorium imitaretur: & authoris prudentiam valdè miror, dum non citat D. Gregorij locum, ſiquidem adeò ſubtiliter in hoc ſuo tractatu reliquos omnes citat.

Iam ad ſecundam probationem è cap.nouit, Innocent.III.deſumptam tranſitum faciamus. Poſt diuturna bella inter Philippum Auguſtum Galliæ Regem, & Richardum Angliæ Regem anno 1199. obiit Richardus, ipſique in Regno frater ſucceſſit Ioh.Senſaterra,vel quòd à Richardo,vt quidam volunt, hæres eſſet nominatus, vel quòd ipſe id in Arturum fratris alterius natu maioris filium vſurpaſſet. At prouinciæ ab Angliæ Rege in Gallia poſſeſſæ, Arturum Dominum admiſerunt, multáque bella inter Philippum & Iohannem orta ſunt,Arturo ſtante à Galliæ Rege partibus: tandem anno 1200. ope matrimonij inter Ludouicum filium, & ſucceſſorem Galliæ, & Blancam è Caſtillia, Iohannis neptem,è quo deinde matrimonio natus eſt D. Ludouicus, pax inter Philippum & Iohannem, Arturo etiam non omiſſo, facta fuit; hac lege, vt Iohannes iure clientelari poſſideret ex Philippo, Britanniæ & Normandiæ prouincias, ídque Arturus Iohanni permitteret. Poſteà certis de cauſis Arturus ab auunculo Angliæ rege incarceratus fuit, & anno 1203.interfectus, cuius necis auunculus ipſe author vulgò habitus eſt. Propterea Philippus Auguſtus, tanquam feudi Dominus, Iohannem Lutetiam citari curauit, eúmque eremodicio mulctactum feudis priuauit, deinde armata manu ad eos vi occupandos iuit. Iohannes cenſens hoc paci aduerſari, ad Papam Innocent. III. confugit, qui ſub pœna excommunicationis iuſſit ambos Reges ſeruare pacem, & armis abſtinere, ac in eum finem legatum miſit. Iohannes Angliæ Rex, pro quo erat eiuſmodi præceptum, valdè ideò lætatus

tatus eſt, ſed Philippus conqueſtus eſt hac de re, ipſiq. Galliæ Præſules eius nomine querimonias fecerunt, quibus Innocent. III. reſpondit vt in capite Nouit. Non deſiit propterea Philippus ab inſtituto ſuo, ſibique prouincias omnes vindicauit, ab Anglis ad illud vſque tempus armorum vi in Gallia poſſeſſas. Nec ſuo præcepto Pontifex quicquam effecit. Anno 1208. Innocent. IV. dictum Iohannem Angliæ Regem excommunicauit, Regnúmque interdixit (quod etiam interdictum ſex annos & tres menſes durauit) nec propterea Iohannes Pontificis voluntati obſequutus eſt: quocircà anno 1212. Pontifex Pandolphum in Galliam legatum miſit, vt Philippum ad bellum contra ipſum excitaret: parauit ſe Philippus, & cum ipſo multi Barones Angli conuenerunt: interim verò Pandolfus Legatus in Angliam venit, & cùm imminens periculum Iohanni propoſuiſſet, perſuaſit ei vt Papæ feudatarius fieret: Iohannes ob periculum, conſilium acceptauit, Regnúmque ſuum erga Pontificem, mille auri marcharum, quotannis cenſuale conſtituit. Rediit in Galliam Pandolfus Legatus, & Philippo ſub pœna excommunicationis iniunxit, ne Iohanni, ceu Eccleſiæ Feudatario, negotium faceſſeret: nec obediit Philippus, nec à bello deſtitit: vnde anno 1215. in Concilio Lateranenſi, Innocentius excommunicationem in eos omnes intorſit qui Iohannem Angliæ Regem moleſtarent, ac ideò anno 1216. alius Legatus nomine Guallus, iuit Lutetiam, & Philippo regi, ac Ludouico eius filio, excommunicationis vi iniunxit, ne in Angliam tranſitum facerent, ſicut iam ad hoc parati erant. Non deſtitit propterea Ludouicus, ſed cum

multis copiis in Iohannis Regnum intrauit,quamuis idem Gallus in Angliam veniſſet, atque illic excommunicationes continuas intorqueret. Bellum ſemper ſtetit,donec Iohannes Angliæ Rex obiret,cúmque Ludouicus Galliæ Regis filius,multa in eo Regno loca occupaſſet, inducias ad quinquennium fecit cum Henrico Iohannis filio; qui patri ſucceſſerat.

Iam vt propoſito noſtro hiſtoriam hanc adaptem:docent Iuriſconſulti non ex eo quòd quis iubeat,probari illum habere iuriſdictionem ; ſi obedientia iuſſis non præſtetur:exquiſitio tamen authoris iudicio committam,vt cõſequentias faciat, cùm tot imperia,tótque cenſuræ,hos duos reges Philippum & Ludouicum arcere non potuerint à perſequendis rationibus quas ipſi iuſtas cenſebant,quamuis eas Pontifex iniuſtas eſſe crederet.

Vnum tantùm addam,Cardinalem Hoſtienſem, qui paulò poſt extitit, dum ſcribit in hoc cap.nouit,laborare magnoperè in eo iuſtificando multáſque proponere coniecturas,vt oſtendat quomodo res ſe habuerit,vt Pontificis præceptum eo cap. iuſtum dici poſſet:ſufficitGalliam ita non iudicaſſe, nec ei obediuiſſe.Quocirca authoritas cap. nouit, nihil concludit eius quod vult author noſter. Propoſitiones Papæ Innocent. III. ab authore citatæ, [Intẽdimus decernere de peccato,cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cẽſura,&,Nullus qui ſit ſanæ mentis ignorat,quin ad officiũ noſtrum ſpectet,de quocũq. peccato mortali corripere quẽlibet Chriſtianũ:]ita generaliter intellectæ ab ipſo nõ fuerũt, vt quidã volũt:primò,quia ex doctrina D.Thomæ, internos omnes animi motus excipere oportet de

quibus

quibus Pontifex nequit iudicare, niſi in Foro pœnitentiæ ſúntque horum plerique circa peccata omnia: Theologi & Canoniſtæ conſentiunt vt in excommunicandis hæreticis non comprehendantur mentales, quòd ſi Canon aliquis eos vellet comprehendere, nullus eſſet: vnde fiet vniuerſalis propoſitio, Papam de peccatis omnibus iudicare poſſe, & quum defendenda erit, particularia pleraque excipienda venient: præterea Princeps peccare poteſt, contra legem propriam faciens abſque cauſa legitima, vt probat D. Thomas 1. 2. quæſtion, 96. artic. 5. nihilomiùs tamen ob eiuſmodi peccatum non niſi à ſolo Deo iudicari poteſt, vt Gaetanus eo loco docet, oſtendens verba, iſta in foro pœnitentiali, & apud Deum, idem ſignificare.

Ac ſanè qui aſſeruerit Principem cenſuris Pontificis obnoxium eſſe, quum proprias leges tranſgreditur, is Principis poteſtatem penitus è medio tollet: qui verò dixerit, obnoxium illum eſſe in aliis peccatis, non in his, rationem iſtam tollet in eo cap. nouit, poſitam nempe ad Pontificem ſpectare animæ & ſalutis curam habere, & contraria tollere: atqui Princeps in damnationem incidit etiam ob peccata contra legem propriam commiſſa: ergo non minùs hęc quàm illa, ſpectarent ad Pontificem: quod, vt ſuprà dictum eſt, doctrinæ D. Thomæ penitus aduerſatur.

Verba quoque Innocentij diligenter animaduertere neceſſe eſt, qui dicit peccati cuiuſlibet mortalis cenſurã ad ſe pertinere: [quam in quemlibet exercere poſſumus, & debemus: & inferiùs, Ad officium noſtrum ſpectat de quocunque pec-

cato mortali corripere quemlibet Chriſtianum.
Quòd ſi contra omne peccatum mortale,& contra Chriſtianum quemlibet peccatorē fulminare debet,id ſanè ni fecerit, peccat, ſed non videmus ipſum contra meretrices fulminare, quæ tamen in peccato palàm perſeuerāt:ergo peccaret,vel ipſum non niſi cenſuras intorquere opus eſſet:Quamobrem illud, de omni peccato mortali,non in genere debet intelligi,cū innumera iam excluſa ſint,at verò Gabriel Biel in can. lec. 75. laborat multùm vt tolerabilem huic loco expoſitionem tradat,nec aliud inuenit quàm vt dicat decretale hoc & id genus alia, de foro pœnitentiali tantùm intelligi.
Non laborabo in oſtendendo decretalis verba, iuxta Gabrielis ſenſum intelligi, ſed dicam maius ei negotium incumbere,qui hoc de foro exteriori intelligi volet,vt abſurda, & omnimodum ſecularis authoritatis à Deo inſtitutæ deſtructionem,& in mundo confuſionem vitet, quæ omnia ex hac doctrina oriuntur,ac damnationis ſtatum, in quo Pontifices omnes cum ea ponit: quod Canoniſtæ quidam, inter quos eſt Nauarrus, facere tentarunt,nec eis benè ceſſit,& ipſi laborare non debemus in huius Pontificis verbis, ad veram doctrinam accommodandis,quæ ſæcularem poteſtatem à ſpirituali miniſterio diſtinguit, maximè cùm hoc decretale aliud quippiam contineat, ratione cuius indiget expoſitione, vt & illud,quòd Philippus Auguſtus Rex eſſet ex progenie Caroli Magni, quod non verum eſt, niſi matrimonium aliquod fingat,ac per lineam femininam deducatur,quod in Gallia eſt inuſitatum. Gallus aliquis hiſtoricus ita Carolingos, vt Capetos ex Me-

ræis, per varias lineas femininas deduxit, ſed Capetos ex Carolo deſcendiſſe, difficile erit oſtendere, niſi aliquid excogitetur quod ſit extra hiſtorias.

Tempus eſt linquendi hoc caput Nouit, quod author exponere potiùs quàm ampliare debuerat: ſiquidem contra ſenſum Innocentij, dicentis ad ſe ſpectare correctionem cuiuſlibet Chriſtiani, author noſter vocem, cuiuſlibet Chriſtiani, de omnibus mundi Principibus eſt interpretatus: atque ideò ſpectabit ad Pontificem excommunicare Turcam, Regem Perſiæ, Regem Samarcandæ, Precopenſem, & alias etiam ignotos, nec poterit ampliùs D. Paulus dicere: [Quid mihi de his qui foris ſunt iudicare?] Sed de priuatis Chriſtianis, quos Papa Innocentius comprehendit, author loquendum eſſe non iudicauit, quaſi Principibus dominari ſufficiat, aliiſque ſe ſubiicere ſit indecorum: interpretari quemlibet Chriſtianum per omnes Mundi Principes, eſt ampliare ſimul & limitare Decretalis ſenſum: limitatur excludendo priuatos, ampliatur ad Principes non Chriſtianos illud extendendo.

Quod ſpectat ad authoritatem extrauagantis [Vnam ſanctam,] cuperem vt author dubium ſoluiſſet, quod ex huius Extrauagantis lectione oritur, iunctæ cum alia Clementis quinti Pontificis, qui paulò poſt ſucceſſit, quæ incipit, [Meruit de priuilegiis:] vbi dicit ipſe Clemens, ſe nolle, vt prædicta Extrauagans, [Vnam ſanctam,] præiudicium vllum adferat Regi Regnóque Galliæ, vel vt per eam prædictus Rex & Regnum, Eccleſiæ Romanæ magis quã anteà ſubiiciantur, ſed velle vt omnia eodem in ſtatu permancãt, in quo

erant ante dictam Extrauagantem: & hoc facit vt Regi faueat, qui hoc meruerat ob ſincerum ſuum affectum, maiorúmque ſuorum merita: & quia Galli ob ſuam pietatem id meruerant. Iam quæro an Bonifacius ius diuinum expoſuerit, id eſt, explicarit ac declarauerit iuriſdictionem quam Pontifex habet de iure diuino, in hac Extrauagante, Vnam ſanctam: an verò ſibi ſubiecerit Principes, quos noluit Deus ſubiici: ſi dicatur hoc ſecundo modo, reſpondebitur, id fore nouitatem poſt annos 1250. nullitatem, vſurpationem, & abuſum poteſtatis Pontifici à Deo conceſſę: præterea non opus erat vt Clemens vellet ſolum Galliæ Regnum illi conſtitutioni ſubiectum non eſſe, verùm idem de omnibus Regnis & Principibus dicere & intelligere ipſum oportebat: nec etiam hoc Regis aut Regni meritis, ſed ipſi iuſtitię & officio debebatur. Si dicatur, id fuiſſe declarationem iuris diuini, peto quî potuerit Clemens Regem & Regnum Galliæ, ab ea ſubiectione liberare quã Deus præſcripſerat, ſiquidem euidens eſt Pontificẽ à poteſtate quam habet de iure diuino, neminẽ eximere poſſe. Et vt ad partem veniam dictæ Extrauagantis, ab authore citatã, ſi quod ait Bonificius, nimirùm tẽporalem poteſtatem quũ errat, à ſpirituali dirigi debere, intelligendũ ſit de animarum ſalute, & in foro Dei, ac proinde ſine vlla ex temporalibus illis poteſtatibus, quas Iuriſconſulti coactiuas appellant, ideóq; Eccleſiaſticam omnem in Principes authoritatem, ſpiritualem eſſe: neq; hoc modo ad Pontificẽ Romanum deſcendere opus eſt: hæc enim authoritas eſt penes omnes Præſules, quamuis inter ipſum & alios diſcrimẽ adſit, quòd
alij

alij Præſules non habeant omnes pro ſubditis, vt Pontifex, & aliorum authoritas Pontificiæ ſubiecta ſit.

Sed quando ex citatis hiſce tribus authoritatibus concludit, Principem temporalem abſolutum, quamuis Principem alium temporalem ſuperiorem non agnoſcat, cogi Chriſtiani orbis caput agnoſcere: nollem in homonymia vocis, agnoſcere,& vocis, Superioris, quemquam decipi. Agnoſcere namq; in vna ſignificatione, idem eſt ac ſubiectum eſſe & dominium ſuum iure clientalari poſſidere: ſed in alio ſenſu, agnoſcere, eſt Dei miniſtrum reputare in eo quod ad Regnum cœlorum attinet, iuxta quam ſignificationẽ, Princeps & Pontificem & Epiſcopum etiam agnoſcit. Vox autem, Superior, in prima ſignificatione id denotat quod vulgò dicitur, Superior directi dominij: in ſecundo ſenſu, ſuperior ille eſt qui legem Dei docet, Sacramenta adminiſtrat,& in genere ad ſalutem dirigit: quo ſenſu Epiſcopus etiam Principis eſt ſuperior, quamuis Pontifex ſit eminentior. Non oportet igitur vt author, abſque harum ſignificationum diſtinctione, dicat vno contextu, Principem temporalem abſolutum, quamuis pro Superiori alium Principem temporalem non agnoſcat, Pontificem pro Superiori agnoſcere debere, atque ita ſuperioritatem confundat: hęc enim propoſitio non eſt admittenda, Principem abſolutum, quamuis pro Superiori alium Principem temporalem non agnoſcat, agnoſcere tamen pro Superiori Epiſcopum: ſiquidem fallacia ſatis omnibus innoteſcit: nam ſi agnoſcere, ſumatur in primo ſenſu, pro dominio directo, tunc non

verũ, eſt quòd Pontificem agnoſcere debeat, quia non eſt talis, ſed eodem planè modo, quo alium Principem non agnoſcit, nec Pontificem ipſum agnoſcere debet. Si prætereà in ſecundo ſenſu ſuperiorem intelligat, id eſt ſpiritualem, non verum eſt, nullum principem temporalem, etiam feudatarium, agnoſcere alium Principem temporalem, pro Superiore ſpirituali, nam in hoc ſenſu, agnoſcere pro Superiore, ſignificat habere pro Patre ſpirituali: nec feudatarius talem debet reputare Dominum ſuum: quàm igitur cauendum eſt ab hac Theologizandi ratione, qua & Regnum Dei, & Regna mundi deformantur, & confunduntur ac decipiuntur idiotæ, & adducuntur vt credant Pontifici in omnibus obediendum eſſe.

Hæc etiam loquendi formula non omnino laudari debet: Pontifex eſt caput Chriſtiani orbis: propter homonymiam huius vocis, Chriſtianus orbis. Antiquitus ab authoribus dictum reperitur: Pontifex Romanus ſucceſſor D. Petri: ab aliis, Vicarius D. Petri: vlteriùs progrediendo, Vicarius Chriſti, Vicarius Dei, Caput Eccleſiæ: quæ loquendi formulæ malum ſenſum non pariunt; ſed vox Chriſtiani orbis, eum ſui ambiguitate parit: ſiquidem non modò ſignificat Eccleſiam Chriſtianam, ſed etiam dominia, Regnáque Chriſtiana: quinimò ſecundus hic ſenſus eſt vſitatior: & quum dicitur Aſiam vel Ægyptum non eſſe in orbe Chriſtiano, non intelligitur illic non eſſe Eccleſiam Chriſtianam, ſed intelligitur hæc non eſſe in temporalibus Chriſtianorum dominiis: apparet ſub hoc nouo loquendi modo

latere

latere fallaciam,quia concludere animus eſt,Pontificem eſſe caput,id eſt,dominium habere in temporalibus ſupra cæteros Principes Chriſtianos: ne mutemus antiquum modum,dicamus, Caput Eccleſiæ Chriſtianæ. Sed dum author ex toto ſuo ſermone vult concludere,ſi Principes poteſtate vtantur in animarum propriarum, aut populorum damnum,& in Chriſtiani orbis prçiudicium,Pontificem interuenire poſſe:quamuis ſuperiùs in expoſitione cap. Nouit, multa de hoc dixerimus, non erit abs re videre quodnam inconueniens extremum ex eiuſmodi doctrina ita vniuerſaliter enunciata ſequatur. Nulla eſt actio humana in indiuiduo,quæ non ſit opus bonum, vel peccatum: Si ad Pontificem Romanum attinet de omni peccato inquirere, atque etiam iudicare, tum nullus amplius erit Princeps, excepto Papa: imò nullum ſupererit priuatum dominium: Princeps, legem ferat, vt ſoluatur contributio pro extraordinario Reipublicæ ſubſidio, cauſa belli, quod ipſe ſuſcipere cogatur: eiuſmodi lex non eſt iuſta, ſed peccatum,ſi cauſa finalis non ſit legitima, ſi ſubditi ad contributiones non obligentur ſecundum iuſtitiam diſtributiuam: igitur Pontifex dicere poterit: Volo ſcire cur imponas contributionem:& ſic in arcana ſtatus Regni penetrabit, diſtributionem examinare poterit, an pro portione rerum fiat,& ita recondita quæque de ſtatus regni viribus intelliget: & quia Pontifex eſt etiam Princeps temporalis, & hoc nomine bellũ cũ alio gerere poteſt,hac ratione vires hoſtiũ infirmans,eos mira facilitate ſuperare poterit. Deniq; Pontifex

examini ſuo ſubiicere poterit omnes leges, omnia edicta, omnia fœdera, omnes ſucceſſiones, tranſactionéſque Principum: ſed quid dicam? examinare quoque poterit ſucceſſiones, & contractus priuatorum, quia paſtoris eſt, vt ait author, videre quid ſua peccata paſcantur, quas aquas bibant, & quò vagentur: conſequentia hæc non modò eſt neceſſaria, ſed ab omnibus etiam Canoniſtis admittitur, qui ſcribunt in cap. Nouit. nihilominùs tamen à prudentibus tanquam valdè abſurda notatur, ad quę abſurda vitanda nonnulli ex eo cap. Nouit. diſtinctionem hanc deſumpſerunt, aliud eſſe de re, actione, aut contractu iudicare, & aliud iudicare de peccato: ſed quod inſeparabile eſt diſiungunt, quando enim erit Pōtificis de re omni iudicare quatenus eſt peccatum, eámque prohibere, & ad mandatorum ſuorum obſeruationem cogere, quid aliud Principi tractandum ſupererit? exempli gratia, ſi in venditione aliqua fuerit iniuſtitia, eámque Pontifex vt peccatum iudicabit, & nullam reddet, peto, quid aliud circa eum contractum Principibus iudicandum, vel tractandum ſupererit? ſatisfactum erit mihi, quando vel atomum Democriti ſupereſſe oſtenſum fuerit iuxta hanc doctrinam, vel Principatum omnem tollere, vel aſſiduis perturbationibus Chriſtianum orbem iactari oportet. Non vtor hîc voce in ſenſu ambiguo, ſed per Chriſtianum orbem, Regna & Dominia Chriſtianorum intelligo.

Quoniam verò doctrinam valdè vniuerſalem author attulit, nempe Pontificis eſſe iudicare an lex aliqua ſit cum peccato, ſicut eſt iudicis Eccleſiaſtici

cleſiaſtici iudicare an ciuilis quiſpiam contractus, vſuræ peccatum contineat, illi dicendum eſt ſequi ex hoc, non ſolùm Pontificem, ſed omnes etiam Iudices Eccleſiaſticos, rerum omnium fore iudices, quia non magis ipſorum erit iudicare an actio quæpiam contineat vſuram, an verò aliam proximi læſionem, cùm in his omnibus ſit peccatum: & de quouis homicidio, quia ſine vel cum peccato eſſe poteſt, Eccleſiaſticum erit iudicium: & ad eoſdem attinebit iudicare, an pretium frumentis & mercibus impoſitum, ſit peccatum nec ne, ac proinde iubere vt dematur aut relinquatur: an pignerari, ſit cum iniuria, nec ne: an mandatum aliquod de incarcerando, violentum ſit, & iniuſtum: nam & hîc peccatum adeſt, an veſtitus muliebris ſit ſcandaloſus, an aliquis in menſa ſua ſit prodigus vel auarus, hæc enim omnia, peccata ſunt: & quemadmodum de Regnorum omnium gubernatione poterit inquirere, ſit & de cuiuſque domus œconomia cognoſcere poterit, vt ſcilicet patres ſuos regant filios, vt mariti cum vxoribus agant, ac tandem quia nulla eſt actio, vel negotium publicum aut priuatum, in quod peccatum non cadat, ſi iudicis Eccleſiaſtici fuerit de eo iudicare, illúdque probare, aut prohibere, & ad iudicium ſuum ſequendum cogere, tunc Aulam, forum, omnéſque domus in Epiſcopatum intrudere oportebit. Quæ conſequentiæ ſicut ex hac doctrina deducuntur, ita bonum erit eas attentè ab iis conſiderari ad quos verè ſpectant.

At ex vera doctrina Chriſtiana, & vſu quem videmus, abſurda omnia tolluntur, peccata nam-

que ſubiacent iudicio temporali, in foro mundano, & iudicio Eccleſiaſtico, in foro animæ, in quo vt agendum ſit, diſcere meliùs non poſſumus, quàm à Chriſti & ſanctorum Apoſtolorum exemplo, qui coactiuam temporalem authoritatem in peccata nunquam prætenderunt.

Pergit author, Interpretem reprehendens, non ſolùm in cauſa legum, ſed addens, Sanctitatem Pauli v. Rempublicam non arguere quòd ſubditos ſuos delinquentes punire velit, ſed quia præſumit manus iniicere in perſonas Eccleſiaſticas, quæ alteri Superiori quàm ſpirituali ſubiectæ non ſunt, concludens eum qui rem ſine affectu conſiderare volet, reperturum, Pontificem ſola tantùm malè faciendi libertate, quæ non à Deo eſt, ſed à Dæmone, Rempub. Venetam priuare velle. Hîc primò Interpreti opponit illud, in quo planè non peccauit. Propria interpretis verba iam retulit author, nempe, fulminatas eſſe cenſuras die Natali: ſed ea die aliud monitorium oblatum non fuit, quàm circa duas leges, de non fabricandis Eccleſiis, ac de bonis laicis in Eccleſiaſticos non transferendis, abſque licentia: & cenſura de iudicandis delinquentibus, fulminata non fuit niſi menſe Februario, de qua loqui non poteſt Interpres, cùm ſcribat ob rumorem ſparſum de cenſuris natali die fulminatis. Vir grauis inuidiam nemini conflare debet, niſi præeunte veritate: non eſſe verò perſonas Eccleſiaſticas, quum legem tranſgrediuntur, pœnæ obnoxias, dicit abſque probatione. Si in progreſſu viderimus eum tentare hoc probare, ei reſpondebitur quod pro veritatis defenſione ne-

neceſſum erit, interim verò dicendum eſt ei hoc loco quod occurrit ſuper hac propoſitione:Perſonæ Eccleſiaſticæ alteri Superiori quàm Spirituali ſubiectæ non ſunt. Hæc propoſitio adfertur oppoſitionis loco, aduerſus Dom. Cardinalem Bellarminum, à quodam in Gallia, qui eam velut ſeditioſam carpit, & Ludouicus Richehomus,Ieſuitarum Prouincialis in quodam ſuo ad Regem apologetico,pro ipſo reſpondet cap.33. quòd hoc non affirmarit niſi in cauſis merè ſacris, vt de Fide, de Religione, de Sacramentis &c. nec ipſius mens fuerit improbare morem in Gallia receptum, vbi ſecularis magiſtratus in priuilegia iis delictis iudex eſt, ac ipſe deinde Prouincialis ad Regem conuerſus, ait: [Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales,Generaléſque Prępoſiti Religioſorum Ordinum in toto Sacro Ordine Excelſiſſimi omnium,atque immuniſſimi primas tenent: propterеáne tamen, aut tuæ Maieſtati ſubiecti, vel eſſe, vel dici aſpernantur, quòd ſint immunes,ſubiectíque Pontifici Maximo. Et paulò inferiùs cùm dixiſſet ipſos Regem eum agnoſcere, ſubdit: Quod quomodo ſanè præſtandum ſibi conſtituerent,niſi ſe pari iure cum aliis,atque ſub tuo Imperio eſſe faterentur? parentémne poteſt Dauidem ſuus Salomon compellare,nec ſe eius tamen filium ea compellatione dicere?]

Sanè Card. Bellarminus ſententiam hanc lib. I. de Clericis, capit. 28. ad ſecundam concluſionem, cum ſua ratione profert,Eccleſiaſticos nempe ſeculari Principi ſubiectos eſſe in eo quod ipſorum officio non repugnat:ſed quia vox hæc,ſubiecti, formaliter non exprimitur, alium ex eadem

ſocietate adducere malui, qui formalibus verbis hoc dicit, nec ſolùm loco præcitato, ſed etiam cap. 36. D. Gregorium ſupradicta epiſtola citare hîc omittens, qui ſe Imperatoris ſubditum ac ſeruum appellat, Deúmque Principi ſic loquentem, introducit, [Sacerdotes meos tuæ manui commiſi,] quem loquendi modum apud ſanctos omnes, & in antiquorum Pontificum epiſtolis reperio. Aliquis authori obiicere poſſet, hoc ſuũ effatum, (Pontifex non procurat, alia quàm malè faciendi libertate, Rempub. priuare) veriùs ſibimet Rempublicam applicare poſſe, dicendo, ſe in Eccleſiaſticis delinquentibus puniendis, nil moliri contra libertatem Eccleſiaſticam, nec prætendere ipſis aliam quàm malè faciendi libertatẽ demere: omnes enim in hoc conuenimus, Eccleſiaſticum qui leges tranſgreditur peccare, ſed tamen non conuenimus in hoc peccaſſe Rempub. in ipſis puniendis. Credo equidem Authorẽ, ceu doctiſſimum bonam mentem habuiſſe, quando dixit, malè faciendi libertatem non à Deo eſſe, ſed à Dæmone: verba tamen ſic prolata, non ſunt catholica: ſiquidem per malè faciendi libertatem, intelligitur liberum arbitrium, quod naturale eſt, & à Deo, neque hoc negabitur niſi ab aliquo Manichæo, qui diabolum mali authorem facit: non nego, vt dixi, authorem bonam mentẽ habuiſſe: ſed bona mens, ſeuerum alterius cenſorem excuſare non debet, præſertim dicente D. Hieronymo [Ex verbis malè prolatis incurritur hæreſis.]

Pergit author, & ſimilitudine ſumpta à Principibus ſecularibus, à Paſtore, & Nauta, concludit

non

non debere Pontificem, caput orbis Chriſtiani, libertatem Principibus concedere, leges ſtatuendi in Eccleſiæ, & ſalutis animarum præiudicium, ac ſeipſos alióſque fruſtrandi ęterna ſalute. Pulcherrima verba, prima fronte, quæque imperitum aliquem illicò morarentur, eíque perſuaderent rationem omnem eſſe ab eius partibus: at quum ea ſubiiciemus examini, homonymias ipſa continere, & eodem quo reliqua omnia prędicta paralogiſmo concludere videbimus. Quid per Eccleſiam intelligit? ſi illud quod ſacrę literæ, & vox ipſa ſignificant, fidelium nempe cōgregationem, veriſſimum eſt quod dicit: at nullus Princeps hoc ſenſu, leges in Eccleſię prępiudicium ferre poteſt, quin ſibimet etiam prępiudicet, qui eſt ex præcipuis illius membris, ſimúlque peccet: ſi per Eccleſiam intelligit eius miniſtros, quà tales ſunt, idem dico. ſed addo leges Venetas ipſis non prępiudicare, ſed quadantenus, vt oſtendi poſſet, ipſorum miniſterio fauere. Si verò per Eccleſiam, intelligit potentiam aliquam vel dominium temporale, nego Pontificis eſſe prohibere ne leges in illius præiudicium condantur. Homonymiâ fallimur. Non licere in Eccleſię prępiudicium, legem ferre, primo & ſecundo modo debet intelligi: ſed latam eſſe legem ne Anconam, quæ eſt de Eccleſiæ ditione, fruges adferantur, hoc intelligi debet in tertio ſenſu, ideóque ſi ita dicatur, Lex de non ferendis frugibus Anconam, eſt contra Eccleſiam: hęc erit concluſio per homonymiam facta. Itidem quum ait, Pontificē concedere non debere Principibus Chriſtianis, libertatem condendi legem in ſalutis animarum præiudicium, notabimus do-

ctrinam eſſe Dom.Cardin.Bellarmini, quòd Ec-cleſiaſtici immunes ſint iure humano in cauſis criminalibus, ſiue hoc ſit priuilegio Principum, ſiue ob cõſtitutiones Pontificum, ſiue ob vtrumque ſimul: peto tamen num ante omnes has leges, & conſtitutiones, ſeculares qui in Eccleſiaſticorum ſcelera animaduertebant, peccarent, vel Eccleſiæ præiudicium adferrent: ſi affirmet, extricare ſe non poterit, nam illi non aduerſabantur legi diuinæ, ex ipſiuſmet ſententia, quæ vera eſt: nec humanę, quæ non aderat, & vbi nulla eſt lex, nec præuaricatio: ergo non erat peccatum, non erat contra ſalutem animæ, vel in alicuius præiudicium: cur igitur Pontifices id permittere non poterant? dicet author, tunc quidem ita fuiſſe, cùm lex non adeſſet, iam verò non ita cùm lex adſit: ergo Pontifices viam in cœlum difficilem reddiderunt, ergo ſine ipſis facilior erat, ergo ad ædificationẽ hoc non facit: ſi anteà poterant Principes Eccleſiaſticos delinquentes puniendo, fouere quietem publicam, læſiſque ſatisfacere citra peccatum, quid opus erat contra bonum publicum, & cum extremo, confuſionis in quodlibet dominium introducendę, periculo, excogitare peccatum eſſe, ſi malè faciens puniatur, iuxta legem Dei? an hoc inſeruire poteſt vllo modo ſaluti cuiuſpiã faciliori reddẽdę? an fortaſsè deprauatis Eccleſiaſticis inſeruit, qui hac ratione ad malũ audaciores fiũt? an læſis ab ipſis inſeruit, qui maiores ideò ſimultates alunt & vindictas priuatas machinãtur? an Principib. quorũ dominiũ perturbatur? an bonorũ Religioſorũ famæ, ꝙ in ipſorũ ſocietate praui reperiãtur? an fortè Deus ab aliis colitur, quàm ab iis qui eius pręceptis

ceptis

ceptis obediunt? Sed audio mihi obiici, hoc eſſe immunitates damnare, quas tot Principes ęterna memoria digni, perſonis Eccleſiaſticis conceſſerunt in cauſis criminalibus. Ego non ſolùm has non damno, ſed magnoperè laudo, eáſque ceu dignas quę ab omnibus Principibus, præſentibus & futuris obſeruentur, propono: dico tamen inueniri non poſſe vllum Principem, à Conſtantino Magno inchoando vſque ad Conſtantinum Irenęum, & ab hoc per Gręcos deſcendendo, vſque ad illius imperij deſtructionem, & per Latinos à Carolo Magno vſque ad Fridericum ſecundum incluſiuè, qui Eccleſiaſticos à propria ſua poteſtate exemerit. Omnes immunitates ſunt à Magiſtratibus, quędam ab omnibus, quædam ab eorum parte, quædam in certa delictorum ſpecie, aliæ in omnibus reſpectiuè, ſumma ea poteſtate penes Principem remanente, quę ab ipſo eſt inſeparabilis. Itaque dummodo delicta puniantur, à quo Magiſtratu hoc fieri debeat, nec-ne, & in quonam delinquente, ſiue alicuius fuerit authoritatis, ſiue nullius, id Principis eſt ſtatuere, iuxta temporum, locorum, & negotiorum opportunitatem. Quocirca Principes, prout rerum ſtatus poſtulat, priuilegia concedunt & immunitates militibus, aliíſque hominum generibus: atque ita, quum in ipſorum Dominio Religionis argumētum id poſtulat, priuilegia & immunitates congruas concedunt religioſis, indéque laudandi veniūt, ſicut laudo pręnominatos Principes, laudo & Rempub. quòd lege non ſcripta, in delictis vulgaribus & non atrocibus, Eccleſiaſticos exemerit. Verùm lex quę Principi tolleret poteſtatem puniendi delicta, publicę tranquillitatis neceſſitate

id poſtulante,quo pacto laudari à quopiam, aut Deo & Naturę conſona haberi poſſet,non video: quamobrem ex eo quod laudantur ſancta priuilegia conceſſa à Principibus, nō ſequitur immunitatem enormem laudari quæ pariat confuſionem perturbationémque publicam. Concludamus itaque verum eſſe, Pontificem nec poſſe, nec debere quicquam eorum concedere quæ ſuapte natura mala ſunt, & animarum ſaluti contraria: quòd ſi ea concederet, non ideò tamen peccata non eſſent,nec in iis faciendis, ſalus acquiri poſſet. Ac ſanè maxima laude digni Pontifices, qui res à Deo prohibitas è medio tollere nitebantur, quibus manentibus,homo ſaluari nequit: & iam à tot annis Mundus in hanc reformationem ſuſpirat,ac ſpe ſua toties deluſus fuit. Verùm circa res quę diuinæ voluntati non repugnant, ſua Principi libertas ſeruari debet, id nempe faciendi quod publicum bonum poſtulat: & ſi quis Pontifex id prohibere tentaret, authoritatem temporalem contra pręceptum Chriſti vſurparet.

Huc vſque diſputatio ſatis familiariter ab authore acta eſt:ſed in ſecundo loco, Interpretem, quòd dicat ſe inquiſiuiſſe quænam eſſet vis excōmunicationum,quum ob cauſas tam iniuſtas intorquentur, admodum contumelioſè excipit his verbis:

2. Pergit author ad ſecundam falſitatem, dum ait:[Ego probatorum quorundam authorum reuolutione,ſeriò inquirere cœpi, quænam ſit vis huiuſmodi excommunicationum, quum ob cauſas tam iniuſtas intorquentur.] Hęc eſt ſecunda

falſi-

falſitas cum incredibili temeritate, & intolerabili arrogantia coniuncta: author enim præfationis aſſerere audet, cauſas excōmunicationis latę à ſummo Pontifice aduerſus Rempublicam Venetam, eſſe iniuſtas. Et forſitan qui cum ſcriptore hoc ageret, agnoſceret eum in hoc negotio nec ſatis inſtructum eſſe, nec latæ excommunicationis ſcire cauſas, quandoquidem ipſe fatetur, ſe ſola fama Pariſiis ſparſa, ad ſcribendum impulſum fuiſſe: ac proinde neceſſe eſt eum eſſe de grege eorum, de quibus Aoſtolus loquitur, Non intelligentes quæ loquntur, neque de quibus affirmant, 1. Timoth. 1. Poteſtne fieri te adeò temerarium eſſe, vt negotio nec dum probè intellecto, nullo adhibito ſtudio, inconſultis Doctoribus, audeas tamen ſententiam tuam abſolutam aduerſus Chriſti Vicarium pronunciare? Et poſito quod in ea re multum operę ſtudíſque impenderis, decuítne te adeò arrogantem eſſe, vt iniuſtitiæ argueres & condemnares ſupremum mundi Iudicem, & hanc tuam ſententiam toti mundo typi adminiculo palam faceres? Sed cùm omnes rationes tuæ, ob quas excommunicationem ſummi Pontificis iniuſtam pronuncias, alio fundamento quàm fama non nitantur, qua ſcilicet ſpargebatur, Rempublicam Venetam ideò quòd nolit libertatem ſuam ſibi à Deo datam, alterius arbitrio ſubiicere, excommunicatam eſſe: & nos iam clarè demonſtrauerimus eam rationem falſam eſſe, iuſtitia etiam excommunicationis latæ à ſanctiſſimo noſtro, nota ſingulis, & calculo omnium, iis ſolùm exceptis quorum ea intereſt, & qui ſenſu magis quàm ratione ducuntur, approbata ſit

verba plura in hac falſitate confutanda non perdemus.

Ego ſanè Interpretis verba perlegens, non video ipſum aſſerere ſententiam Pontificiis iniuſtam eſſe, cùm hanc addat parentheſin, (quòd neque videtur æquum, neque credibile) quam author ſtudio præteriit: ſed demus etiam non adeſſe, & nuda ſolùm verba ſumamus: Euulgato rumore, Rempublicam excommunicatam eſſe, quòd ſuam cedere libertatem recuſet, inquirere cœpi apud probatos authores &c. Vnum pro certo ponit Interpres, excommunicationem contra cũ latam qui libertatẽ ſuam ſubiicere abnuit, iniuſtam eſſe, & alia duo dubia manent & incerta: alterum in iure, quæ ſit vis illius excommunicationis, alterum in facto, an præſens excommunicatio ſit eiuſmodi, ſicut ipſe rumore communi audiuit. Secundum lectione librorum noſſe non poterat, de prima cœpit inquirere: atque ita non videtur illud aſſerere, vt ait Author: quemadmodum ſi quis diceret: Euulgato rumore Venetiis, Demetrium Moſcouiæ Principem, cum multis ſuis ſequacibus, trucidatum eſſe, ideò quòd ſe à Ieſuitis induci paſſus ſit, ad tentanda multa contra illius Imperij inſtituta, cœpi apud probatos authores inquirere, quam pœnam mereantur Religioſi, dum ciuilia publicáque negotia tractant, cum perturbatione publica & cæde multorum: poſſétne aliquis obiicere, hunc aſſerere Ieſuitas eſſe publicæ quietis perturbatores? Minimè gentium: at certum eſt eum qui publicam quietem turbat, peccare: duo ſunt incerta, alterum in iure, quod ex

libris

libris diſci poteſt, quam mereatur pœnam Religioſus qui ita ſe geſſerit: alterum in facto, quid in Moſcouia contigerit, de quo certa nuntia poſſunt expectari. Ita planè eſt id de quo agimus, idémque ſenſiſſe authorem puto: ſed vt inueheretur in illum qui iniuſtam eſſe dicit Pontificis excommunicationem, ſibi videri Interpretem hoc dicere, ſimulauit. Solet author eos increpare qui aliorum verba detorquent, vt ea confutent: ſed hoc loco nimis erat neceſſe, ignotum aliquem taxandi prætextu: omnes eos conuiciari qui Summi Pontificis excommunicationem non admittunt: ſed ſi quis ab eo commotus quod author ait, in textu ſuperius allato, nempe Reipublicæ Venetæ, leges iniquas & impias eſſe, iam verba propria contra ipſum præciſè retorqueret, dicens, falſitatem eſſe iunctam cũ &c. ſcilicet aſſerere tantæ Reipublicæ leges, Chriſtianorum omnium Regnorum legibus conſonas, iniquas & impias eſſe: & eum qui cum ipſo ageret, deprehenſurum non ſatis ipſum in hoc negotio inſtructum eſſe, atque ſic eundem ſcripto compellaret, Potéſtne fieri te eſſe adeò &c. vt audeas iniuſtas pronunciare leges ſapientiſſimæ & Religioſiſſimæ illius Reipublicæ, quæ iam à mille & ducentis annis cum admiratione & exemplo totius Mundi recta eſt, cùm præſertim hæ leges peculiares non ſint, ſed in Chriſtianis omnibus dominiis reperiantur, eæque ab omnibus etiam iuſtæ habeantur & approbentur iis ſolùm exceptis quorum hoc intereſt, & qui affectu magis quàm ratione ducuntur: non poſſet

author conqueri, propriis ſuis vinculis laqueatus, & formalibus ſuis verbis reprehenſus. At mittamus nos hunc agendi modum, addentes tamen eum qui res quæ hoc tēpore in Mundo geruntur ſcribens, ſentētiam ſuam diceret, Pontificis nempe excommunicationem iniuſtam eſſe, non adeò culpandum fore: Chriſtianos omnes Hiſtoricos legendo, ſexcenta exempla ſcriptorũ inueniemus, qui ſuam de Pontificum ſui temporis ac præcedentium decretis, præceptis, & actionibus, opinionem dixerunt: nec ab eo diſcedam, quod recentiores omnes de Alexãdro ſexto, de Iulio ſecundo, ac de aliis tũ ſucceſſoribus tũ anteceſſorib. dicũt. Solus Deus hoc habet vt errare nequeat, ſitq; irreprehenſibilis, cæteri omnes quid agánt videre debét: nam opinio quam Mundus de ipſorum bonitate & prudentia habere poteſt, pro fræno eſt iis qui propriæ conſcientiæ metu, ſeſe intra debitos terminos continuerunt. Sed ad tertiam obiectionem tranſeamus, vbi dicit:

3. Tertia ſequitur, [Et quidem ſacri Concilij Tridentini decretis accuratè inſpectis, legendo verba hæc, digna quæ aureis literis conſcribantur, Quamuis excommunicationis gladius &c. in votis mihi maximè fuiſſet, vt quemadmodum ſanctiſſimi illi Patres, Eccleſiarum Præſulibus, regulam ab iiſdem in huiuſmodi remedij applicatione, & ſalutifero vſu obſeruandam præſcripſere, ſic pariter conſcientias pias & religioſas fidelium informaſſent quidnam eorum muneris & officij foret, quum Præſules & Inſpectores cõtra præſcriptam à Chriſto Domino noſtro, D. Paulo, & ab antiquis ſacris Canonibus formã, cenſuras intorqu ẽt.] Nõ

conten-

contentus eſt author falſitatem vnam contra Pontificem ſummum dixiſſe, ſed adiungit aliam cõtra vniuerſale concilium, vt hoc modo & caput & primaria ſanctæ Eccleſiæ mẽbra conuiciis afficiat. Redarguit igitur author hic ſacrũ conciliũ inſufficientiæ, quòd cùm Præſulibus præſcripſerit, vt in cauſis leuibus excõmunicatione non vtantur, neglexerit tamen ſimul erudire laicos quomodo ſe gerere debeant, quum Præſules præſcriptum ordinem, qui cum Chriſti, D. Pauli, & ſacrorum antiquorum Canonum ordine conuenit, intermittunt. Verùm ſi voluiſſet hic author totum ſacri concilij Decretum perlegere, inueniſſet id ipſum quod ſe in votis habuiſſe ſimulat, cognouiſcétq; quàm iniquè inſufficientiæ doctrinæ concilium arguat. Decretum quod ipſe allegat, tertium eſt ſeſſionis vltimæ, in materia de reformatione: & quemadmodum initio decreti Pręſules admonentur, ne excommunicationis armis temerè leuibúſque de cauſis vtantur, ita ſub finem quoq; inſtruuntur laici in publico magiſtratu conſtituti quòd ad ipſos non pertineat iudicare, an Præſul in excommunicatione debitum ordinem ſeruet, necne, ac proinde magiſtratibus ſecularib. pręcipitur, ne Præſules impediant, quominùs excommunicationem intorqueant, multò minùs mandent, vt intortam reuocent, ſub prætextu quòd ordini debito non reſpondeat. Nefas autem ſit ſæculari cuilibet magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare vt latam excõmunicationem reuocet, ſub prætextu quòd cõtenta in præſenti decreto non ſint ſeruanda, cũ non ad ſęculares, ſed Eccleſiaſticos hæc cognitio per-

tineat. Hæc ſunt verba ſacri Concilij, quod ſingulis rebus proſpexit, docuítque officium ſæcularis Magiſtratus non eſſe, reſiſtere violenter publicationi excommunicationum, vt modò facit Magiſtratus Reipublicæ Venetæ, deceptus ab iis qui adulari quàm veritatem docere malunt, ex quorum numero eſt is, cui reſpondemus.

Hîc bifariam Interpretem arguit: primò, quòd inſimulet concilium inſufficientiæ, ſecundò, quòd ſi verba ſequentia legiſſet, non modò principium, inueniſſet quod quærebat. Ad primam obiectionem breuis ero: nam ſecunda omnem aliam conſiderationem dimittere me cogit. Hoc ipſo argumento vtuntur hæretici: quum enim traditiones neceſſarias eſſe dicimus, quia non reperiuntur omnia in ſacris literis, non imaginum adoratio, non ordines Minores, nõ ſignare ſe ſacro ſigno crucis, non Eccleſiarum & Altarium conſecratio: ſtatim obiiciunt, nos ſcripturam habere pro manca & inſufficiente: non ideò ſcriptura eſt inſufficiens, nam illud continet quod ſcriptum eſſe oportuit: cætera committit traditionib. quas probat: ita ſæpe dom. Cardinalis Bellarminus hæreticorum obiectionibus reſpondet: eodem modo hîc inſufficiens non habetur concilium, quia nõ dixerit id omne quod de excommunicationib. ſciri debet, particularib. quibuſdam rebus omiſſis, quas Catholicorũ ſcriptorum doctrinæ cõmiſit: & notum eſt omnibus, quot neceſſariis declarationibus ſuppleuerit Pius v. in materia cognationis ſpiritualis, affinitatis inceſtuoſæ, publicæ honeſtatis: & Cardinalium conuentus quotidie ſupplet aliis rebus, ſub declarationis titulo Concilium inter ſcriptores Canonicos

non

non numeratur,ſed credendũ quòd ſi diutiùs duraſſet, plura adhuc declarauiſſet, nec deberet Author hoc dicere,cùm nouitati quęſiti de auxiliis ſit valdè contrarium.Obiici mihi ſentio, peccaſſe igitur Interpretem,id optando quod ſacrum Cõcilium expedire non iudicauit: non malum eſt id optare quod aliquis etiã naturâ impeccabilis aliter iudicauit. Vellem Deo placuiſſet Papam Clementem octauum in viuis relinquere ad hęc vſq;tempora,& non pecco,licèt Deus non expedire iudicauerit. At ſcio non cõtentum eſſe aliquem, quòd eiuſmodi ſufficientię & authoritatis ſit Cõciliũ, ſed eam velle cui nihil deſit,ne quis dicere vnquã poſſit opus eſſe Concilio,atque in hac de ſufficiẽtia in cenſurarum decreto conſideratione non laboraremus,ſi quemadmodum edita ſunt Concilij decreta, Acta quoque edita fuiſſent. Si iam reperiãtur acta Epheſini, quod fuit ante mille & ducentos annos,vel fragmẽta quædam actorum Niceni antiquioris magna cum auiditate excipiãtur: multę Authoris ſapientiæ ac prudentiæ dicendum committo,an ſacri Concilij Tridentini acta, quæ etiamnum habentur,vtile foret in lucem prodire: dicam equidem quòd ea noſtrum hoc dubiũ declararent ac ſoluerent. Ad ſecundam obiectionem quod attinet,exactam primò fidem optarem in Interprete Concilij, qui exiguę fidei Gerſonis interpretem arguit.Concilium dicit,[Nefas ſit ſęculari cuilibetMagiſtratui:]author ſic interpretatur, vt dicat moneri laicos, etiam in Magiſtratu conſtitutos. Credo Grammatices ſtudioſos hæc verba[ſęculari cuilibet Magiſtratui] de quolibet ſæculari Magiſtratu intellecturos, non autem de

laicis, etiam in Magiſtratu conſtitutis: ergo de priuatis nil dicitur, & Gerſonis Interpres piis ac religioſis conſcientiis, non Magiſtratibus inſtru-ctionem optabat; author verò hanc vocem [laicis] nobis obtruſit, vt præter Conſilij mentem, priuatos comprehendat: verba, ſub prętextu quòd contenta in pręſenti Decreto non ſint obſeruata] non fideliter referuntur, dicendo, ſub prætextu quòd ordini debito non reſpondeat: dicere debuit, ſub prætextu quòd contenta in præſenti decreto non ſint obſeruata: quoniam multi alij ſunt ordines debiti, apud D. Matth. D. Paulum, & D. Auguſtinum, qui in concilij decreto non continentur. Prohibet concilium Magiſtratibus laicis ne latam excommunicationem reuocari iubeant, ſub prętextu quòd omnia contenta in eo decreto non obſeruata ſint: at quum res aliæ debitæ non obſeruatæ eſſent, an reuocationem iniungere poſſet Magiſtratus, concilium non determinat: & fortè in quibuſdam poſſet, vt in Gallię Curiis fieri ſolet. Vides igitur, concilium non docuiſſe pias & religioſas conſcientias, id eſt eos qui iniuſtè ſunt excommunicati, nec non eos qui cum his verſantur, qua ratione gerere ſe debeant, id quod optabat Gerſonis interpres: ſed poſt citata conſilij verba [Nefas autem ſit ſæculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare vt latam excommunicationem reuocet, ſub prętextu, quòd contenta in pręſenti decreto nõ ſint obſeruata, cùm nõ ad ſeculares, ſed ad Eccleſiaſticos hęc cognitio pertineat:] ſubdit author: Hęc ſũt verba ſacri cõſilij, quod ſingulis rebus proſpexit, docuítq; officiũ ſuum Magi-

ſtratus

ſtratus non eſſe, reſiſtere violenter publicationi excommunicationum, vt modò facit Magiſtratus Reipublicæ Venetæ.

Quod ſequitur, conſideratione digniſſimum, concilium dicit non debere Magiſtratum prohibere ne Eccleſiaſticus excommunicet, vel iubere vt lata excommunicatio reuocetur: & Author dicit, concilium iubere ne Magiſtratus publicationi violenter reſiſtat. Hęc adeò diſcrepant vt cœlum à terra. Abſque eo quòd prohibeatur, ne quis excommunicetur, & excommunicationem reuocari iubeatur, publicatio poteſt impediri: hęc valdè differunt ab inuicem: primum attinet ad iuriſdictionem in excommunicantem, ſecundum ad naturalem defenſionem, quę nullam requirit iuriſdictionem, & non ſoli Magiſtratui, ſed priuatis etiam competit: legi poſſunt Gaetanus, Sotus, Victoria, qui omnes de reſiſtentia fusè agunt quã priuati & ſecularis magiſtratus, illegitimis, Pontificis præſertim, mandatis, præſtare debent: iuxta quos etiam loquitur Dom. Cardinalis Bellarminus in tractatu ſuo de Romano Pontifice, quo tempore, cùm hęc controuerſia nondum orta eſſet, abſque animi affectu iudicabat. Vbinam igitur ſeſe prodit magna illa falſitas quam dicit author Interpretem obiecisse concilio, & illud, quod, ſi totum legiſſet Decretum, inueniſſet, &c. atque ideò quæ fit hoc capite obiectio Interpreti, cõſiſtit in tribus abſurdis, & alienis authoris interpretationibus, contra verum ſenſum, & verba conſilij. Sed ad quartum caput tranſeamus, vbi dicit.

4. Pergens vlteriùs author, adiungit, & dicit [Et dum, cùm hîc deſiderio viderem meo nequaquam

fieri ſatis, multos authores euoluenti, ecce prę reliquis vnus ſeſe mihi obtulit Iohannes Gerſon, Doctor Chriſtianiſſimus cognominatus, æterna memoria dignus &c.] Negandum non eſt Gerſonem fuiſſe doctorem multę & pietatis & ſcientiæ: ſed infœlicitas temporis, ob ſchiſmatis in Eccleſia Romana diuturnitatem, induxit hunc etiam authorem, vt & alios quoſdam eius ætatis, vt minùs rectè de ſedis Apoſtolicæ poteſtate ſentiret. Dum enim interueniente cõcilio generali, mederi ſchiſmati, ac diuerſæ obedientiæ Põtifices inducere ſtuderēt, vt prętenſiones ſuas cõcilij declarationi ſubiicerent, ſupra modum concilij authoritatem extollebant, pontificiam verò deprimebant. Hinc naſcebatur vt in manifeſtos errores ſacræ Scripturę, & communi ſententię Theologorum, qui ante, & tunc, & poſt hæc tempora vixerunt, contrarios laberētur. Quapropter Gerſonis authoritas in materiis ad Papalem poteſtatem attinētibus, parui eſt momenti: nec deerant ſcriptores alij magis ſecuri, qui adferri poterant ad intelligendum quovſque ſe vis excommunicationis extēderet, vt ſunt D. Thomas, D. Bonauētura, D. Antonin⁹, & infiniti alij, etſi ſuſpectū authorē, imò manifeſtè erroneum in materia de qua hîc ſermo fit, non adduceret.

Poterat quidem author, aliquos è titulis honorificis referens, quos Interpres Gerſoni tribuit, omnes opponere, quia quod obiicit, ipſum nempe ſummi Pontificis authoritatem depreſſiſſe, fortè ſolutum eſſet: nam ſi opinionem adiecíſſet quam de Gerſone habuit illud ſeculum: vocans eum doctorem Chriſtianiſſimū, continuum item exercitium in docenda ſacra Theologia, & eiuſdem laboros

bores doctrina, exemplo, publicáque authoritate exanthlatos, lectori non facilè perſuaſiſſet Gerſonem eum fuiſſe qui temerariis affectibus duceretur: ſed adeò viget contradicendi ſtudium, vt ad traducendum feratur non modò Gerſonem, ſed alios etiam eius ętatis doctores, eos ceu manifeſtè erroneos, ſuſpectos, & ſacris literis contrarios notans. Neganda non eſt illorum temporum infœlicitas, vt & ſchiſmatis diuturnitas in Ecclеſia Romana, ſicuti nec his temporibus infœlicitas longè maior neganda eſt, cùm ab ipſa Ecçleſia tot Regna penitus abſceſſerint, vnde natum eſt in quibuſdam ſtudium id intenſiuè reſtituendi in paucis illis regionibus reſiduis, quod extenſiuè amiſſum eſt. Eam noſtrorum temporum infœlicitatem vocare poſſumus, cùm nullus ſit antiquę Eccleſię pater, tutus à cenſuris, & cùm audeant nonnulli dicere, eos ſi hoc tempore viuerent, quæ propoſuerunt non dicturos. Nec credendum eſt illorum temporum occaſiones induxiſſe magis ad fauendum authoritati conciliorum, quàm præſentes occaſiones ad eam deprimendam inducant, dum ſcilicet omnia Regna ab Eccleſia ſeiuncta concilium optant ac ſuſpirant.

Ac ſanè qui pro concilio loquitur, proprium compendium tangere non poteſt, cùm nullus ad hoc aſpirare queat, vt euadat concilium, ſed tantùm vt ſit quingenteſima eius pars: quamobrem maior eſt dubitandi occaſio ne horum temporum infelicitas ad exceſſum ferat, quàm pręteritorum infelicitas ad diminutionem. Bonus medendi ſchiſmati zelus, qualis, ex ipſa authoris cõfeſſione

Gerſonis fuit & aliorum eius ætatis, homines in peruerſam opinionem agere non ſolet, cùm proprio compendio careat, ſed malus propriã dignitatem ampliandi zelus, in cæcitatem deducendi periculum adfert. Hoc addam, notari vtcunque diuinam prouidentiam, quum ei tribuitur quòd permiſerit vt totum aliquod ſeculum à ſancto Eccleſiam vniendi zelo motum, in errorem manifeſtũ, ac diuinis literis contrarium laberetur. Multæ ſcientiæ ac pietatis viros, vt fatetur author Gerſonem, alióſque eius ætatis Doctores excellentiſſimos fuiſſe, non ſinit Deus labi in eiuſmodi errores: labi in errores manifeſtos, ſacris literis contrarios, peccatum eſt tam atrox & enorme, vt bona cum authoris venia, dicam eum qui in hoc labitur, ſcientiæ & pietatis ſcintillam non habere. Nulla maior cæcitas vlli Chriſtiano poteſt contingere, quàm errare manifeſtè contra ſcripturas, éſtque hoc ſumma pœna quam ei Deus infligat qui authoritate diuina, ob mundana compendia abutitur. Nimis expreſſa eſt & magna contradictio, cogi nempe multam Gerſonis ſcientiam ac pietatẽ fateri, ſimúlque dicere eundem in errores manifeſtos ſacris literis contrarios, lapſum eſſe.

Nondum eſt deciſum, vter meliùs de Sedis Apoſtolicæ authoritate ſentiat, Gerſon-ne, an author noſter: vt ita abſolutè pronunciet Gerſonis authoritatem in materia poteſtatis Pontificiæ, parui eſſe momenti: momentum vox eſt relatiua, & quod apud authorem parui eſt momenti, apud alios magni eſt momenti, & ſicubi valeat authoris opinio, in multò pluribus locis Gerſonis opinio in magno eſt pretio. Sed hoc mittamus: in omnibus

mnibus hiſce duodecim conſiderationibus, vnicũ duntaxat articulum accidentaliter propoſitum ſcit author reprehendere, reliquam doctrinam probare cogitur, & quamuis aut limitationibus, aut detorſionibus contrarium conetur oſtendere, tandẽ tamen eam probat. Quocirca non erat hoc caput de Concilij ſuperioritate ceu præcipuum ſtatuendum, cùm de hoc iam non agatur, cóque nullus vtatur, vt nẽpe ſua Sãctitas pro obiecto poneretur, quò Gerſonis defenſio, ipſius eſſe lęſio videretur.

Author dicit ſecuriores alios ſcriptores non defuiſſe, qui citari potuerint, & S. Thomam, S. Bonauenturam, S. Antoninum ſpeciatim nominat. Sed Gerſonis doctrina, quòd excommunicationes abuſiuæ & nullæ, timendæ non ſint: quòd eis non obedire, ſed aduerſus eas munire ſe oporteat: quòd in caſibus dubiis, conſiliũ ſumi debeat: quòd omnes ſimul in publicum bonum conſpirare debeant, doctrina eſt & S. Thomæ, & S. Bonauenturę, & S. Antonini, & ſexcentorum aliorum: at non tota eſt certo quodã loco, vt in paruulo tractatu, quemadmodum Gerſonis doctrina, videri poſſit. Qui ex his aliiſque ipſorum diſcipulis loca colligere voluerit, doctrinam(non de capite ad Concilij ſuperioritatem attinente, ſed de aliis loquor) modis omnibus Gerſonis doctrinę conſonam inueniet. Addam quidem quòd, ſi Author affirmarit ſe totam S. Bonauenturę doctrinam, qui tantę fuit ſanctitatis & eruditionis, admittere velle, oſtendã eidem loca quę ſint ipſum multò magis exagitatura, quàm Gerſon aliique eiuſdem ætatis: vocibus illis ſuſpecti & erronei, parcere quidem poterat, nec eas ei tribuere quę ipſe multę ſcientię ac pie-

tatis eſſe fatetur. Sed grauiorem aliam reprehenſionem audiamus.

5. Super alia omnia, digna eſt reprehenſione cauſa, qua impulſus eſt author Præfationis, vt trāſferret, & in lucē ſpargeret hos duos Gerſonis tractatus: nempe, ait ille, [vt conſcientia quælibet pia & religioſa, eos legendo ſe conſolari poſſit, cùm magnā illam pœnam nō incurrat, quā diuina maieſtas, reprobis ſolet immittere, vt ea timeant quæ timenda non ſunt. Trepidauerunt timore, vbi nō erat timor.] Ecce quò perueniat humana cæcitas, quæ verbis Dei vtitur, vt Dei timorē auferat. Pſalmi, 13. & 52. Regius Pſaltes ait, homines impios nō timere verum Deum, qui dignus eſt vt timeatur. Non eſt timor Dei ante oculos eorum: & è contrario falſos timere Deos, in quibus potentia nulla eſt, Illic trepidauerūt timore, vbi nō erat timor. Et modò nouus hic Doctor verba Pſaltis in contrario ſenſu vſurpat, vt perſuadeat Vicarium Chriſti non eſſe timendum, ac proinde nec Deū, quia ipſe ad Vicarios ſuos ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, Lucæ 10. Contrarius neotheologi huius verbis S. Gregorius, hic enim homil. 26. ſermonem habens de excōmunicatione, ait: Sententia paſtoris timenda eſt, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit. Hic autē ait, Qui timet ſententiā Paſtoris, quam ſibi perſuadet eſſe iniuſtam, cadit in pœnam reproborum, timentium vbi timendum non eſt. Neque malum quod ex hac doctrina oritur, hîc ſubſiſtit; ſed in dies ad extremā animæ internecionem ſerpit. Qui enim non timet cenſuras ſummi Pontificis, multò minùs timet cenſuras Epiſcopi, & qui decreta capitis Eccleſiæ ſpernit, nequaquam

quaquam religioni ducit quemlibet aliũ ordinẽ contẽnere.Hoc artificio Martinus Lutherus multis perſuaſit libertatem Chriſtianam in hoc conſiſtere,vt nempe quis habeat conſcientiam ſolutã, nec vereatur qualiacũque S.Eccleſiæ decreta tráſgredi:atq; hinc vidimus tot Religioſas Deóq;deuotas virgines,abſque vllo ſcrupulo ſepta monaſterij egredi,ſacrum habitum abiicere, connubia inire,tot etiam populos ſacras imagines conculcare,obliuiſci vigiliarum & feſtorum,neſcire amplius quid ſint Quadrageſima,Confeſſio, Veſperæ, Miſſa:ex hoc fonte demum non timendi amplius poteſtatem Vicarij Chriſti in terris,eò nonnullas prouincias deductas eſſe vidimus,vt ne veſtigium Religionis Chriſtianę in eiſdem ſuperſit.

Ab exclamatione,Authoris exemplo, nõ tamẽ maledica,ordiri poſſumus.Ecce quò perueniat cõfidentia potentium : tribuit alienæ culpę quod ab eadẽ potentia natũ eſt.Iam omnibus conſtat,& vbiq; perſonant hiſtorię, ſeparationẽ quę in Germania ante centũ annos cõtigit,nõ à ſubditorum inobedientia,ſed à poteſtatis in Prę ſulibus abuſu initium & originem habuiſſe.Notũ eſt eam ab illegitimis pecuniarũ extorſionibus,& ab inuſitatis Indulgẽtias concedendi modis ortũ duxiſſe: Deo confido prę ſentes motus cum reſidui huius corporis ſalute,non cũ mina terminatum iri:hi verò motus vnde,quæſo,ortũ habuerunt, niſi ab eo quod non ſufficere iudicatũ eſt, vt perexiguus hominũ numerus,qui,ſi attẽtè cõſideretur, vix mille ſunt, quarta fruatur bonorum parte huius dominij, quod quadrageſies centum millia hominum complectitur , vt nempe hac rationę ſeculares

omnes propriis bonis tandem ſpolientur? Sic etiã ab eo traxerunt originem, quod non viſum eſt concedi debere vt nonnulli, qui præter Eccleſiaſtici nomen nil habent, abſque iuſtitię timore, poſſent impunes lędere alios & in vita & in honore? Si quid mali contingeret, in quos culpa eſſet reiicienda? an fortè in alios quàm in eos, qui iudicia ab hinc annis 1200. exercitata, legéſque iam ante 300. annos, conditas innouare voluerunt? Nõ opus erat, quum inter Catholicos de cenſurę alicuius validitate, aut nullitate agitur, verba facere de Monaſteriis, Matrimoniis, Imaginibus, Vigiliis Quadrageſimis, Confeſſionibus, Veſperis, & Miſſis, vt cogerentur alij reſpondere, ac oſtendere vnde malum naſcatur: Longe ſatius erat in re manere, & cum charitate id tractare quod occurrit; non autem credere Mundum ita rudem eſſe, vt non agnoſcat an de re temporali aut de ſpirituali iam agatur. Sed expedit in pręſentiarum hoc mittere, ad cuius tractationem forte extra rem, author me impulit. Videamus quantum valeat obiectio quam facit Interpreti circa ſenſum verborum Pſalmi, inchoando ab authoris expoſitione, quam pro falſa non notabo, quin potiùs dicam eam illius tantùm verſiculi ratione, ſtare poſſe, & fortè ab alio quopiam interprete allatam eſſe: verùm integrum pſalmum perlegendo, videbit non literalem eſſe illam expoſitionem, & Interpretem eã in ſuo vero ac literali ſenſu & iuxta verbi diuini ſplendorem attuliſſe. Nam Pſalmi argumentum pathetica eſt querimonia Prophetę contra impium, aut, ſi mauis, Atheum, cum ſolatio quod

quod percipit ob pœnam de eo ſumptam, non verò contra eum qui falſos Deos timeat, idque ex ipſo initio patet, [Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus,] Iam vt verſiculus intelligitur: [Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor,] ſciendum eſt inuocationem Dei in ſacris literis ſæpe ſignificare per Synecdochen, agnitionem Dei, vnde ſenſus literalis eſt, illos non agnouiſſe verum Deum, & tamen ea timuiſſe quæ non erant timenda: hæc enim eſt pœna qua Deus punit impium, qui cùm ſibi videatur ab omni timore liber, ipſemet tamen in animo ſibi fingit varia & contradictoria phantaſmata, quæ apparentem metum pariunt. Ita viſi quidam antiquitus qui animæ immortalitatem negabant, & tamen de infamia poſt mortem ſuprà modum erant anxij: & alij, negata prouidentia, ob auguria tamen aliáſque imaginationes, miris modis angebantur. Hic eſt ſenſus literalis. Iam videamus an locus ille in hunc finem citatus fuerit: Sunt quidam, ait diuus Paulus, qui verbis fatentur ſe Deum cognoſcere, ſed factis eum negant: hi ſolutè viuentes, legem diuinam planè negligunt: multos homines occidunt, multa coniugia violabunt, nec horum ſcelerum pœnitentiâ vnquam afficientur: furabuntur quicquid ad ipſorum manus peruenerit, ſuáque omnia aliena dilapidabunt: ſed ad forum Eccleſiaſticum citati vt decimas ſoluant, & cùm eas ſoluere non valeant, excommunicati maiorem inde angorem ſentient quàm ex omnibus in Deum peccatis. Scimus Chriſtum Dominum noſtrum excommu-

nicationem pro remedio & pœna inſtituiſſe, eámque à peccato ſeiunctam, malum eſſe peccato quolibet veniali minus, nec vllus Theologus aliter ſentit: notum eſt etiam excommunicationem ob aliud quàm ob peccatum latam, & ab eo ſeiunctam, nullo modo animum Chriſtianam lædere. Quapropter de eo qui Dei præcepta tranſgredi non dubitabit, & eiuſmodi excommunicationem timebit, rectè quidem in literali Pſalmi ſenſu dicetur, [Trepidauit timore, vbi non erat timor:] non autem de eo qui vitam Chriſtianam ſibi proponens, ſolicitus erit de ſeruandis Dei præceptis, & eorum quibus obedientiam ſecundariò præſtari iuſſit in rebus ad ipſorum ſuperioritatem attinentibus: nimirùm Pontifici & Eccleſiaſticis in rebus ſpiritualibus: Principi in ciuilibus, Patri, & Domino in domeſticis & familiaribus (omnibus enim obedit, quia Deus id iubet, non ob aliam cauſam) verùm ſi ordinem hunc ſeruare deſinat, & diuina præcepta omnibus non anteponat, Deus pœnæ loco permittit, vt ipſius humeris intolerabilia præcepta imponantur, quibus non teneatur, eidémque vanæ pœnæ inhibeantur quas itidem ipſe magis timeat quàm veras quas Deus minatur, non ſecus ac infans qui flet ob minas pœnæ alicuius non veræ, ſed vanæ & apparentis, ſibi à matre propoſitas. Verùm ſi viuæ rationes aditum in authoris mentem non inuenerint, vt ipſi perſuadeant, locum Pſalmi, Trepidauerunt timore, rectè citatum fuiſſe ad hoc propoſitum, debebit cedere authoritati Nauarri, qui hunc citat contra eum qui timet excõmunicationes nullas, ſuper cap. cùm contin-

gat.

gat.Rom.2.nu.14.& nu.23.dicens,timere cenſuras nullas, eſſe Deum falſum pro vero colere: at dicit Author,eum qui Dei Vicarium nõ timet, Deum non timere, quia dicit ad ſuos Vicarios,[Qui vos audit, me audit.] Lucæ 10. Quaſi qui dicit ne fulmina illegitima timeantur,aſſerat Deũ non eſſe timendum,nec eiuſdem Vicarium,& is qui Deum vult timere, teneatur etiam Præſulum imprudentiæ ſubiacere,quibus poteſtatem non niſi cum prudentia iunctam Deus conceſſit.

Nec videtur ſapientiæ doctrinæq; tanti viri conueniens fuiſſe,Scripturam in ſenſu alieniſſimo,atq; etiam contrario citare:ipſum tamen non ſolùm illum locum, ſed totum caput legiſſe credo. Hîc nõ fit ſermo de Vicariis,nec de ſummis Pontificibus,ſed de Verbi diuini prędicationibus,qui ſi doctrinã Christi prædicauerint, qui eos audit,Chriſtum audit,qui eos ſpernit, Chriſtum ſpernit. Ita loquitur. D.Lucas c.10.ab Authore citato Chriſtũ elegiſſe alios 72.eóſq; binos miſiſſe,vt illi ſibi prę cederẽt quocunq; eſſet iturus:docuit illos quomodo pergere,& quid prædicare,quídve facere deberent,quando nõ exciperentur,nec audirẽtur:deinde ſubdit,[Qui vos audit,me audit.Hîc nõ ab eximij iudicij homine, ſed à quouis è vulgo locum videri cupio. Iam conſtat inter omnes ſcripturæ interpretes, Pontificem ſuccedere D.Petro,Epiſcopus Apoſtolis, Presbyteros ſeptuaginta duobus,de quo nunc non agitur,excepto quodChriſtus dicens ſeptuaginta duobus, [Qui vos audit,] tanquam Prædicator loquitur ad omnes Prædicatores poſſet author dicere, ergo inter hos erit etiam Pontifex, concedo, in prædicanda Chriſti

doctrina, ſed non improprio hoc loquendi modo, Chriſtus dicit Vicariis ſuis, [Qui vos audit, me audit: nam Prædicator iuriſdictionem cōactiuam ſibi non tribuit: ſi locus ille, [Qui vos audit,] ſolus eſſet, nec cum antecedentibus & conſequentibus coniunctus, quæ de ſeptuaginta duobus, ceu Prædicatoribus accipiendum illum eſſe denotant, non careret omni probabilitate, quam etiam retinet, ſi ſolus legatur: ſed ſcriptura diuina, tota vult legi, non ſeiunctim per loca.

Nec quod ait diuus Gregorius, Sententia paſtoris, etiam iniuſta, timenda eſt, ei repugnat quod Gerſonis Interpres ſequitur. Dicens enim diuus Gregorius, ſententia Paſtoris, etiam iniuſta, ponit ſententiam eſſe; quòd ſi ſententia non ſit, non eſt ſententia iniuſta, ſed nec ſententia: cuiuſmodi erit laici in cauſis Eccleſiaſticis ſententia, & Eccleſiaſtici in cauſis laicis: verùm ſententia iniuſta timenda eſt quando bona intentio deeſt, vel quando falſa in facto elogia interueniunt: tunc enim ſententiam & timere & ſeruare oportet: ſed quum errorem continet intolerabilem, non inſolenter contemni, vt ſuo loco dicemus, ſed cum reuerentia non admitti debet. Tritam hanc doctrinam author diſſimulauit, nec plura ipſi dicenda forent, ſed alicui ſcriptum hoc lecturo duos Canones adferam, alterum ſancti Leonis primi Pontificis Sanctiſſimi, qui S. Gregorium per viginti Pontificatus præceſſit, dicit ille, [Manet ergo Petri priuilegium vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium, nec nimia eſt, vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod Beatus Petrus aut ſoluerit, aut li-

gauerit:]& S. Gelaſius anteceſſor S. Gregorij per quindecim Pontificatus, ait (verba Latina proferam, ne quid notet in Interpretatione) [Cui eſt illata ſententia, deponat errorem, & vacua eſt: ſed ſi iniuſta eſt, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum, & Eccleſiam eius neminem poteſt grauare iniqua ſententia: ita ergo ea ſe non abſolui deſideret, qua ſe nullatenus perſpicit obligatum.]

Verba deinde quæ ſubdit author, dicens hanc doctrinam, eò vſque creſcere vt contemnat Miſſas, Veſperas, Confeſſiones, Feſtos dies, Vigilias &c. peculiare reſponſum non merentur, ſiquidem reſiſtentia quam prædicto præcepto facit Reſpublica, aliò non tendit, quàm vt Miſſas conſeruet, Veſperas, Feſtos dies, Vigilias, quibus aliquis eam priuare vellet, totum ſuum Dominium in pernicioſæ cuiuſpiam opinionis imbuendæ periculum coniiciens. Alij dicunt, Regnum aliquod præterito ſeculo, ſanæ doctrinæ iacturam feciſſe ob Eccleſiaſticorum ſcandala, idque celeberrimi ac veriſſimi hiſtorici referunt: & niſi hoc tempore Reſp. ob pietatẽ ſuam diligens eſſet in Religione conſeruanda, & ſi occuparetur in exequendis Pontificis verbis (mentem non dico: hanc enim optimam eſſe credo) maximo præcipitio ad nihilum redigeretur. Nondum iſti experti ſunt quanti ſit momenti hoc ſeculo auferre populo ſanctæ Religionis exercitium: hæreſes anno 1300. natæ, & hodie ad ſummum euectæ, aliunde ortum non duxerunt quàm ab innumeris excommunicationibus & interdictis, quæ cœperunt ferri

anno 1200. ac toto illo ſeculo viguerunt. Qui omnium illorũ annorũ hiſtorias leget, lacrymas continere non poterit, tantam ſpiritualẽ ſtragem legendo. Ad ſextam obiectionem, Dei gratia, peruenimus, vbi Author dicit:

6. Tandem cùm Authori huius Præfationis nõn ſufficeret abuſum fuiſſe loco Teſtamenti Veteris, abutitur etiam Nouo, dùm ait: [Sed iuxta Apoſtolum, corroborati in Domino, & in virtutis ſuæ potentia, fidei clypeum arripient, vt opponãt illud temerariis fulminibus, & gladium etiam Spiritus accipient, quod eſt verbum Dei:] Non potuit Lutherus aut Caluinus magis apertè verbis Dei abuti contra Deum. Loquitur Apoſtolus in epiſt. ad Epheſ. cap. vltimo, de reſiſtentia, qua fideles infernali dæmonio reluctari debent: Vt poſſitis ſtare contra inſidias Diaboli: & paulò poſt, In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Sic etiam Petrus, cui reſiſtite fortes in fide. Et S. Iacobus, Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Hic vero Neotheologus applicat hãc reſiſtẽtiam ad cenſuras ſummi Pontificis, ac ſi Apoſtolus loco eius, Armate vos fide & verbo Dei ad reſiſtendum diabolo, dixiſſet, Armate vos fide & verbo Dei, ad reſiſtendũ Deo in ſuo Vicario. Et quæ hæc fides eſt, aut quod verbũ Dei, quod nos docet Vicario Dei reſiſtere? quin potiùs, quæ eſt fides, quod verbũ Dei quod nõ doceat nos obedire & ſubiectos eſſe oportere Eccleſiæ S. Antiſtibus? An non ait Paulus in epiſt. ad Hebræos, Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Nunquid Chriſtus ipſe ſic iu-

ſic iubet, Matth. 18. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus?

Author ſanè verba D. Pauli adfert in ſuo vero ſenſu, non tamen ei contrario quem Gerſonis Interpres attulit: dixit in genere D. Paulus, contra inſidias Diaboli: vnam ex inſidiis Diaboli, intelligit Interpres eſſe fulmina temeraria: eſſétque contradictio fulmina temeraria vocare, & quæ à Diabolo non manent: ait D. Iohannes, [Omnis qui facit peccatum ex Diabolo eſt.] Et exiſtimo valdè Catholicam & ſanctam eſſe hanc propoſitionem, Excommunicatio in eum intorta qui benè operatur, ac Dei præceptis obedit, à Dæmonis perſuaſione ortum trahit, éſtque inſidiarum ſpecies qua vtitur contra fideles. Nouit author, non eſſe nobis cum diabolo pugnandum carnaliter: quicquid in ruinam tendit Spiritualis Eccleſiæ ſtatus, quod Regnum eſt Chriſti, eſt opera Diaboli, & ſi occulta ſit, inſidiæ vocantur: & operum omnium in Eccleſiæ detrimentum, à quocunque fiant, Scriptura diabolum authorem facit, vt reuera eſt, quamuis ipſemet ea non exequatur: multarum Eccleſiarum ruina, & aliarum deformatio propter fulmina temeraria, teſtantur dæmonem gregi Chriſti etiam cum iis inſidiari, quæ ad eius conſeruationem Chriſtus inſtituit: quum D. Paulus Theſſalonicenſibus dicit dæmonem ſæpiùs obſtetiſſe quominùs ad ipſos iret, non intelligitur hoc aliter factum eſſe, quàm humanis mediis. Vtitur dæmon in hunc finem omni genere hominum, & ſæpe non malignorum, ſed deceptorum, quíque benè facere putantes, zelo præpoſtero prauam ipſius intentionem exequuntur, ac

diuina ſcriptura nos expreſſe monet eſſe hæc dæmonis opera. Legimus apud D. Matthæum, poſtquam D. Petrus Dominum eſſe Dei filium dixiſſet, ipſeque Petro claues Regni cælorum promiſiſſet, ac Dominus iniunxiſſet diſcipulis, ne vlli patefacerent ſe Chriſtum eſſe, quia oportebat pateretur ac moreretur Ieroſolymis, tunc D. Petrum reprehendiſſe ipſum, his verbis, [Abſit à te Domine, non erit hoc tibi:] ſed Dominum ad Petrum conuerſum, ei dixiſſe, [Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea quæ ſunt Dei, ſed ea quę ſunt hominum.] Quis dubitat, quin zelus D. Petri eſſet cum bona mente? quin ex bono affectu naſceretur? quia tamen, quantum in ſe erat, opus Redemptionis impediebat, & ædificationem Eccleſię, quæ à Chriſti latere in cruce adaperto prouentura erat, Chriſtus eum Satanam vocauit. Si igitur D. Petrus, id non præuidens, nec animaduertens, rem tractabat bona mente, in minam Eccleſiæ, non inconueniens eſt vt aliquis Petri ſucceſſor, non ſatis inſtructus tentet rem, credendo bene facere, quàm alij, qui ſunt in facto proprio, quique melius ipſo cognoſcunt quod controuertitur, clarè videant in perniciem Eccleſię ceſſuram. Author in doctrina eſt excellentiſſimus, & in perſuadenda efficaciſſimus, nihilominùs mihi nunquam, nec fortè vlli hoc lecturo perſuaſerit, hominem quemlibet mortalem, cuiuſcunque fuerit dignitatis, non poſſe aliquando aut propria voluntate, aut humana infirmitate, opem ferre, etiam abſque praua intentione, prauo cuipiam Dæmonis
conſilio:

concilio:& ab hoc neminem eximere tentet, quin eum priùs exemerit ab hac prece, Et ne nos in tentationem.

Author petit quænam ſit ea fides quæ docet reſiſtere Dei Vicario: reſpondeo fidem eſſe Dom. Cardinalis Bellarmini, qui formaliter ſic loquitur: [Itaque ſicut licet reſiſtere Pontifici inuadenti corpus, ita licet reſiſtere inuadenti animas, vel turbanti Rempublicam, & multò magis ſi Eccleſiam deſtruere niteretur: licet inquam ei reſiſtere, non faciendo quod iubet, & impediendo ne exequatur voluntatem ſuam.] Hîc igitur iuxta verbum Dei, Epheſ. vltimo, agitur de reſiſtēdo dæmoni,] quem Deus occultiſſimis iuſtiſſimíſq; ſuis iudiciis & Arcanis, cōtra S. Eccleſię quietē machinari permittit.

Adfert author illud D. Pauli ad Hebræos, [Obedite prępoſitis veſtris, & ſubiacete eis,] quod factum gaudeo, primò quia non eſt hoc peculiare ſummo Pontifici, ſed Epiſcopis & Parochis omnibus competit, ac proinde nil de Pontifice ſpeciatim probat. Sed totus locus D. Pauli eſt adferendus, [Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri,] vel vt Gręcus textus habet, Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, inuigilant enim animabus veſtris, tāquam pro his rationem reddituri. Quatenus præpoſiti inuigilant animabus, eatenus ipſis obediendum eſt perinde ac ſi diceretur, eis obediendum in rebus ſpiritualibus quæ ad animæ ſalutem attinent: & quoniam author adducit illud, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus; ſcimus Eccleſiam, vt ait D. Paulus, eſſe colum-

nam & baſim veritatis, nec vnquam aliud edoctu-ram, quàm Chriſti doctrinam, nec pręcepta da-turam niſi iuxta eam: ſed Eccleſiam id iubentem quod author dicit, non audiuimus: ecce ſophiſ-ma noſtrum quod è pluribus nominis Eccleſiæ ſignificatis naſcitur. In hoc ipſo loco, multi au-thores vertunt hęc verba, [dic Eccleſiæ, id eſt, Pręlatis Eccleſię:] nemo autem hoc de ſolo Pon-tifice intelligit, ergo de ipſo vt & de aliis Prę-latis eſt accipiendum, non verò ſpeciatim, ſeruato tamen vnicuique gradu & loco ſuo, & intel-ligetur, ſi Eccleſiam non audierit, quum de ex-communicationis miniſterio loquentur, iuxta Ec-cleſiæ doctrinam. Iam verò notum eſt Reipu-blicæ Venetæ iura eſſe iuxta doctrinam Eccleſię, cùm eodem modo ſit in vſu in Regnis omnibus Chriſtianis.

Hic ſcire cupio cur in illo Euãgelio quod legitur feria 3. poſt primam Dominicam quadrageſimæ, vbi erat ſcriptum in Meſſali: [Reſpiciens Ieſus in diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro, ſi peccauerit, &c.] in Miſſalibus editis à paucis ab hinc annis, ea verba detraxerint. Scio non extare illa in libris Teſtamenti noui: ſed multa alia quæ ſunt in Miſſali, non autem in libris noui Teſtamenti, dicuntur ex traditione Apoſtolica prouenire: & aliquis dicet, quamuis id Euangeliſta non ad-ferat, ex traditione tamen eſſe, quòd ea verba Pe-tro dicta fuerint: excogitanda erit diſtinctio, qua diſcrimen oſtendatur huius ab aliis, quod licet factum eſſet, non obſtabit quin per mul-ta annorum centena ita lectum ſit, ac proinde creditum à fidelibus per tot ſecula, dictum fuiſ-

ſe

ſe Petro, Dic Eccleſiæ: atque ideò homonymia vti oporteret in Eccleſiæ nomine, & interpretari dic tibi ipſi. Senſus etiam erit valdè coactus, ſi per Eccleſiam intelligatur ſola quædam perſona, non tam quia vox id non patitur, quàm quia Chriſtus ipſe interpretationem adferens in verbis immediatè ſequentibus, dixit: vbi fuerint duo vel tres &c. adeò vt apertè declarauerit ſe per Eccleſiam intelligere conuentum duorum ſaltem aut trium in ſuo nomine congregatorum: ſed de hoc, quia adfertur ad exponendum D. Chryſoſtomum, inferiùs loquemur, quum de eo etiam fuſiùs author aget, oſtendente D. Chryſoſtomum ipſi non fauere, ſed aduerſari. Abſoluat modò author tantoperè angi ob exiguam illam præfationem, cùm fortaſſe tanto labori parcere præſtitiſſet, operam verò & tempus in cauſæ ſubſtantia collocare.

Verùm tempus eſt vt ad conſiderationes Gerſonis ipſius accedamus, demonſtremúſque manifeſtè, eas aut nihil ad negotium præſens facere, aut erroneas eſſe.

Hîc antequàm ad particularem defenſionem Gerſonis tranſeam, pios lectores monêre debeo, authorem, ſiue arte & conſilio quodam, ſiue alio quopiam fiue, ſemper repetere, tam in iis quæ vidimus, quàm in ſequentibus, ac Reipublicę tribuere, quòd nolit agnoſcere, nolit obedire, quòd contemnat ſummum Pontificem Chriſti vicarium, & conſimilibus aliis loquendi modis vti, aptis ad conciliandum inuidiam, & maleuolentiam apud vnumquemque qui exploratam

non habuerit pręſentem controuerſiam, iuſtámque Reipublicę cauſam quod vt faciliùs etiam obtineri poſſit, videmus prohiberi, quantũ fieri poteſt, ne ipſius Reipublicæ iura cognoſcantur: quod tamen omni diuinæ & humanę rationi aduerſatur.

Ad hoc dicam ſemel, cùm author contrà, tot repetitionibus vtatur, hoc non eſſe, pręſens negotium ſyncerè tractare. Nam Reſpublica Veneta agnoſcit, & obedit, vt ſemper hactenus, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ: nec vllam nouitatem introducit: imò cum omni pietate & Religione conſeruat ac defendit Sanctam fidem Catholicam, cui humana omnia poſtponit: verùm in cauſis tantùm temporalibus, vbi Pontifex manifeſtè, vel quòd non ſit inſtructus, vel ob aliena conſilia, aliámve ob cauſam, Cenſuras intorquet contra iuſtitiam: ipſa cupit ac nititur intra Catholicę Religionis terminos, ſuam libertatem ac poteſtatem ſibi à Deo cõceſſam defendere, iuxta Dei & Naturæ leges, & iuxta doctrinam piorum & Catholicorum Doctorum.

Sed an Gerſonis conſiderationes ad rem faciant, nec-ne, vel an ſint erroneę, nec-ne, ſigillatim videbimus, prout author occaſionem dederit.

1. Prima conſideratio eſt, irregularitatem & excommunicationem principaliter inuiti contẽptui clauium Eccleſię, hoc eſt, poteſtatis Eccleſiaſticæ. Hęc conſideratio vera eſt, ſi per contemptum intelligatur inobedientia, vel vt rectiùs dicatur, contumacia, nec eſt contraria facto ſanctiſſimi Domini noſtri.

2. Secunda

2.Secunda conſideratio eſt, Contemptum clauium poſſe interuenire tribus modis, directè, indirectè,aut apparenter. Ita dicit interpres parùm fidelis:Gerſon enim non declarat tertium modũ verbo apparenter, ſed verbo interpretatiuè: quæ verba ferè contraria ſunt:apparens enim illud eſt quod apparet & non eſt, interpretatiuum quod non apparet,& eſt. Sed parùm facit hic error ad negotium de quo hic ſermo eſt.

Primam conſiderationem quia ipſe approbat, eam vt defendam aut aliud addam non opus eſt.

Secundam itidem conſiderationem, ceu veram admittit,nec Gerſonem,ſed interpretationem reprehendit:ac interpretem ſibi propter documentum allatum valdè deuinxiſſet,niſi homonymia rẽ totam confudiſſet. Verum eſt hanc vocem interpretatiuè,dici interdum de eo quod eſt, & nõ apparet,túncque idem valet quod tacitè, ac denotat quod non eſt manifeſtum,ſed eget interpretatione,nec voci, verè;ſed voci,expreſsè,opponitur:in hoc ſenſu dicitur,licentia interpretatiua,id eſt, tacita,non expreſſa:aliàs verò eadem vox de eo dicitur,quod apparet,& non eſt,vt ſi dicatur non ſalutare interpretatiuè,eſſe contemptum,id eſt, videri contemptum,quamuis fortè non ſit, & hoc modo interpretatiuè, opponitur voci verè. Neſcio quem Gerſonis textum habuerit Interpres, ſed in meo edito anno 1494. ſub finem huius conſiderationis hæc habentur formalia verba, [& iſto modo reperitur cõtemptus in omni peccato, pręſertim mortali,directè,vel indirectè, verè,vel interpretatiuè] Si igitur verè, opponitur, interpretatiuè, non poteſt interpretatiuum eſſe quod

non apparet,ſed eſt,vt ait Author: nam quod non apparet,ſed eſt, in ſeipſo verum eſt. Et quamuis hoc ad fidem & integritatem declarandam ſuffi-ciat,addam tamen Gerſonem dicere in tertia conſideratione, contemptum tertiæ ſpeciei, qui eſt interpretatiuus,non ſemper excommunicationem Eccleſiæ mereri:ſi non ſemper excommunicationem meretur, eam igitur aliquando meretur, ſed quod eſt,& non apparet,nullo modo cenſuris Eccleſiæ poteſt eſſe obnoxium, vt affirmant Theologi & Canoniſtæ omnes, ergo interpretatiuum non eſt illud quod non apparet,& eſt. Credo equidem his Authori ſatisfactum eſſe, ac proinde ſolutam eſſe malę fidei obiectionem ab ipſo factā Interpreti: quam dum in Authoris proemio legerem, exiſtimabam viſurum me in progreſſu multa loca,quæ malæ fidei arguerentur. ſed poſtquàm totum perlegi,aliud non inueni quàm hoc ſolum nomen, cum additione hac: ſed parùm facit hic error ad negotium de quo hîc ſermo eſt: miratus ſum quidem redargui quempiam malæ fidei, propter vocem quæ parui ſit momenti, & in qua notanda peccatum ſit homonymiā,quę in eo ipſo loco à Gerſone declaratur:

3. Tertia conſideratio eſt,contemptum clauium primo & ſecundo modo rationabiliter mereri excommunicationem, ac proinde irregularitatem: tertio verò modo non ſemper Eccleſiæ, ſed Dei quidem excommunicationem mereri, qui enim lethaliter peccat,à Deo excommunicatus eſt. In hac conſideratione mali nihil continetur, quàm in vltimis verbis: nam propriè loquendo de excommunicatione,non verum eſt eum qui lethaliter

liter peccat,à Deo excommunicatum eſſe : aliàs enim peccatores abſque nouo peccato non poſſent intereſſe Miſſæ,aut aliis diuinis officiis, quod falſum eſſe omnibus conſtat.

In tertia conſideratione videre eſt immodicum reprehendendi appetitum non minùs alio quouis affectu homines tranſuerſos agere : non enim reprehendit quod Gerſon hîc concludit, imò totũ pro vero admittit:ſed verbo cuidam per accidens dicto adhęrens eum reprehendit quòd malè loquutus ſit,quia dixerit eum qui lethaliter peccat, à Deo excommunicatum eſſe: & ait non verum hoc eſſe, propriè loquendo de excommunicatione,aliàs non poſſent peccatores abſque nouo peccato intereſſe Miſſæ. At reſpondeo proprie dici omnem peccatorem eſſe à Deo excommunicatum,nam excommunicatio nomen eſt genericũ, quod omnem Communionis priuationem ſignificat:ſed duæ ſunt Chriſtianorum communiones, altera interior in charitate cum Deo & Sanctis,& hæc eſt Communio propria, ideóque priuatio eius eſt excommunicatio propria: altera Communio eſt inter membra Eccleſię militantis; quę neceſſariò charitatem non requirit, atque huic cõmunioni opponitur excommunicatio, quę Cenſura eſt Eccleſiaſtica:& iuxta hanc, omnis peccator non eſt excommunicatus, ac ideò Miſſæ poteſt intereſſe,quod neceſſariò charitatem non requirit: non dixit Gerſon excommunicatum eſſe excommunicatione cenſuræ Eccleſiaſticę: D. Auguſtinus 12.Geneſ.ad literam,cap.40.dixit,[Adã ab eſu ligni vitę excõmunicatus fuit, & Gratianus 11.quęſt.3.poſt.c.ad mẽſam dicit:ſcilicet & Adã ab

eſt ligni vitæ excommunicatus eſt:] & poſt cap. [non ſolùm,]dicit: [quare ex reatu adulterij iamdiu apud Deum excommunicatus fuerat :]quod formaliter eſt iuxta Gerſonis verba. Sed prætereà, quomodo Græcè dicitur excommunicatio, niſi anathema? imò noſtri excommunicationem maiorem ab anathemate non diſtinguunt: & D. Paulus dicit, [Cupiebam anathema eſſe à Chriſto,]& alibi,[Si quis nõ amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,ſit Anathema.]Iam igitur qui D. paulu volet reprehendere, dicat ipſum impropriè loqui: ſiquidem omnis peccator quia non amat Dominũ Ieſum, eſt anathema: túncque licebit dicere Gerſonem malè loquutum eſſe:non oportebat, quamuis aliqua improprietas adfuiſſet, vero Gerſonis ſenſu percepto, qui de excommunicatione quæ eſt cenſura Eccleſiaſtica, non loquebatur, nullóque in re ipſa exiſtente diſſidio, verbis vim inferre in rebus hiſce nullius momenti. Atque hoc mihi ſuffeciſſet: verùm ex D. Auguſtini, Gratiani, & D. Pauli citatione, oſtendere volui authorẽ id ipſum reprehendere quod in Gerſone laudandum erat.

4. Quarta conſideratio eſt, contemptum clauiũ neutro modorum prædictorum dicendum eſſe interuenire, quando manifeſtè & notoriè Prælatus abutitur poteſtate clauium. Hęc conſideratio eſt vera de abuſu clauium in re eſſentiali, qualis eſſet, ſi Prælatus poteſtatem ſuam excederet, aut non præmiſſa admonitione vlla excommunicaret, aut pręciperet ſub pœna excommunicationis, res diuino pręcepto contrarias. Tunc enim cum D. Petro dicendum eſſet, [Obediendum eſt magis Deo quàm hominibus,] Actor. 5. Sed licet vera ſit

doctri-

doctrina Gerſonis, nihilominùs Interpretis ſcopus multùm eſſe poteſt venenoſus, quia fortè perſuadere vult hominibus vt credant, excommunicationem latam à ſanctiſſimo domino noſtro, abuſum eſſe notorium clauium, cùm è contrario legitimus & ſanctiſſimus ſit, vt clarè demonſtrari poſſet, ſi de hoc agendum foret.

Hæc conſideratio ab Authore admitti poterat, ſiquidem nihil habet quod in ea notet: limitatio quam affert, quòd abuſus clauium manifeſtus & notorius, fidelem à contemptu vindicet, dicendo id verum eſſe ſi abuſus ſit in re eſſentiali, ſuperflua eſt: quis enim vult dubitare ſic intelligendum eſſe? Vox ipſa, abuſus, ſignificat: quum verò addit author, Sed licèt vera ſit doctrina Gerſonis, nihilominùs Interpretis ſcopus multùm eſſe poteſt venenoſus.

Hoc ſanè eſt aduerſus vmbras pugnare, ſcilicet rebus tantùm poſſibilibus ſeſe opponere, ac ſolis duci coniecturis. Eſtne hoc D. Pauli præceptum de non iudicando proximo, donec ipſe Dominus cordis arcana reuelet? éſtne hæc ea charitas quæ non cogitat malum? Doctrina Gerſonis bona eſt: Interpres eam non applicat, non vlterius loquitur, nil addit de ſuo: interim tamen dicitur Interpretis ſcopum multùm venenoſum eſſe poſſe: quum adfuiſſet vox aliqua, quæ in dextram aut ſiniſtram partem inflecti potuiſſet, Chriſtianæ charitatis erat eam in bonam partem interpretari: ſed excogitare quod poteſt eſſe, vt quis accuſetur ac notetur, officij limites excedit. Scopum venenoſum quem habere poteſt Interpres, declarat, quum ait, velle ipſum fortè vt

homines credant excommunicationem à Domino noſtro latam, notorium eſſe clauium abuſum, cùm è contrario vſus legitimus & ſanctiſſimus ſit, vt clarè demonſtrari poſſet, ſi de hoc agendum foret.

Neſcio qua de re agatur: ſcio tamen de hoc agendum eſſe, tanquam de eo quod in cõtrouerſia, quódque litem terminaret, quæ ſine hoc teminari nequit. Immò vellem de hoc author egiſſet, aliáque omnia ceu parùm ad rem facientia, ſepoſuiſſet.

5. Quinta conſideratio eſt, Prælatum abutentem poteſtate clauium, magis ſpernere claues, & grauiùs peccare, quàm ſubditum non obedientem ſuo Prælato, atque hinc colligi, opus quandoque meritorium eſſe in eiuſmodi negotiis Prelato in faciem reſiſtere, vt Paulus S. Petro reſiſtit. In hac conſideratione multa dicenda eſſent, ſed quia ad rem noſtram faciunt, duo tantùm dicemus. Primum eſt, doctrinam Gerſonis parum ſecuram videri, vt enim relinquantur comparationes, quæ ſecundum varias circumſtantias variari poſſunt, ex quibus oriri poteſt, vt modò Prelatus malè ſua poteſtate vtens, modò ſubditus non obediens peccat, ſi conſideretur ſolùm, ipſum malè vti poteſtate, & ipſum non obedire poteſtati; grauior noxa eſt obedire nolle, quàm vti malè poteſtate: qui enim abutitur poteſtate, facit peccatum iniuſtitię, & hominem ſibi ſubditum offendit: qui autem obedire non vult Prælato iuſtè præcipienti, & eius excommunicationem ſpernit, peccatum rebellionis committit, & in ipſo Vicario diuinam Maieſtatem offendit. Ita enim dicit

Chri-

Chriſtus Qui vos ſpernit,me ſpernit,Lucæ 10.& Apoſtolus 1.ad Theſſal.c.4. Qui hæc ſpernit,non hominem ſpernit,ſed Deum. Et hic contemptus Dei in perſona Vicarij à Samuele Propheta l. 1. Regum c.15.ſpecies quædã idololatrię appellatur.

Ad hoc quòd multa dicenda eſſent, nec ab authore dictaſunt, reſpondere non poſſum, nec vti coniecturis ac temerario iudicio peccare debeo. Duo opponit: primum eſt doctrinam Gerſonis parùm ſecuram videri, nam ſecundum varias circumſtantias fieri poteſt,vt modò plus peccet Prę-latus ſua poteſtate abutens, modò ſubditus non obediens.

Nunquam author inueniet vllum Theologum, qui quum inter duo peccata comparationem inſtituit,maius quærat ex circunſtantiis, ſed duntaxat ex genere: cõſideratio ex circumſtantiis eſt infinita, & nullus ſapiens philoſophatur ſuper eo quod infinitè variari poteſt: & D. Thomas 2.2.q. 39.art.2.formaliter ait.[Dicendum quod grauitas peccati dupliciter poteſt cõſiderari,vno modo ſecundum ſuam ſpeciem, alio modo ſecundum circumſtantias.Et quia circumſtantię peculiares ſunt infinitæ, ita & infinitis modis variari poſſunt, cùm quæritur in communi de duobus peccatis, quod ſit grauius, intelligenda eſt quæſtio de grauitate, quæ attenditur ſecundum genus peccati.] Hęc propoſitio veriſſima eſt &maximè formalis: homicidiũ peius eſt furto:poterit tamen homicidium circũſtantias habere tam alleuantes, furtum verò tam aggrauantes,vt furtũ euadat maius: qui doctrinã authoris pro vera ſequeretur, difficulter poſſet inter duo peccata comparationẽ inſtituere.

Præterea Gerſon ipſe declarauit ſibi non propoſitum eſſe comparare ex circumſtantiis,ſed ex genere,quum ait,comparationem faciendo ex abuſu tantùm: Author proculdubio verba hæc non animaduertit: non enim obiectionem ſuam propoſuiſſet. Egreditur ipſe demum & contrarium affirmat, dicens, ſi in ſe hæc conſiderentur, abuſus poteſtatis, & inobedientia poteſtati, grauius eſſe peccatum obedire nolle, quàm abuti poteſtate.

Et rationem adfert,qui enim abutitur poteſtate, hominem ſibi ſubditum offendit: qui autem obedire non vult Prælato iuſtè præcipienti, & eius excommunicationem ſpernit,peccatum rebellionis committit, ac in ſuo Vicario diuinam Maieſtatem offendit, nam qui vos ſpernit, me ſpernit &c. Et qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum:& Samuel hunc Dei contemptum in ſuo Vicario,ſpeciem Idololatriæ appellat. Hîc duos authores oppoſitos habemus,alterum à prauis affectibus, liberum, cùm obdormiuerit in Domino iam ante 150 annos,alterum qui etiamnum viuit, & qui ex hac controuerſia compendium quærit.

Videamus igitur vtriuſq;, & primùm authoris rationes. Verba [qui vos ſpernit, me ſpernit] ſuperiùs oſtendimus dicta eſſe Prædicatoribus, qui doctrinam Chriſti annuntiant: Lector locum videat, & planè diſcet quomodo id intelligatur: ſed annectat illud quod iudicij die Chriſtus dicet reprobis, [Quandiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.] Vnde ſcripturæ etiam authoritate oſtenditur Chriſtum injuriam ſibi fa-

ctá reputare, eam quæ ſit vnicuiq; fideli:hoc verò Domini dictū in Euangelio, Quādiu non feciſtis, nō citatus eſt extra ſenſum ſuū literalem:eſt enim charitatis opus, admonitio & correctio,vt è contrario, cum auſteritate imperare, & cum potentia, eſt contra charitatem. Illud diui Pauli, [Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, videre non poſſum quomodo ad rem faciat:quum D. Paulus ait,[Qui hæc ſpernit,] loquitur de rebus à ſe dictis, & ideò qua ratione poteſt hoc applicari præceptis Prælati? Rogat D.Paulus Theſſalonicenſes, vt operentur & progreſſum faciant iuxta Dei præcepta: ſcitis, inquit, quæ præcepta Chriſti nomine vobis dederim,eáque recenſet,vt ſint mundi,vitent fornicationem,ac fraudem proximi,& ita concludit, [Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit,ſed Deum,qui etiā dedit Spiritum ſanctum in nobis:]Vnuſquique ex verbis D.Pauli manifeſtè intelliget ipſum ſignificare hoc voluiſſe, Deus hæc præcepit,& ego ipſius præcepta declaraui, qui ea ſpernit, Deum ſpernit, qui Spiritum ſanctum mihi dedit, vt præcepta illa vobis declararem: hoc iam rebus noſtris applicemus, etiamſi applicatio hîc non ſcribatur & concludamus, Pontificem, quum Dei præcepta ſignificabit, poſſe adiungere, Qui hæc ſpernit,non hominem ſpernit, ſed Deum. At ſanè aliquem huius ſeculi cum diuo Paulo comparare, & hominis cuiuſlibet decretum, cum ſcriptura Canonica, neſcio quàm æquum piæ conſcientiæ id iudicaturæ ſint: poterat diuus Paulus ſcripturam Canonicam ſcribens, ac certum exploratúmque ha-

bens, Deum ſibi adeſſe in particulari illo negotio, ne vel minimum errorem committere poſſet, liberè dicere, [Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: ſed alius qui certò ſciet Spiritum ſanctum ſibi adeſſe, niſi quum determinat materiam de fide ex Cathedra, non poterit de aliquo ſuo decreto, extra materiam de fide, liberè dicere, Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum. Magna eſt etiam animoſitas ſupradictæ ſimilis, huc adferre Samuelis dictum, 1. Regum 15. [Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ nolle acquieſcere.] Samuel vt Propheta, Sauli iuxta expreſſum Diuinum præceptum iniunxerat, ne Amalechitarum vllum in viuis relinqueret, & omnia quoque ipſorum animantia occideret: Saul Regem Agag exemit, & armenta pro ſacrificiis: dixit Samuel, Deum malle vt obediretur ipſius præcepto, quàm ſibi offerrentur ſacrificia, & eſſe quaſi peccatum Idololatriæ, diuino præcepto non acquieſcere. Audebitne iam author noſter præceptum humanum erroribus obnoxium, cum expreſſo præcepto diuino conferre, quod Canonicæ eſt authoritatis? Si adeſſet hîc aliquis authoritate Prophetæ & ſcriptoris Canonici munitus, qui Dei nomine quippiam diceret, eſſet quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere: ſed non ferunt aures piæ, res hoc modo diuinis æquiparari. Periculoſum eſt hominem aliquem æquare. Deo debitam Præſulibus obedientiam perſuadere, ſanctum eſt: eam extra ſuos terminos extendere, & ſcripturis canonicis æquare,

quare,

quare, & eandem potiùs deprimit quàm extollat. Quis hîc poterit non valdè mirari? Samuel annis plus 1100. ante quàm vllus eſſet Papa, dicit, non obedire expreſſo Dei præcepto per os ſuum Propheticum dato, eſſe quaſi Idololatriam: & author noſter ait, Dei contemptum in ipſius Vicario, vocari à Samuele Propheta, 1. Regum, 15. ſpeciem Idololatriæ.)

Non negabit author diuum Petrum fuiſſe primum Dei Vicarium: Deum in Veteri Teſtamento Vicarium non habuiſſe: Prophetę authoritatem in veteri Teſtamento, etiam in rebus minimis, erroris expertem fuiſſe: Chriſti Vicarium in Nouo Teſtamento errare poſſe, exceptis rebus de fide, ac de moribus in genere, ex Cathedra: igitur quî poteſt author dicere abſque noſtri ſubſannatione, Samuelem Prophetam vocare hunc Dei contemptum in ipſius Vicario, ſpeciem idololatriæ? Inter tot res graues, ad leuem aliquam trahor. Interpretatur hîc author noſter, [Quaſi ſcelus idololatrię,] Speciem idololatriæ, ac ſi quis ita inferret, nonaginta nouem ſunt quaſi centum, ergo nonaginta nouem ſunt ſpecies centum.

Hoc ſanè non dixiſſem, niſi ipſe vbi non opus eſt, rigidum nimis cenſorem ſe exhiberet aduerſus Gerſonis Interpretem: ſed ad ſenſum reuertamur. Ecce, Lector, artificium: omnia peccata ſunt contra Deum, ſed quędam immediatè maieſtatem diuinam lædunt vt nominis ſui blaſphemia, idololatria, & eiuſmodi: alia ſunt contra proximum immediatè, & mediatè contra

Deum, cuiuſmodi ſunt adulterum, homicidium, furtum: huius generis ſunt duo illa peccata de quibus agimus: nam inobedientia ſubditi ſuo Superiori, immediatè eſt contra hominem, ſed tandem in Deum deſinit: imperium tyrannicum Superioris, eſt immediatè contra ſubditum, ſed mediatè contra Deum: Author noſter vt ſimplicitatem noſtram deludat, quum loquitur de poteſtatis abuſu dicit eſſe contra ſubditum, quum verò de inobedientia, dicit eam offendere Maieſtatem diuinam in ipſius Vicario. Si quis contrà, ſic diceret, Pręſul ſua poteſtate abutens, Deum offendit in ipſius creatura: qui contemnit excommunicationem, offendit hominem: quid eſſet dicturus? ſed nos ſyncerè agentes, res ęquemus. Inobedientia Deum offendit in ſuperiori: qui poteſtate abutitur à Deo conceſſa, Deum offendit in ſubdito. Nunc videamus vtram harum in Deum offenſarum maior ſit. D. Thomas qui peccata ſæpe inter ſe confert, ſemper ait, peccatum eſſe boni priuationem, ideoque peccatum eſſe maius quò maius eſt bonum cuius priuatio ſequitur: lector itaque in 2.2. quęſt. 150.art.3.154.ar.3.39.art.2.& alibi paſſim hæc videre poteſt: bonum quo priuat inobedientia, eſt particulare bonum ſubditi, nempe virtus propria obedientiæ: bonum quo priuat poteſtatis abuſus, eſt bona Eccleſię gubernatio: hoc bonum eſt multò maius, tum quia bonum publicum maius eſt particulari, tum quia bene imperare, maior eſt virtus, quàm bene obedire: & hęc eſt ratio qua Gerſon nititur, quæ ſolida eſt, nec ab authoritatibus extra proprium ſenſum allatis

depen-

dependet. Qui vellet etiam ex malo quod ſequitur, peccati grauitatem pendere, vel ex perſona quæ illud committit, quamuis hæ ſint accidentales conſiderationes, ac primæ ſit adhærendum, non his: tamen maius præbet omnibus ſcandalum, ac maius affert exitium ſimplex poteſtatis abuſus, quàm centum inobedientię: & perſona ſuperioris, vt eminentior, officium facere, magis apud Deum tenetur.

Alterum eſt, quòd licet in caſu aliquo meritorium eſſe poſſit reſiſtere in os Prælato, nihilominùs ordinariè res eſt ſcandali plena & grauis noxa. Adducere verò hanc conſiderationem ad pręſens negotium, vt ſubditi ad ſpernendum Vicarij Chriſti decreta incitentur, res amandanda eſt. D. Paulus enim non reſtitit D. Petro in materia obedientię, ſed in materia certæ cuiuſdam obſeruantiæ legalis, & ita placuit Deo, vt innoteſceret omnibus D. Petri humilitas, permittere vt in vno aliquo articulo legalis obſeruantiæ, D. Paulus magis illuminaretur, quàm diuus Petrus: & ea de cauſa D. Petrus fraternam D. Pauli correctionem libenter tulit, pręſertim cùm D. Paulus eſſet Apoſtolus, nec minùs repletus Spiritu ſancto quàm D. Petrus: verùm in materia obedientiæ & reuerentię, ſcimus D. Paulum ſubditos ſemper admonuiſſe vt Præſulibus ſuis obedirent, quin & ipſe Ieroſolymam venit viſitare D. Petrum, & conferre cum ipſo Euangelium quod pręđicabat: licet id ipſum quoque ex reuelatione haberet, vt de ſe ipſo teſtatur Paulus in epiſt. ad Galat. c. 1. Quęnam igitur erit hęc conſequentia: D Paulus Apoſtolus, vas e-

lectionis, auſus eſt D. Petrum admonere: ergo meritoriè operabuntur laici reſiſtentes in os ſummo Pontifici, quum aliquid illis præcipit ſub pœna excommunicationis? Hæc conſequentia non eſſet boni Dialectici, ſed peruerſi ſchiſmatici.

Neſcio cur hoc ſecundæ obiectionis loco Gerſoni adferatur, quòd quamuis aliquando ſit meritorium Præſuli reſiſtere, ordinariè tamen res ſit ſcandali plena: ſiquidem Gerſon dicit, quandoque meritorium eſſe, ac in honorem cedere poteſtatis Eccleſiaſticæ, vt reſiſtatur in faciem eiuſmodi Præſulis, cum moderatione quæ legitimę defenſionis limites non excedat, ſicut D. Paulus reſtitit D. Petro: author mihi videtur idem quod Gerſon dixiſſe, niſi quòd Gerſon id totum declarauit, quod ad hoc propoſitum dici oportebat, limitationem addens irreprehenſæ defenſionis, ita namque clarius explicari videtur Gerſonis dictum, cum appoſitione inculpatæ tutelæ. Cùm defenſio ſit inculpata, quid amplius requirit author? quis audebit dicere, ſcandalum eſſe vel exceſſum in inculpata defenſione? nec author huc proferat ſuum, ordinariè eſt ſcandalum: nos enim pace ipſius dicemus in genere, quum in Pręſule manifeſtus erit abuſus poteſtatis, & inculpata tutela in ſubdito, ſemper verum fore, quòd reſiſtere ſit meritorium. Atque hic eſt caſus quem Gerſon intelligit, dum ait, [quandoque] & aureis verbis limitat, vt videre eſt, quémque author exprimit his verbis, [in caſu aliquo meritorium eſſe poteſt: ac mihi videtur illud hoc loco Gerſoni

obiici

obiici quod eiuſdem ſententiam confirmat. Verùm pergit author his verbis: Proferre hanc conſiderationem ad præſens negotium, res amandanda eſt. Hoc non eſt contra Gerſonem, ſed contra Interpretem: quaſi cùm ipſe attulerim duodecim illas Gerſonis conſiderationes, ſimul etiam dixerit, omnes has duodecim ad præſens negotium facere: erat ſanè libellus integer afferendus: ad lectorem verò ſpectat id applicare quod congruum eſt. Igitur quia in conſideratione noua Gerſon ait: Si Pontifex Eccleſiæ theſauros vellet rapere, aut hęreditatem vſurpare, aut totum Clerum cum ſuis bonis in ſeruitutem adigere, aut eum ſine cauſa iure ſuo ſpoliare: Author Interpreti obiicere poterit, ipſum hoc attuliſſe ad pręſens negotium, ac innuere velle, Pontificem rapere theſauros Eccleſiæ, &c. Non ita eſt, ſed fortaſſe cùm author optime viderit rationes ob quas quinta hæc conſideratio ad rem faciat, eas audacter etiã tribuit Interpreti. An verò D. Pauli exemplum benè à Gerſone citetur, nec-ne, non dicam aliud, niſi Cardinalem Gaetanum illud etiam ad rem eandem citare in ſuis opuſculis: Cardinalis verò Bellarminus Gaetanum ad hanc rem citat lib. ſuo ſecundo de Roman. Pontif. qui locus videri poteſt: & hoc etiam exemplum ad hanc rem citatum eſt à Dominico Soto, à Franciſco Victoria, & aliis celeberrimis doctoribus. Verum eſt quod author ait, D. Paulum non reſtitiſſe D. Petro ratione excommunicationis, tunc enim eiuſmodi fulmina in vſu non erant, ac D. Paulum contra Corinthium inceſtuoſum egiſſe omnino iuxta Chriſti inſtitutionem: ſed

verum eſt etiam, D. Petrum in facto de quo loquimur, tacitè exemplo ſuo, præceptum dediſſe omnibus iis qui illic aderant, ídque dicit D. Paulus, [Et ſimulationi eius conſenſerũt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationẽ:] tacito huic præcepto reſtitit D. Paulus, nec dicat author, non agi de præcepto & obedientia, nam plus ſatis hac de re agitur, imò valet optimè conſequentia, ſi reſiſti poſſit ſuperiori in aliquo præcepto, quod tacitè dat exemplo ſuo, multò magis expreſſo & fulminatorio reſiſti poſſe.

Neſcio cur poſt hæc adducat author hiſtoriam, quòd D. Paulus venerit viſitare D. Petrum, & cũ eo conferre Euangelium quod prædicabat: ſcio quidem Scripturam non ita loqui: hæc ſunt verba: [Deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini: quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior, deinde veni in partes Syriæ &c.] Extat quidem in alio capite, [Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito: aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangeliũ quod prędico in gẽtibus.] In primo itinere ſermo fit de viſitatione D. Petri, ſed nihil de conferendo cum ipſo: in ſecundo, nihil de viſitatione, ſed de conferendo agitur, non cum D. Petro, ſed cum illis, verum eſt inter illos fuiſſe D. Petrum: Author pro vnico poſuit duo itinera D. Pauli à ſe inuicem plus annis 14. diſtantia, & illud, contuli cum illis, quod intelligitur cum tota Eccleſia Ieroſolymitana, vel ſi

mauis,

mauis,cum tribus Apoſtolis,Iacobo,Cepha,& Iohanne(quos D.Paulus hoc ordine recenſet) author verò intelligit,conferre cum Petro. At ſcire vellem,cur de hac agens collatione, non ſubiurgat:[mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.Sed contrà,cum vidiſſent, quòd creditum eſt mihi Euangelium pręputij, ſicut Petro circuncisionis: qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circuncisionis, operatus eſt & mihi inter gentes,& cùm cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Iohannes, qui videbantur columnę eſſe, dextras dederunt mihi,& Barnabæ,ſocietatis,vt nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem, tantùm vt pauperum memores eſſemus:]quia fortè ex his verbis conſequentiam deduxiſſet. Duas Scriptura commemorat D.Petri actiones, ob quas poſt acceptum Spiritum S.reprehenſus fuit,alteram in epiſt. ad Galatas,ſecundam,cap.11.Actorum Apoſtol. quũ Iudęi conuerſi aduerſus D. Petrũ rixati ſunt quòd Gentiles in Eccleſiam recepiſſet. In prima, culpa aliqua fuit in D.Petro: in ſecunda, reprehenſus fuit immeritò. D. Paulus de Veteri Teſtamento dixit:Quęcunque ſcripta ſunt,ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: id nos tum de Veteri, tum de Nouo dicere poſſumus,ideóque in ſecundo exẽplo docetur ſuperior qua charitate & doctrina ſubitum inſtruere debeat,ſibi reſiſtentem, etiam præter rationem: D.Petrus Hebręos illos non excommunicauit, ſed reuelationum diuinarũ authoritate inſtruxit: Author verò aliquo Scripturę exẽplo probet aliter agendum fuiſſe cum Republ. Veneta,&acquieſcemus.In altero exẽplo epiſt.ad Ga

latas, cùm non exprimatur quid Petrus reſponderit ſed id tantùm quod D. Paulus oppoſuit, non eſt Præſuli documentum, ſed inferiori, vt gerere ſe debeat quum ſuperior poteſtate abutitur. Et hoc ipſum oſtendit quàm alienum ſit à vero Scripturæ ſenſu, quòd Deus ſucceſſum hunc ita diſpoſuerit, vt D. Petri humilitatem oſtenderet: illius enim ſancti reſponſum addere oportuiſſet, verùm è cótrario Scriptura id reticet quod D. Petrus dixit, & grauem tantùm D. Pauli reprehenſionem refert, vt oſtendat exemplum hoc dari non ob D. Petri humilitatem, ſed vt ſubditi edoceantur, quo pacto ſe erga ſuos ſuperiores gerere debeant: cúmque nullius ſcándali propterea apud vllum orti mentio fiat, ſi quod etiam oriatur hoc tempore, illud acceptum fore, non datum, ſperare poſſumus. Si author alium quempiam ſcripturæ locum habet, vbi Superior aliquis ſuos terminos exceſſerit, nec inferior ſeſe, vt par eſt, oppoſuerit, eum oſtendat, nam itidem acquieſcemus. Hanc facimus conſequentiam formalem & optimam, D. Petrus errauit, ergo omnis Pontifex errare poteſt. D. Paulus humillimus ei reſiſtit, ergo reſiſtentiam non damnabit in aliquo minoris humilitatis. Verùm vt vim huius conſequentiæ videat, dicam ei Gaietanum in tract. de authoritate Papæ, & Concilij, aſſerendo reſiſtendum eſſe in faciem Pontifici, poteſtate abutenti, poſt multum ſermonem, ita loqui: [Abuſui namque poteſtatis, qui deſtruit, obuiam eant congruis remediis, non obediendo in malis, non adulando, non tacendo, arguendo, aduocãdo illuſtres ad increpandũ, exemplo Pauli &c. Ergo Cardinalis Gaietanus non bonus Logicus, ſed peruerſus

ſus ſchiſmaticus fuit, qui eiuſmodi conſequentiam fecerit. Sed hãc aliã conſequentiã, D. Paulus ſubditos hortatur ad obediẽdũ ſuis prælulibus, & venit viſitare D. Petrũ, ergo obediendũ eſt quũ poteſtatis eſt abuſus: Authori nominandá vt voluerit, relinquo: quod ſi dicat, ſe nõ de abuſu loqui, ſed de legitimo poteſtatis vſu, Gerſon de ſolo abuſu, non de vſu loquebatur, & omnes eos damnamus qui non obediunt ſuis ſuperioribus præcipientibus ex eius præſcripto qui poteſtatem ipſis conceſſit, quemadmodum ſuperiores damnamus qui eâ abutuntur.

6. Sexta conſideratio eſt, Interuenire poſſe eiuſmodi caſum, vt aliquis non obediendo Prẹlato ſit contemptor clauium, vbi & quando alius in eadẽ ſententia non obediens, nullo modo contemptus ſit reus: Vnus enim reputat ſententiam Prælati iuſtam eſſe, aut quomodolibet obediendum illi: alius autem non, ſed ſcit certo, aut probabilitate ſufficienti, ſuum Prælatum malè vti poteſtate clauiũ.

In hac conſideratione nil aliud dicendum occurrit, quàm non ſufficere qualemcunq; probabilitatem, nec probabilitatem qualiſcunque abuſus poteſtatis clauium, ad hoc vt ad obediendũ Prælato obligati non ſimus. Quinimò iuxta communẽ doctrinam, vt aliquis non ſit obligatus obedire, oportet vt certum ſit & notorium, Prælatum in re, eſſentiali ſua poteſtate abuti. Eſt enim regula vniuerſalis D. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum capit. 75. & ab aliis recepta, obligatum eſſe ſubditum ad obediendum, non ſolùm quando conſtat ſuperiorem nihil Deo contrarium iubere, ſed etiam quando non eſt certus eum

aliquid præcipere quod Deo ſit contrarium: in caſu namque dubio obſequendum eſt iudicio ſuperioris, & non proprio: & tunc ſolùm obediendum non eſt, quando certum eſt, eum Deo contraria præcipere: eſt enim, vt ſuprà diximus, Deo obediendum magis quàm hominibus.

In ſexta conſideratione non niſi mirari poſſum, quòd author contradicendi ſtudio, limitationem afferat, quàm Gerſon itidem paucioribus & clarioribus verbis exprimit. Nam Gerſon ait, contingere poſſe vt in eodem caſu aliquis eſſet inobediens per contemptum, alius verò minimè, quando ille ſententiam iuſtam reputat, vel alia de cauſa Præſuli obedientiam deberi, hic verò talem eam non reputat, ſed certò ſcit; aut ſufficienti probabilitate, Prælatum ſuum malè vti authoritate ſua in preiudicium clauium: ſic author limitat, non ſufficere quamlibet probabilitatem: non dicit Gerſon quamlibet probabilitatem, ſed probabilitatem ſufficientem: ipſe autem dico, affirmo & aſſeuero ſufficientem probabilitatem ſufficere, & in rebus humanis ac moralibus, maiorem hac certitudinem haberi nõ poſſe, nec vllũ dicturum puto, id quod ſufficiens eſt, non ſufficecere, quin ſibi contradicat. Proptereà quicquid author dicit multis verbis, vno eòque perſpicuo verbo à Gerſone dicitur, ſimulque conueniunt. At nollem vt quis ex eo deciperetur quod ſubiungit author: in caſu dubio obſequendũ eſſe iudicio Superioris, & non proprio: nam caſus dubius bifariam accipitur, vel ei dubius eſt qui certò illud ſcire neglexit: vel dubius ei qui poſt debitam diligentiam, non potuit certam eius habere

habere notitiam: primo modo, qui dubitat an aliquod præceptum Deo repugnet, tenetur id omnibus modis, & per ſe,& aliorum ope explorare,aliàs in Deum peccat, exponens ſeſe periculo reſiſtendi legi diuinæ.Qui verò poſt omnem diligentiam dubius adhuc manet, is iuxta Doctorum ſententiam Superioris iudicium ſequi debet. Credo equidem hanc authori eſſe mentem: ſed vitandæ homonymiæ; omnes enim falſæ doctrinæ bonarum titulo velatæ ſubeunt. Ac tam ſæpe nobis inculcat, ſubditum obedire teneri, non ſolùm quando certus eſt Superiorem nil contra Deum præcipere, ſed etiam quando dubitat an aliquid contra Deum præcipiat: nam in caſu dubio, Superioris iudicium, non proprium ſequi debet,túncque ſolùm obedire non debet, quum certò ſcit ipſum rem Deo contrariam præcipere: tam ſæpe, inquam,id inculcat, vt cogamur ei regerere, non eſſe veram eius aſſertionem, niſi quum ſubditus, poſt ſufficientem conſultationem, non eſt certus Superiorem contra Deum aliquid iubere: & in caſu dubio,poſt conſultationem, ei ſequendum eſſe iudicium Superioris:túncque obedire non debere, quum certus eſt ipſum contra Deum aliquid iubere, at ſi dubius ſit eo quòd rem non conſiderarit, eam attentè conſiderare teneri priuſquàm obediat.

Nollem tamen author concluſionem hanc inde inferret,quòd quemadmodum ſubditus obedire tenetur in re inſuperabilis ambiguitatis (ſic enim loquar ad homonymiam vitandam) ita ſuperior in re eiuſmodi iubere poſſit: ſemper enim peccat,quum iubet illud quod non certò ſcit eſſe obligatorium: ſic concludit & probat Adrianus Quod I. quia Su-

perioris authoritas ad res dubias non extenditur, éſtque contra legem naturalem (ait Adrianus) affirmare, clauium authoritatem ad res dubias extendi: verùm ſubditus in re inſuperabilis ambiguitatis obedire tenetur, ſibi namque perſuadere debet, id quod ſibi dubium eſt, non eſſe dubium Superiori: at ſi conſtet ſubdito, dubium id etiam eſſe Superiori obedire planè non tenetur. Non ſuperfluum erit repetere, dubium illud quod ſubditum obligat, duas conditiones neceſſariò requirere, alteram vt ſit dubium ipſi inſuperabile, alteram vt neſciat Superiorem id etiam habere pro dubio.

Septima conſideratio eſt, Contemptum clauium inueſtigandum eſſe ex poteſtate legitima, & vſu legitimo poteſtatis illius, atque ideò gloſſa indigere dictum illud commune: Sententia Paſtoris vel Iudicis etiam iniuſta timenda eſt. Hæc eſt optima conſideratio, & gloſſa huius dicti communis reperitur in ſacris Canonibus, in quibus illud ipſum dictum extat, in decreto ſcilicet Gratiani 11. quæſtion. 3. per multa capita, & ſumma eſt, ſententiam Paſtoris timendam eſſe, quando iniuſta quidem, ſed valida eſt, quum ſcilicet nulla pars eſſentialis deeſt, ſed ſolùm accidentaria: exempli gratia, legitimus Prælatus excommunicat ſuum ſubditum iuſtam ob cauſam, præuia admonitione, non ex zelo puræ iuſtitiæ, ſed odio particulari, quo illum proſequitur, aut omiſſa trina præmonitione, aut declarata ſententia in ſcriptis, eiuſmodi excommunicatio iniuſta eſt, ſed valida, atque ideò timenda. Quando etiam reipſa inualida eſſet, talis autem non haberetur, ſimiliter timenda eſt. Nec laboro in probatione horum, ſunt

enim

enim luce clariora, vt nec ipſe Gerſon ea negare poſſit. Et ex hac conſideratione colligere quiſque poterit, ſententiam ſanctiſſimi Domini noſtri Pauli V. in capita Reipublicæ Venetę intortam, requiſita omnia habere tam eſſentialia quàm accidentalia, ideóque timendam, cùm non modò valida, ſed etiam iuſtiſſima ſit. Si namque poteſtatem legitimam deſideres, ſuprema ea eſt à Deo data, vniuerſaliſſima in omnes qui ſe oues ouilis Chriſti, & membra myſtici corporis Eccleſiæ, & ciues ciuitatis Dei, & domeſticos domus Dei appellari volunt. Poteſtatem vniuerſalem eſſe, liquidò conſtat his verbis: [Quodcunque ligaueris, & quodcunque ſolueris.] Matth.16. Eſſe in omnes, ex illis verbis colligitur, [Paſce oues meas,] Ioh.21. vbi non reſtringitur poteſtas ad has aut illas oues, ſed includuntur omnes quæ ipſius ſunt, & qui hoc non credit, non eſt orthodoxus. Si vſum legitimum requiris, inuenies non defuiſſe multas præmonitiones, nec aliquid eorum quæ ad iudiciarium ordinem requiruntur: Si cauſam: fuit hæc defenſio immunitatis Eccleſiaſticæ, quam ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. capit. 20. fundatam eſſe dicit in ordinatione diuina, & in ſacrorum Canonum conſtitutionibus, pro quibus ſcimus multos Præſules vſque ad mortem decertaſſe: ac Deus S. Thomam Cantuarienſem multis ideò miraculis illuſtrauit, & verum Martyrem ſuum declarauit, vt eum poſteà talem Eccleſia declarauit, quòd ſanguinem pro eiuſdem Eccleſiæ libertate profuderit.

In ſeptima conſideratione, viſum eſt Authori

Gloſſam adferre vulgati huius dicti: Sententia Prælati aut Iudicis, etiam iniuſta timenda eſt: quam Gerſon, ceu notiſſimam, & ab omnibus Doctoribus propoſitam, omittendam cenſuit. Quinimò non ſolùm authoris verbis ſubſcribo, ſed addo quoque ſententiam euidenter inualidam, certo quodam modo timendam eſſe, id eſt non ſuperbè contemnendam, ſed cum modeſtia & reuerentia executionem eius impediendam eſſe. Verùm licèt adducta Gloſſa bonam doctrinam contineat, non bona tamen eſt conſequentia quam inde vult elicere ſententiam ſcilicet Pontificis, de qua eſt controuerſia, omnia requiſita habere, tam eſſentialia, quàm accidentalia, & non modò validam eſſ , ſed etiam iuſtiſſimam. Hoc ipſe ſic probat: Si poteſtatem legitimam deſideres, ſuprema ea eſt à Deo data, vniuerſaliſſima, quod oſtenditur his verbis, [Quodcunque ligaueris,] Matth. 16. & illis aliis, [Paſce oues meas,] Ioh. 21. Quoad ſenſum, Catholici de hac propoſitione non dubitant, ſed noua hæc vox, vniuerſaliſſima, inter ambiguas numeratur, quæ vbi legitimum ſenſum receperit, limitata ſcilicet ad res quæ Regnum cœlorum reſpiciunt, & iuxta regulas Euangelicas, ad ædificationem Eccleſiæ, tunc etiam ad res mundanas extendetur. Hæc ipſa vox maximè ſuſpecta fuit S. Gregorio libro ſeptimo epiſtola 30. quum Papa vniuerſalis proclamaretur, dixitque ſuperbum eſſe titulum, & idem ſignificare ac ſi ſolus eſſet Epiſcopus, & alius nemo præter ſe: ſic etiam habere authoritatem vniuerſaliſſimam, idem eſt (ſi valet ratio Diui Gregorij) ac authoritatem habere

rē ſolùm. Epiſcopus vniuerſalis tollit alios Epiſcopos: ergo authoritas vniuerſaliſſima tollit alias authoritates: attamen de voce non contendemus, modo rectè intelligatur. Audiamus quomodo probetur authoritas hæc vniuerſaliſſima: dictum eſt Diuo Petro, & in eius perſona omnibus Pontificibus, [Quodcunque ligaueris &c. quodcunque ſolueris] &c. ergo poteſtas eſt vniuerſalis: ſed Matth.28. dictum eſt omnibus diſcipulis, & in eorum perſona ſucceſſoribus, [Quæcunque ligaueritis &c. quæcunque ſolueritis &c.] Ergo plures eſſent authoritates vniuerſaliſſimæ, quod implicat contradictionem. Hoc, [quodcunque] eſt vniuerſale, ſed limitatum per ſuperiora verba, [claues Regni cœlorum.] Quicquid ad Regnum Cœlorum attinet, Diuo Petro ſubiacet, quis dubitat? quod Regna terrena reſpicit, Chriſtus ei nō cōmiſit: alia probatio ex his verbis, Paſce oues meas, vniuerſaliter quidem concludit, quo ad [oues meas:] ſed Deus negat per Ezechiel. capit. 34. induere ſe lana ouis, eſſe paſcere: negat, imperare cum authoritate & cum potentia, eſſe paſcere: negat, aquam limpidam bibere, & reliquam turbare pedibus, eſſe paſcere. Subdit author vt æquitatem ſententiæ probet, non ſolùm adeſſe poteſtatem legitimam, quam nos etiam ipſi concedimus, ſed etiam legitimum vſum, ſic dicendo, Inuenies non defuiſſe multas præmonitiones, nec quicquam eorum quæ ad iudiciarium ordinem requiruntur: hoc affirmare non ſufficiebat, ſed probandum erat iuxta pollicita. Quiſquis autem Reipublicæ iura videbit, manifeſtò deprehendet multos & maxi-

mè neceſſarios terminos eſſentiales defuiſſe, & conſtabit cauſam non fuiſſe, immunitatis Eccleſiaſticæ defenſionem, vt aſſerit author abſque probatione: quòd ſi res adeò ſint perſpicuæ, vt ipſe profitetur, cur in lucē non proferuntur rationes Eccleſiaſticæ in facto & in iure? cur prohibetur ne ab omnibus Reipublicæ iura videantur vt hac ratione conuicta maneat? Scriptorum prohibitio non videtur ad hoc conducere, ſed potiùs vt veritas occultetur, ac omnibus cauſa laruata offeratur, vt omnino facit author hoc loco, dum ait, ſententiam Pauli V. intortam in Capita Reipublicæ Venetæ, omnia requiſita habere, cum tamen vtraque ſententia denunciata, altera Natali die, altera 25. Februarij Rempublicam excommunicet, non vero Capita, vt ſuo loco dicetur.

Non poſſum quin hoc loco magnam authoris ſubtilitatem conſiderem, qui Concilium introducit ſeſſ. 25. capite 20. dicens immunitatem Eccleſiaſticam fundatam eſſe in ordinatione diuina, & in ſacrorum Canonum Conſtitutionibus: hic non erat locus de hoc agendi, nec decebat paucis verbis ambiguis diſſeminare doctrinam quæ multo ſermone eget, ne ad perturbandum tranquillum Sanctæ Eccleſiæ ſtatum vſurpetur. Verùm vt iam dicatur id ſolùm quod lectori pro antidoto futurum ſit, notandum eſt Dom. Cardinalem Bellarminum libr. 1. de Clericis, capit. 28. nonnullas huiuſce rei theſes proponere. Prima eſt, in cauſis Eccleſiaſticis, de iure diuino liberos eſſe clericos à poteſtate Principum ſecularium. Quinta, clericorum immunitatem in rebus politicis, tum ratione per-

ſonarum,

ſonarum, tum ratione bonorum, lege humana, non diuina, introductam eſſe: ecce igitur, vt Concilium intelligatur, quod ait conſtitutam eſſe immunitatem Eccleſiaſticam iure diuino, id eſt, in cauſis Eccleſiaſticis, ſic enim debuerat author vertere, Conſtitutam ordinatione diuina, non autem fundatam, quia primum illud vocabulum ſignificare videtur Canones poteſtatem habere à Deo, eam conſtituendi, & hoc fundamento eam niti, ſed non ita res habet: Immunitas in ſpiritualibus cauſis, eſt omnino & expreſſè de iure diuino, in aliis, eſt omnino & expreſſè de iure humano. Ad exemplum D. Thomæ, dicam ipſum quidem pro iuriſdictione Eccleſiaſtica obiiſſe, ſed pro ea, quæ verè talis eſt, non autem vt prohiberet quominùs delinquentes punirentur, nec vt Eccleſiaſtici plura bona poſſiderent, quàm par ſit. Verùm ſi quis loco illius conſequentiæ quam author educit, contrariam faceret eodem modo, dicendo: Et ex hac conſideratione quilibet colligere poterit, ſententias Papæ Pauli V. in Ducem, Senatum, Rempublicam Venetam, totúmque ipſius Dominium intortas, carere multis requiſitis eſſentialibus, omittendo accidentalia, ideóque timendas non eſſe, cùm non modò inualidæ, ſed etiam iniuſtæ ſint: non magis probata eſſet ab authore contraria conſequentia quàm hæc probatur hoc loco: ſed hoc non eſt opportunum, cùm hîc de ſola Gerſonis defenſione agatur: dicere modò ſufficit, vnumquemque eſſe ouem Chriſti, ſed Deum naturalem ipſi defenſionem conceſſiſſe, ſi Paſtor ſupremi Paſtoris inſtitutum non ſequatur.

Octaua conſideratio eſt, Abuſum clauium plus habere periculi in ſummo Pontifice, quàm in inferioribus. Quoniam ab abuſibus inferioribus patet recurſus ad Papam per appellationis ſubſidium, ab abuſibus autem Papæ recurſus non eſt niſi ad Concilium generale, quod non abſque difficultate congregari poteſt. Et quamuis in initio Concilij Conſtantienſis multi putauerint, non licere à Papa ad Concilium appellare: nihilominùs illud ipſum Concilium declarauit expreſſè hæreſin eſſe, negare ſuperioritatem Concilij ſupra Pontificem. Hæc conſideratio continet errorem quendam apertiſſimum & grauiſſimum, & qui hunc errorem ad præſens negotium adducit, parùm ſe Catholicum exhibet.

In octaua conſideratione aliquantulùm immorari neceſſum erit, non quòd ipſa poſtulet, ſed quoniam author valdè prolixo & artificioſo ſermone vſus eſt, cuius artificia detegere neceſſe eſt, ne quis hæc legens ab authoris ſubtilitate ſinat ſe abduci. Gerſon in hac conſideratione ſic loquitur: Contemptus clauiũ plus habet periculi erga perſonam ſummi Pontificis, quàm erga inferiores: Author verba ſic inuertit: Abuſus clauium plus habet periculi in ſummo Pontifice, quàm in inferioribus. An iſtud eſt ſententias impugnandas fideliter referre? Gerſon loquitur de contemptu ſubditi ratione præceptorum ſummi Pontificis, & ait, eiuſmodi contemptum plus habere periculi, quàm habeat contemptus præceptorum inferiorum Præſulum: ei tribuit author, vt dicat, peccatum ſummi Pontificis in abuſu clauium, plus habere periculi, quàm habeat contemptus Præſulum inferiorum in earundem abuſu.

Atque

Atque ideò vnus loquitur de actione ſubditi erga Superiorem, alter de actione Superioris erga ſubditum:vnus loquitur de contemptu, qui eſt ſubditi,aliter de abuſu clauium, qui eſt Superioris. Gerſonis conſideratio fauet Sedi Apoſtolicæ, & oſtendit maiori cum reuerentia agendum eſſe cum ea,dicendo, plus habere periculi contẽptum illius,quàm aliarum. Author planè contrarium Gerſoni tribuit, vt nempe dicat abuſum Pontificis plus habere periculi, quàm habeat abuſus inferiorum, vnde colligitur, minùs reuerentiæ huic Sedi deberi, quàm aliis Præſulibus.Eſt-ne hoc diſputare, an verò imponere vt cõtradicendi materia paretur? Neſcio quid hîc ſit author dicturus.Pręcipuus Gerſonis ſcopus in hac conſideratione, non alius eſt quàm vt oſtendat in oppoſitionibus ad præcepta aut Cenſuras; Præſulũ, maiori circũſpectione digna eſſe præcepta vel Cenſuras Pontificis, & rationem adfert, quia ab inferioribus recurſus eſt ad Papam. Quòd ſi quis obiiciat,poſſe etiam à Papa appellari ad Concilium:reſpondet Gerſon, olim hanc obiectionem non valuiſſe, quum dicebatur, Papam eſſe ſupra Concilium, ſed quamuis (ait ipſe)hoc iam dici nequeat, ob rationes quas adfert, nihilominùs hoc etiam ſtante, periculoſius eſt, ob aliam cauſam,Pontifici reſiſtere: quia non poteſt, nec debet celebrari Concilium ita facilè, & leuibus de cauſis, vt ad audiendum appellationes. Ecce Conſiderationis ſenſum, à quo ſi auferas, lector, articulum illum Superioritatis, nihil inuenies, quod Author iuxta propriam ſententiam,poſſit reprehendere, hic verò eſt obiter adſcriptus. Sed author ſcopis ſuis hîc intentus, aliud non reſpiciens eum articu-

lum pro præcipuo Conſiderationis capite accepit, vnde ait, hanc Conſiderationem continere errorem quendam apertiſſimum & grauiſſimum:& qui hunc errorem ad præſens negotium adducit, parùm Catholicè facere. Ipſe ſatis nouit Sereniſſimã Remp. non iudicaſſe conueniens vti appellationis beneficio: nã Princeps & Senatus apertè declararunt, quid prætendant: ergo nullus eſt qui hoc ad præſens negotium adducat. Quid ſibi propoſuerit Gerſonis Interpres, ante hanc Reipubl. declarationem, coniici non poteſt, nec patitur charitas vt de hoc iudicetur. Sed quum ait eum qui hoc adduxit, parùm Catholicè feciſſe, fieri-ne poteſt vt doctrinam Domini Cardinalis Bellarmini obliuioni mandarit? qui lib. 2. de authoritate Concilij, cap. 13. cui titulus eſt, [An concilium ſit ſupra Papam, *ait*, Et quamuis poſteà in Concilio Florentino, & Lateranenſi vltimo, videatur quæſtio diffinita, tamen quia Florentinum Concilium non ita expreſsè hoc diffiniuit, & de Concilio Lateranenſi, quod expreſſimè rem diffiniuit, nonnulli dubitant, an fuerit verè generale. Ideò vſque ad hanc diem quæſtio ſupereſt inter Catholicos.] Eum rogo vt hanc doctrinam, ſcriptam ante nimiam quam patitur ob res præſentes animi perturbationem, denuò inſpiciat: nam vt illum ab hac contradictione vindicem, non video quid aliud dici poſſit, niſi ipſum cap. 17. aliter loqui dum ſic de Concilio Lateranenſi ad hanc rem ſcribit: [Quod verò Concilium hoc rem iſtam non diffinierit propriè, vt Decretum de Fide Catholica tenendum, dubium eſt, & ideò non ſunt propriè hæretici, qui contrarium ſentiunt, ſed à temeritate magna excuſari non poſſunt.] Hæc ſanè duo

duo loca tam vicina parùm inter ſe conſentiunt, non enim videtur à multa charitate oriri, temerarios eos appellaſſe, quos hîc non Catholicos vocat: quamuis ſi vltimo tantùm huic loco adhæreat, non inde tamen omnino probare poſſit, Interpretẽ parum eſſe Catholicum:opinio namque temeraria, vera etiam eſſe poteſt:olim communis erat opinio Angelos eſſe corporeos, ac temerarium putabatur eos incorporeos vocare:nunc eorum incorporalitas, communiter admittitur nec ampliùs temeraria cenſetur:idem de re præſenti iudicandum:ſed Martinus Nauarrus in capit. Nouit, de iudiciis, allatis verbis Iohan. Maioris, optimè declarat quæſtionem eſſe controuerſam: nec Romæ licet doctrinam ſequi Panormitani, qui Concilij ſuperioritatem tuetur, nec Pariſienſis Academia fert, vt opinio contraria locum habeat.

Quid dicemus de Iohanne Mariana recenti Ieſuita, qui in libro ſuo de Rege, publico Ieſuitarum examine probato, & alio item examine Regis Hiſpaniarum authoritate inſtituto, apertè dicit, authores grauiſſimos vtramque huius quæſtionis partem tueri. At ſanè minùs etiam opinio temeraria dici debet:nam temeraria opinio, vt ait Melchior Canus, qui exactè agit de eius definitione, ea eſt quæ ſine ratione & authoritate habetur, vel ea quæ cum audacia aſſeritur. Sed opinio quæ non pauciores minúſve celebres Doctores habet, quàm huic contraria, & cui par, ſi non maior, Vniuerſitatum, Regionum, & Regnorum numerus fauet, dici non poteſt abſque ratione & authoritate, vel audacter aſſeri, charitas non ita facilè temerarij nomen tribuit;

veruntamen ſi author affectum ſuum prodere volebat, paucis verbis ſenſum ſuum oſtendere ſufficiebat, non trium foliorum diſputationem introducere,ad oſtendendum Gerſonis opinionem non eſſe veram, & ad cogendum eos qui tantum Scriptorem magnifaciunt,de eo loqui, à quo ſunt alieniſſimi, ſiquidem vt ſolenniter quæſtionem tractet,ait:

Et vt initium capeſſamus à Concilio Conſtantienſi,tria dicenda ſunt.Primum eſt,hoc Concilium nullibi declaraſſe,hæreſin eſſe, negare ſuperioritatem Concilij ſupra Papam,voluatur & reuoluatur integer Concilij codex, tale quid non inuenietur. Secundum eſt, quòd ſupradictum Concilium ſeſſ. 4.decretũ faciat,quo declarat hoc ipſum Conciliũ Cõſtantienſe repræſentare Eccleſiã vniuerſalem & habere poteſtatem immediatam à Chriſto,cui poteſtati quilibet,etiam ipſe Papa, ſit obligatus obedire.Et hoc decretum etiam à viris doctiſſimis non putatur intelligendum eſſe de quolibet Papa, ſed de Papa dubio, qualis tunc erat, cùm tres diuerſi Pontifices eſſe volebant, habebántque ſuos aſſeclas,& hoc veriſſimum eſt, Eccleſiam habere poteſtatem declarandi,quis ſit verus Papa, eóſque qui tempore ſchiſmatis de pontificatu certant, obligatos eſſe auſcultare & obedire Eccleſiæ, Conciliíque generalis decreto. Quòd autem Papa canonicè electus, & indubiè pro Papa agnitus, obedire debeat Eccleſiæ,& Concilio, ex eo decreto minimè colligitur. Tertium eſt, iſtud decretum aliam vim non habere, quàm vt ſuccurratur ſchiſmati, cùm enim eo tempore Papa Concilio non interfuerit,erat Concilium illud acephalum, atque ideò

ideò non habebat authoritatem declarandi res fidei,nec res alias maioris momenti.Et quamuis poſteà Martinus Papa V. approbauerit Concilium Conſtantienſe,id ſolùm approbauit quantum ad decreta facta per modum Concilij, vt fuerunt illa aduerſus hæreſin Iohannis VVicleffi, & Iohannis Huſs: decretum autem ſuperioritatis Concilij ſuper Papam,non factum eſt per modum Concilij hoc eſt præuiis examine,diſcuſſione, & diſputationibus,nec per Patrum vota & ſuffragia, ſed fuit decretum ſimpliciter inſtitutum ad medendum ſchiſmati,quantum videbatur neceſſarium. Vnde paulò poſt Pius II.in Concilio Mantuano excommunicauit eos qui à Papa ad Concilium appellabant,eandémque excommunicationem renouauit Papa Iulius II. teſte Syluest.verbo Excommun.VII. num.93.& eandem modò confirmant omnes Pontifices in Bulla Cœnæ Domini. Demum Papa Martinus V.cum ſuffragiis eiuſdem Conſtantienſis Concilij declarat hæreſeos ſuſpectos, circa multos articulos interrogandos eſſe, ſpeciatim verò num credant Pontificem habere ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei:certum autem eſt, ſi ſuprema Poteſtas in Papa eſt,hoc eſſe non poſſe, ſi Concilium ſit ſupra Papam, aliàs enim ſuprema Poteſtas eſſet penes Concilium, non penes Papam.Ex quibus conſtat Concilium Conſtantienſe in decreto ſeſſ. 2.iuxta modum à nobis explicatum intelligendum eſſe,aliàs enim ſibi ipſi contradiceret: & ſi admittenda eſt contrarietas, plus credendum eſt decreto ſecundo à Papa & à Concilio ſimul facto,quàm primo à Concilio ſine Papa facto, id eſt à corpore ſine capite.

Nolo affirmare Gerſonis opinionem eſſe veram,nec ipſius doctrinam & rationes in hac Apologia proferre, dicam tamen rationes ab authore contra ipſum allatas,à Gerſone vel ab aliis eiuſdem poſt ipſum opinionis,animaduerſas & ſolutas fuiſſe:atque harum ſolutionum quaſdam hîc recenſebo,non vt quicquam diffiniam,ſed tantùm vt oſtendam ſolidioribus fundamentis quæſtionem hanc tractandam eſſe,nec adeò facilè ſcriptores ſanctitate & doctrina præſtantes,damnandos. De Concilio Conſtantienſi,cuius meminit Gerſon , author noſter tria dicit:primum eſt,quòd illud Concilium nullibi declarauerit,hæreſin eſſe, negare ſuperioritatem Concilij ſupra Papam. Si Author intelligit, non vti Concilium hac loquendi formula, Negare authoritatem Concilij ſupra Papam,eſt hæreſis,verum dicit : ſi vult etiam Concilium Conſtantienſe ita non dixiſſe], Qui negabit ſuperioritatem Concilij,ſit anathema,verum quoque dicit : ſed negat Gerſon , quòd Concilium opinionem eam non determinarit(non meam,ſed Gerſonis opinionem dico)eo modo quo res fidei determinantur , adeò vt contrarium credere,hæreſis habeatur: hoc apparet in ſeſſ.4.vbi vtitur his verbis:[ordinat,diſponit, ſtatuit,decernit,& declarat,]& in ſeſſ.5. vbi doctrinam eandem repetens,vſurpat hæc verba, [ordinat diffinit,decernit,& declarat:& quia Gerſon dicit in hac conſideratione,]hæreſin eſſe , damnatam per conſtitutionem expreſſiſſimam , & practicatam in Concilio prædicto Conſtantienſi , prout alibi diffuſiùs eſt oſtenſum:potuiſſet author loca à Gerſone in ipſius operibus citata legere, vbi videlicet quid hiſce obiectionibus reſpondeatur: Concilium

lium Tridentinum proculdubiò tanquam hæreſin damnauit,negare Purgatorium:attamen non inuenientur in ipſo hæc verba,Negare purgatorium,eſt hæreſis,vel Qui negabit purgatorium , anathema ſit:verùm doctrina de purgatorio ſatis exprimitur ſeſſ.25.& 22.adeò vt conſtet, determinatam eſſe vt rem de Fide, ſi quis verò ipſo authoris noſtri verbo,ad id aptaret,hoc modo, Concilium Tridentinum nullibi declarauit hæreſin eſſe, negare Purgatorium,voluatur & reuoluatur integer Concilij codex,tale quid non inuenietur: is ſe,relicto ſenſu, nimis addictum eſſe verbis oſtenderet:eodem modo de Gerſone dicetur. Secundum,quod author adfert contra Gerſonem , eſt, homines doctiſſimos , Concilij Conſtantienſis decretum intelligi velle de Papa dubio,quod(inquit) veriſſimum eſt, non de Papa certo.

Secunda hæc obiectio primæ penitus contradicit:nam ſi decretum qualecunque id fuerit, hæreticum non iudicat eum qui contra ipſum ſentit decretum verò intelligitur de Papa dubio, ergo non erit hæreſis negare , Papam dubium ſubiacere Concilio:atqui aſſerere,Papam dubium non ſubiacere Concilio,manifeſtò eſt hæreſis: ergo qui vult decretum intelligi de Papa dubio,fateri cogitur decretum illud ſtatuere quòd contrarium ſit hæreticum:& qui vult non eſſe hoc decretum huius generis , fateri cogitur , ipſum de Papa certo intelligi. Verum eſt quod dicit author , homines doctiſſimos decretũ illud accipere de Papa dubio, Sed verũ eſt etiam homines doctiſſimos,id dePapa certo intelligere: quanquam inter hos omnes iſtud eſt diſcrimẽ,quod qui de Papa dubio id intelligũt,

ei Concilio non interfuerunt, ſed inter eos qui de Papa certò intelligunt, numerantur ij omnes qui dicto Concilio interfuerunt; & ſcripta quædam nobis reliquerunt, ac cum his ij omnes qui viuentes adhuc & non impediti; Concilio Baſilienſi interfuerunt, quos multos fuiſſe oportet, cùm ab hoc ad illud, quindecim circiter annorum ſpatium elapſum fuerit.

Inſuper Authori notandum erat, Gerſonem non modò dicere damnatam, ſed practicatam, ſeu ad vſum reuocatam, atque ideò ipſius erat videre vſum qui viguit in Concilio Conſtantienſi, & conſiderare an Concilium illud dubiis tantùm, aut certis etiam Pontificibus imperauerit. Legat ſeſſ. 17. vbi inueniet, Concilium ſtatuere, ne futurus vllus Pontifex Angelum Corrarium, iam tunc Gregorium XII. dictum, Cardinalatu poſſit deponere; aut Legatione in Picenum, quam ipſi committit Concilium, nec in eum animaduertere, vel eum punire poſſit, ob cauſam cuiuſlibet adminiſtrationis in Papatu ab ipſo exercitatæ. Legat etiam ſeſſ. 39. poſt dubios omnes Pontifices depoſitos, vbi Concilium iubet futuros Pontifices Concilia generalia certis temporibus præfixis celebrare, & verba notet, quibus ſingulos Pontifices ad illius mandati executionem obligat: ac deinde videat ſeſſ. 44. vbi Martinus V. iam electus iſtud exequitur, & notet author vocem (teneatur) quæ eſt in Concilij decreto, & in eius executione. Demum in vltima ſeſſione, Legati Poloniæ & Lituaniæ, ſupplicarunt humiliter Pontifici, vt ante finem Concilij publica ſeſſione damnaretur liber cuiuſdam Monachi, Iohannis Falkenbergi, alioquin Dominorum ſuorum nomine prote-

proteſtantes [de grauamine,& de appellando ad futurum Concilium, neque ob hanc proteſtationem Pontifex ſe vllo modo lædi putauit, nec etiam ideò Concilium miratus eſt: & ab hoc vſu diſcet author, optimè colligi ex hoc decreto ad vſum reuocato, Pontificē canonicè electū,& indubiè pro Pontifice habitum, Eccleſię & Concilio obedire teneri: quam concluſionem author ipſe affirmat ex dicto Concilio Conſtantienſi poſſe colligi: propterea iungat ipſe modò decretum cum vſu allegato, & Gerſonem optimè locutum eſſe agnoſcet.

Tertiò dicit author, decretum illud vim aliam non habere quàm medēdi ſchiſmati, quoniam prædictum Conſtantienſe Concilium erat corpus ſine capite: ſed videns obiectionem quæ fieri poterat, ob eius Cōcilij confirmationē à Martino V. notat illud quidem à dicto Papa probatum fuiſſe, quātum ad decreta facta per modum Concilij, ſed hoc decretum non ita factum fuiſſe, præuiis nempe diſputationibus, & acceptis Patrum ſuffragiis. Vbi, quæſo, reperit author, hoc decretum factum eſſe ſine examine, diſputationibus, & ſuffragiis? An fortè quia ſcripto id non conſtat? Sed in Concilio Tridentino diſputationum, aut ſuffragiorum nuſquam fit mentio, Ergo nihil factum eſt per modum Concilij: ita quamuis in actis Concilij Conſtantienſis ſcripta non reperiantur præuia diſputatio & eius decreti examen, nihilominùs credendum omnino eſt, hæc facta fuiſſe: cùm alia multa præſtantiſſimorum virorum ſcripta in eo Concilio ſpeciatim prodierunt, ac Gerſon eo ipſo tempore doctiſſimum illum librū ſcripſit De poteſtate Eccleſiaſtica, & origine iuris, & legum vt lector quili-

OOo j

bet videre poterit. Gerſon etiam in hac conſideratione ſatis comprobat quot habitæ fuerint de hac materia diſputationes, cùm dicat ortum eas habuiſſe in Concilio Piſano, quod quinque annis Conſtãtienſe præceſſit. Quis autẽ dubitare poteſt quin & in Piſano, & in Conſtantienſi, & per illud quinquennium ventilatum ſit prædictum dubiũ, & in eo determinando lata ſint ſuffragia? verùm ſi quis eam Martini V. confirmationem legere volet, apertè videbit, [conciliariter,] non ſignificare quod author dicit, eritque hoc etiã aliud [interpretatiuè.] In ſeſſ. 45. & vltima Cõcilij, habetur, Miſſâ, & Litaniis finitis, Cardinalem S. Viti, de mandato & Papæ & Cõcilij dixiſſe, [Domini ite in pace,] & reſpõſum fuiſſe, [Amen,] cúmque poſteà Epiſcopus quidam ex Pontificis præſcripto concionem ſub finẽ Concilij habere vellet, petiiſſe Regis Poloniæ & Magni Lituanię Ducis legatos, vt ſuperiùs dictum eſt, Dominorũ ſuorũ nomine, vt publica ſeſſione liber quidã Ioh. Falkemberchi damnaretur, qui priùs à viris cõſtitutis in cauſa Fidei, à Cõcilij nationibus, & à Cardinaliũ Collegio dãnatus fuerat, túncque reſpõdiſſe Pontificẽ, ſe omnia probare quæ determinata erant & concluſa in materia fidei, à Concilio, [conciliariter,] & non alio modo: hinc apparet illud [conciliariter] ei opponi quod dixerunt Legati, ſcilicet librũ eſſe damnatũ à conſtitutis illis viris, à nationibus, & à Collegio ſeorſim, idémque eſſe [cõciliariter] ac in publica ſeſſione. Sed plus dicimus. Si reſponſum illud à Pontifice datum fuit, per occaſionem propoſitionis improuiſæ, poſt finem Concilij factæ, ergo Concilium nec priùs erat probatum, nec directo ſcopo illud probauit Pontifex: & ſi Poloni illi hanc

hanc inſtantiam, magna opportunitate non attuliſſent VVicleffi & Huſſi condemnatio authentica non haberetur: hinc ſequetur Concilium Generale per accidens confirmatum eſſe. Nec minori eget commendatione modus loquendi Authoris, dum ait, Concilium illud fuiſſe corpus ſine capite, vt concludatur, vacante Sede Apoſtolica, ſemper Eccleſiam imperfectam cenſeri debere, vtpote cui eſſentiale quidpiam deſit, Eccleſia poſt Marcellini obitum manſit annos ſeptem cum dimidio, ſine Romano Pontifice, vigentibus Diocletiani perſecutionibus, vt Damaſus teſtatur: quis ideò dixerit, in eo tantæ perfectionis tempore, eſſentiale quidpiam Eccleſiæ defuiſſe? Scio quoſdam aliqua rationum ſuarum veriſimilitudine motos, adeò diuturnum interregnum non credere: ſed probabiliùs credimus Damaſum, qui Pontifex fuit anno poſt obitum Marcellini ſexageſimo nono, natus paulò poſt dictum interregnum rei veritatem meliùs nouiſſe, quàm nos cum noſtris coniecturis. Verùm vt vt ſit, de certis loquamur, anno 1270. Eccleſia poſt Clementis IV. obitum, manſit tres ferè annos abſque Pontifice, an ideò dicetur Eccleſiam tunc acephalam, id eſt, ſine capite fuiſſe? adhærendum doctrinæ D. Cypriani, & D. Auguſtini 24. quæſt. 1. cap. quodcunque & cap. loquitur.

Author ſermonem ſuum claudit de inualiditate Decreti prędicti Concilij Conſtantienſis ſic dicens, Vnde paulò pòſt, Pius II. in Concilio Mantuano excommunicauit eos qui à Papa ad Concilium appellabant. Primò vox illa, *Vnde*, fallax eſt, apponitur enim ac ſi Papa Pius II. eiuſmodi appellantes excommunicarit, quòd eſſet Papa

ſupra Concilium,ſed in Bulla Pij non ſic habetur: eiuſmodi quidem appellatio prohibetur, quoniam ad eum iudicem appellatur qui non eſt, & quando futurus ſit ignoratur:pauperes à potentibus opprimuntur,impunia delicta manent , rebellio contra primam Sedem fouetur,peccandi licentia conceditur,diſciplina omnis Eccleſiaſtica, & Hierarchicus ordo confunditur, in quibus verbis apparet Pium II. pro cauſa non allegaſſe Superioritatem ſuam, quæ viua erat & perſpicua ratio,cùm non niſi ad ſuperiorem appellari poſſit. Nec dicat aliquis, hoc poſſe ex verbis colligi: nemo enim quod eſſentiale eſt,omittere , & exactè adeò quæ accidentalia ſunt perſequi ſolet.Prætereà antequàm prædictas cauſas adferat,ait ſe nonnullas omittere , corruptelæ huic manifeſtò contrarias, quod iudicio eſt, prædictas cauſas eſſe præcipuas , omiſſas verò minoris momenti:ideoque Caput Superioritatis nullum habet locum.Inſuper voces illæ authoris noſtri,[in Concilio Mantuano,]ſunt fallaces : nec enim tunc fuit Concilium generale,nec prouinciale,nec vllo modo Concilium Notum eſt Pium II. in tranſitu fuiſſe Mantuæ,& quidem cum ſolo Aulæ comitatu, quod diſertè oſtendunt hæc Bullæ verba, Conſilio & aſſenſu Venerabilium noſtrorum fratrum Cardinalium Sanctæ Eccleſiæ Romanæ,omnium Prælatuum,& iuris Diuini ac humani Interpretum qui Aulam ſequuntur:At peius eſt quod author ſubdit, Pium II.excommunicaſſe eum qui à Papa ad Concilium appellabat,& Iulium II. idem confirmaſſe, omneſque deinde Summos Pontifices in Bulla Cœnæ.Si Bullæ Pij II.Iulij II. aliæque omnes in Cœna, non extarent, ad hoc reſponderi non poſſet:ve-

ſet: verùm nullus vnquam Pontifex, eum excommunicauit qui appellat ad Concilium, ſed eum qui appellat ad futurum Concilium : videri omnes ac legi poſſunt, & quia Pœnæ ſunt reſtringendæ, nullus Canoniſta dicet, appellantes ad præſens Concilium (quamuis particula hæc adeſſet) per illas Bullas excommunicari: idcircò nec per eas Concilij ſuperioritas probatur. Neſcio cur author omiſerit vocem illam, *futurum*. Si Gerſonis Interpres ita peccaſſet, qua cenſura dignus fuiſſet? valet ratio Pij II. appellari ad eum iudicem qui non eſt, nec ſcitur quando futurus ſit, dum dicitur, ad futurum Concilium, ſed non valet in appellatione ad præſens, ideóque Pontifices omnes, excommunicarunt appellantes ad futurum Concilium: ne igitur omittamus vocem illam *futurum*, quamuis noſtri animi affectus eam abſcondant.

Author denuò poſt hanc digreſſionem redit Conſtantiam, & ait Papam Martinum V. Concilij ſuffragio, præcipere, vt hæreſeos ſuſpecti interrogentur, num credant Summum Pontificem ſupremam in Eccleſia Dei poteſtatem obtinere, atque hinc concludit, Concilium reſpexiſſe ad Superioritatem Pontificis, & quartæ ſeſſionis Decretum de Papa dubio intelligendum eſſe, iuxta ſuam expoſitionem, aliàs Concilium, inquit, ſibimet aduerſaretur.

Sed vt intelligatur interrogatio de qua Pontifex & Concilium verba faciunt, dignetur author ſeſſionem octauam inſpicere, vbi inter quadragintaquinque articulos VVicleffi damnati, quadrageſimus primus habet: [Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam in-

ter alias Eccleſias:ſubdit Concilium. Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat vniuerſalem Eccleſiam,aut Concilium generale,aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.] Ex huius tantùm articuli lectione omnibus innoteſcet, quomodo Concilium Conſtantienſe intellexerit Superioritatem Pontificis eſſe ſupra omnes Eccleſias diſiunctas, non ſimul vnitas. Hinc author Concilio Conſtantienſi relicto,tranſit ad probandum Gerſonis opinionem eſſe manifeſtò erroneam, ídque Scripturæ & Conciliorum authoritate, ac rationibus, dicens:

Sed relinquamus Concilium Conſtantienſe:opinionē Gerſonis erroneam eſſe, pauciſſimis verbis probari poteſt, authoritate nimirum Scripturæ,& Conciliorum,& ratione. Scriptura ſacra nuſquam dat authoritatem Eccleſiæ aut Concilio ſupra ſuos Paſtores,multò minùs ſupra Summū Paſtorem,ſed contrariū potiùs dicit D.Paulus in Actis Apoſt.c. 20.Deus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Et Vicario ſuo dicit Chriſtus,Matth.16.Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: vbi Chriſtum conſtituere Petrum fundamentum Eccleſiæ, idem fuit ac facere caput myſticum:quod enim in domo fundamentum,hoc caput eſt in corpore. Videmus autem caput præeſſe & poteſtatē habere in reliquas corporis partés,non è contra.Ita quando Chriſtus Ioh.21.Petro dixit:Paſce oues meas:conſtituit illum paſtorem totius ouilis,& dubium non eſt,ouile nō habere poteſtatem in Paſtorem, ſed potiùs Paſtorem in ouile.Demum quando Dominus ait Lucæ 12. Quis eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem

conſtituit

conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam ? dubio procul declarat Epiſcopum in Eccleſia particulari, & Papam in vniuerſali,eſſe veluti Palatinos, & domus Præfectos quoſdam in familia Dei. Et quemadmodum domus Præfectus familiæ dominatur, non contrà:ita & Epiſcopus dominium habet in ſuam Diæceſin, hæc autem dominium non habet in Epiſcopum, nec Eccleſia etiam congregata in Concilio,dominium & poteſtatem habet in Papã: atque ideò etiam in eo ipſo loco ſubiũgit Saluator: Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo, moram faciet Dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos & ancillas,edere,& bibere, & inebriari,veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & diuidet eum, partémque eius cum infidelibus ponet.Ex quibus colligitur quando Præfectus domus perperam agit,Deum nolle, vt à familia puniatur, ſed eum iudicandi & puniendi poteſtatem ſibi reſeruaſſe.Cùm igitur neque Eccleſia, & conſequenter neque Concilium,quod Eccleſiam repręſentat, vllam in Papam poteſtatem habeat, rectè ſequitur non poſſe à Papa ad Concilium appellari, ſed à Concilio ad Papam.

Minimè opus erat tot ſcribere ſuper hac materia, quam Gerſon paucis adeò verbis attigit,& ipſe huc non adferrem quod Gerſon,aliiq; eiuſdem ſententiæ reſpondent, niſi vererer interrumpere cœptum ſtylum, tractandi ſcilicet omnia eodem ordine quo ab authore proponuntur. Primò dicit Scripturam diuinam nullibi authoritatem Eccleſiæ dediſſe in ſuos Paſtores, multò minùs in ſummum Paſtorem : ad hoc reſpondet Gerſon, Chriſtum Dominum noſtrum miſiſſe D.Petrũ ad

Eccleſiam, quum ei dixit,[dic Eccleſiæ,] nam Gerſon ætate ſua legebat,non iuxta Miſſale correctum, ſed iuxta antiquum,[reſpiciens Ieſus in diſcipulos ſuos,dixit Simoni Petro , ſi peccauerit,]&c.vt videre poterit author in eius operibus,præter Scripturæ loca,quæ Gerſon ad hanc rem citat. Author poſteà, vt probet contrariũ reperiri in Sacris literis , locum citat D.Pauli Act.20.dicentis,Deũ poſuiſſe Epiſcopos regere Eccleſiã Dei.Demus ita illum dicere,nã ſanè[poſuit vos Epiſcopos,] habet alium ſenſum, quã [poſuit Epiſcopos,]nihilominùs ita ſit: ex hoc tamen loco non magis colliget Papam eſſe ſupra Eccleſiam, quàm quemlibet Epiſcopum: ſed non malè quis inde collegerit,omnes Epiſcopos habere authoritatem immediatam à Deo, quod authori minimè arrideret.

Quis vnquã eiuſmodi conſequentiã deducere poterit,Deus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, ergo Papa eſt ſupra Concilium: ſed valet hæc, Deus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei,ergo ſi eam non rexerint,id non facient ad quod ipſos Deus cõſtituit. Hæc vera eſt propoſitio : Deus poſuit Regem regere Regnum,quòd ſi concludatur,ergo Rex eſt toto Regno ſimul vnito ſuperior, Author paulò inferiùs dicit id non valere , ac ſanè non valet iuxta ipſius & Ioh.Marianæ Ieſuitæ ſententiam , ſed dicã quidem id non ſequi in omnibus Regnis.

Secundò citat Matth.16.[Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meã,] vbi dicit,Chriſtum cõſtituere Petrum fundamentũ Eccleſiæ,non id Gerſon negauerit,cùm dicat D. Paulus, Eccleſiam fundatã eſſe ſuper fundamentũ Apoſtolorũ & Prophetarũ, & in Apoc. Ciuitatis Dei murus duodecim habeat fun-

fundamenta,cũ nominibus duodecim Apoſtolorũ: non ideò tamen Gerſon crediderit, authorem damnare velle aliam expoſitionem, quæ interpretatur, [ſuper hanc petram,] ſuper Chriſtum,& ſuper confeſſionem fidei Chriſti: maximè cùm D. Auguſtinus vtráque expoſitionem admittendo, ſecundam magis probet: igitur ex eo loco qui duas admittit bonas expoſitiones, author alterã ſumere voluerit pro abſoluto fundamẽto alicuius articuli. Sed quia, vt dictum eſt, Petrus eſt fundamentum: Ergo ſuperior eſt toti fabricæ? Gerſon dicet id non ſequi, nam fundamentum eſt non principale, ſed fundatum ipsũ ſuper Chriſtum, nec totale, ſed duodecima eius pars, iuxta ſenſum Apocalypſ. imò vigeſima quinta pars, iuxta D. Pauli mentẽ: & Authoris cõparatio, quòd conſtituere Petrum fundamentum, idem ſit, ac facere caput, quia quod in domo eſt fũdamentum, hoc caput eſt in corpore, non quadrat: nam licet verum ſit Petrum eſſe caput, obſcura tamẽ eſt analogia, eãdem eſſe proportionẽ fundamẽti ad fabricam, quæ eſt capitis ad corpus, nec dicere poſſem, in quo proportio conſiſtat. Si quis dicat, Sicuti fundamentum domum ſuſtinet (hoc enim eſt eius proprium) ita caput ſuſtinet corpus, non verum eſt: Si quis dicat, Quemadmodum caput, ſenſum & motũ corpori cõmunicat, ita fundamentum domui communicat, quid nam? Propoſitiones, quæ ceu dogmata ponũtur, nõ ſunt ſuper ſimilitudines ſimilitudinũ fundandæ: ſed ne laboremus in probandis illis propoſitionibus, ſiquidem in concluſione conuenimus, D. Petrũ eſſe caput: verùm ſi dicã Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Pinellus, eſt caput Congregationis Sancti Officii, ergo eſt ſupra Congre-

gationem non videtur hoc ſequi, quemadmodum nec Gerſon admiſerit hanc propoſitionẽ, Reliquum corpus non habet poteſtatẽ in caput, & maximè quod ab ipſo corpore ſit conſtitutum, ſed articulos ſupra ſimilitudines fundare non oportet.

Tertio adfert illud, [Paſce oues meas:] ac tandem citat, cap. 10. D. Lucæ, [Quis eſt fidelis diſpenſator ac prudens] ad quæ ſimul reſponderet Gerſon non poſſe ex vllo Scripturæ loco colligi, Saluatorem eo quòd Paſtores in Eccleſia conſtituerit, eos exemiſſe ab obedientia ipſius Eccleſiæ, communis Chriſtianorum omnium, Eccleſiaſticorum & Secularium Matris: nam temporibus incorruptis, quum Sancti Martyres erãt Epiſcopi, hic vſus obtinebat, vt Paſtor Eccleſiæ iudicio ſubiectus eſſet, quod D. Cyprianus diſertè teſtatur libr. 1. epiſt. 4. de Plebe ſic loquens: [Quando ipſa maximè habeat poteſtatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi, quod & ipſum videmus de Diuina authoritate deſcendere, vt Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur. [&c. Author noſter dicit, Chriſtum dubio procul declaraſſe, Epiſcopum in Eccleſia particulari, & Papam in vniuerſali, eſſe velut domus Præfectos quoſdam in familia Dei, ipſóſque in familiam habere poteſtatem, non contrà: at D. Cyprianus dicit, plebem maximè poteſtatem habere, vel eligendi Sacerdotes dignos, vel indignos recuſandi. Author locum legat, & videbit de Epiſcopis ſpeciatim verba fieri, quamuis in citatis verbis vocentur Sacerdotes, & addat: Epiſtolam non eſſe Cypriani ſolius, verùm 36. Epiſcoporũ, eámq. ſcriptã ad incolas Leonis, Aſturiæ, & Emeritæ in Hiſpania, & iungat etiã, ſi libuerit, ep. 14. l. 3. nã inde certior

tior adhuc fiet: & hæ ſunt authoritates quas adferre oportet,non autē prodire cū ſenſu myſtico,præſertim extorto:vt hoc itidē loco,debuerat author integrū textū adferre D.Lucæ,[Quis,putas,eſt fidelis diſpenſator & prudēs,quē conſtituit Dominus ſuper familiā ſuā:vt det illis in tēpore tritici menſurā: ita enim contra authorē facit,cùm hic ſeruus nō poſſit eſſe Generalis quidam diſpenſator bonorū omniū Domini,à quo munus aliud nō habet quàm triticū diſpēſandi, ſuperſūnt adhuc cibi,potus,veſtes, aliáq; adminiſtranda,quorū omniū curā Dominus ei dabit,ſi in particulari illo miniſterio benè ſe geſſerit, ſic enim ait:[Beatus ille ſeruus,quē cū venerit Dominus,inuenerit ita facientem, verè dico vobis,quoniā ſuper omnia quæ poſſidet,conſtituet illum.]Legatur locus, & videatur an aliū ſenſū admittat.Si Pōtifex,aliúſve Generalis diſpenſator, eſſet ſeruus hic fidelis,ſuper omnia conſtitutus,quænā deinde erūt ea quibus præponetur,ſi rectè hoc munere fūgatur? Si dixerit Paradiſum, hîc nullus diſpenſatoris partes ſuſtinet,quàm Chriſtus & Angeli:Sancti Pontifices intrātes in Regnū Cœlorū,præmiū accipiunt à Deo,laborū ſuorū,nec aliud ipſis agendū incumbit, nec eò veniūt cū vllo regiminis titulo: & quod etiā ſequitur,[Quod ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo] &c.ex quo vult colligere,quando præfectus domus Dei,malè ſe gerit, nolle Deū vt à familia puniatur, ſed hoc ſibi ſoli reſeruare, nō benè concluditur in genere de omni Oeconomo:vt nec Proregis exemplum ab Authore allatum, ad rem facit: nam aliud eſt, Patremfamiliâs, abſolutum eius dominum, ipſi præponere diſpenſatorem,aut ipſi familiæ mandari vt illum ſibi eligat, cum ea poteſtate in bona Do-

mini, quam ipſemet præſcribit, & Regem Regni dominum,& ab eo non pendentem, Proregem ipſi præponere,vel eum Regno poteſtatem facere Proregem ſibi eligendi cum authoritate limitata. In primo caſu, familia ius nullum habet in Oeconomum, neque Regnum in Proregem: at in ſecundo, cùm familia poſſit Oeconomum ſibi eligere, eadem etiam de ipſius, & Regnum de Proregis actionibus iudicare poteſt. Quemadmodum Dominus Cardinalis ait, Eccleſiam, eò quòd authoritatem habeat Papam eligendi, aliud non poſſe, quàm vt perſonæ poteſtatem applicet: ita Gerſon ait in ſuo libro de hac materia,Eccleſiam quando Pontificem iudicat, nil aliud facere,quàm quòd authoritatem ab ea perſona ſemoueat. Si Chriſtus conſtituiſſet Pontificem aliquem cum poteſtate ſucceſſorem conſtituendi, & hunc etiam alium, in perpetuum, ſequeretur fortè quod author ait, Eccleſiam in Pontificem ius nullum habere: ſed qui dicit, Deum Eccleſiæ poteſtatem dediſſe applicandi perſonæ authoritatem, tenetur etiam oſtendere Eccleſiam non poſſe eandem authoritatem remouere, Sed communis doctrina, quòd Pontifex ſibi non poſſit eligere ſucceſſorem, apertè monſtrat, ipſum non eſſe Oeconomum primæ illius ſpeciei,à Patrefamilias conſtitutum, ſed ſecundæ, electum à familia,ex Patris præſcripto:& ex hac doctrina Gerſon ſoluit illud.[Paſces oues meas,] aliáq; eiuſmodi omnia Scripturæ loca, videlicet paſtorem ouibus à domino præpoſitum, eis non ſubiici, at ſi darentur oues cum poteſtate ſibi eligendi paſtorem, hic eſſet eis ſubiectus.Fideles in Chriſto,oues referre debent humilitate & innocentia, non ſtoliditate & ignauia,

ignauia,ad bonum paſtorem,authoritate domini,ſibi eligendum, malum verò iudicandum. D.Auguſtinus optima cum ratione declarauit,è ſolo literali ſenſu,non ex interpretatione vlla myſtica,poſſe colligi dogmata: qui caput integrum perlegerit, is & Chriſti,& Euangelij literalem ſenſum videbit: dixit ſuis diſcipulis, ac proinde omnibus Chriſtianis,incipiendo ab iis verbis quæ ſunt in medio capite,[dixitq; ad diſcipulos ſuos,]ne mundana curarēt, quòd ipſis Deus aliud Regnū præparaſſet,ideóq;vigilantes eſſent in bonis operibus,neſciētes qua hora Dominus ſit ad eos vēturus:quod ſi ſciret paterfamiliàs qua hora fur veniret, vigilaret vtique, ideóque & ipſi parati eſſent, quòd ſit Chriſtus venturus, qua hora non putabimus:tunc reſpondit Petrus:Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? dixit autem Chriſtus:[Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, &c.] Innuens ſe cum omnibus loqui: quòd ſi de ſolo Chriſti Vicario hîc verba fiant, oportet eidem ſoli præcepta dari vigilandi,mundana non curādi,aliud Regnum,& improuiſum Chriſti aduētum expectandi: verùm quia eiuſmodi præcepta fidelibus omnibus dantur, hic eſt ſenſus literalis, omnes nempe eſſe diſpenſatores illos, quibus Deus exercendam dedit charitatem erga totam familiam de ea bonorum parte,aut virtute, quā Deus dedit ſingulis, & hæc eſt [menſura tritici,] & qui miniſterium hoc rectè exequetur,ei plura Deus adiiciet. Hæc eſt literalis omnium expoſitio,quamuis nonnulli poſt generalem expoſitionem cum argumento à minori, locum hunc ob peculiarem aliquā conſiderationem referant ad paſtores: hoc præterit author, quod patres omnes cùm referunt illum ad

paſtores, addũt,[quòd ſi cœperit percutere ſeruos, & ancillas, edere, bibere, & inebriari,&c.]& prolixas faciunt digreſſiones circa eiuſmodi errores, & peccata:éſtque hoc,[percutere ſeruos & ancillas],idipſum fortè quod præſẽtibus hiſce occaſionibus videmus: propterea Gerſon haud negabit,hanc parabolam ſicuti omnibus dicitur, & ſpecialem ob cauſam adPaſtores refertur,poſſe etiam ob cauſam ſpecialiſſimã applicari Summo Paſtori, vt ita illi quoque dicatur quòd ſi crapulæ ſe dederit, & proximũ lædere cœperit,venturus ſit Dominus,quando non putabit, cũ nque caſtigaturus:ex quo proinde concludi non poteſt, Pontificem alteri iudicio ſubiectũ non eſſe, alioqui ſequeretur, nullum fornicariũ vel adulterum, iudicari poſſe ab hominibus, quia Hebræor.15. ſcriptum eſt, [fornicarios & adulteros iudicabit Dominus:] imò nullum delictum ab hominibus iudicari poſſet, quia ſcriptũ eſt,] Iuſtũ & impiũ iudicabit Dominus,] Eccleſiaſt.3.nec Iudicẽ vllũ oporteret conſtituere, quia Ioh.5.Saluator dicit, [Omne iudicium dedit Filio.] Non ſunt ita detorquenda Scripturæ loca:accipiuntur prædicta hæc omnia de ſupremo futuri ſeculi iudicio,cui nõ repugnat,vt ſint humana iudicia,tũ politica,tũ Eccleſiaſtica, nec vllus è vulgo nõ intelligit,communes has loquendi formulas Deus iudicabit,Deus caſtigabit, &c. iudicia & pœnas humanas non excludere.Quãobrẽ videmus hũc locũ nil planè facere ad probãdũ Sũmũ Põtificẽ ab Eccleſiæ,& cõſequenter à Cõcilij iudicio immunẽ eſſe. Gerſon autẽ libenter mittens parabolas,literali ſenſu adhæret.Nunc,ad alia argumenta tranſeamus:dicit Author:

Hanc eandem veritatem ex Scriptura deductam, ipſa

ipſa etiam ſacra Concilia confirmant. Cùm Papa Marcellinus, formidine mortis, grauiſſimũ illũ errorẽ, ſacrificando Idolis, cõmiſiſſet, congregatũ fuit Cõciliũ Sinueſſanũ, vt ea de cauſa diſputaretur, totũ autẽ Conciliũ faſſũ eſt, nõ eſſe in ſua poteſtate iudicare Papã, Prima ſedes à nemine iudicatur. Et huius Concilij meminit Nicolaus primus in epiſt. ad Michaelẽ Imperatorẽ. Itidẽ Cõciliũ Romanũ à S. Syluestro conuocatũ, can. vlt. declarat, Primã Sedẽ, quæ Papæ eſt, à nemine iudicari poſſe. Cõciliũ Calcedonẽſe, vnũ ex 4. primis Cõciliis generalibus, in tertia actione dãnat Dioſcorũ Patriarchã Alexandrinũ, vnà cũ toto Concilio Epheſino, quòd Papã Romanũ iudicare auſus ſit. Si igitur primus Patriarcharũ poſt Romanũ, vnà cũ toto Concilio generali, nõ poterat iudicare Papã, manifeſtè ſequitur, Conciliũ nõ eſſe ſupra Papã, aliàs enim ipſum iudicare poſſet. Paulò pòſt, Cõciliũ V. Romanũ ſub Papa Symmacho approbat, ceu propriũ Decretũ, ſentẽtiã illã Ennodij: Aliorum hominũ cauſas Deus voluit per homines terminari: Sedis iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio. Voluit Petri Apoſtoli ſucceſſores cœlo tantùm debere innocentiam. In Concilio octauo generali, actione 7. ita legimus: Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Pręſulibus iudicaſſe, de eo verò neminem iudicaſſe legimus. Paulus Æmylius libr. 3. Hiſtoriæ ſuæ ſcribit, cùm magnum Concilium præſente Carolo Magno, ob res quaſdam Papæ Leoni III. obiectas, congregatũ fuiſſet, omnes Epiſcopos vna voce clamaſſe, nemini licere Summũ Pontificẽ iudicare. Generale Conciliũ Lateranenſe ſub Alexandro III. dum leges de eligẽdo Pontifice ſtatuendæ eſſent, ait, in hac electione

ti die quatuordecim alios qui ab Epiſcopis interrogati,idē dixerūt:ac tertia die examinarint adhuc teſtes quadraginta duos,vt ita teſtium numerus eſſet ſeptuaginta duorum, dictus [libra occidua.] Certum eſt, examen teſtium, eſſe actum iudicialem Superioris, & certum eſt, poſt examen horum ſeptuaginta duorum, Marcellinum in terram, proſtratum, peccatum ſuum faſſum eſſe, & habet textus, Epiſcopos ſubſcripſiſſe in eius dānationē,& dānaſſe eū, & quendam ex ipſis dixiſſe, [Iuſtè ore ſuo condemnatus eſt, & ore ſuo Anathema ſuſcepit Maranatha, quoniam ore ſuo condemnatus eſt, nemo enim vnquam iudicauit Pontificem, nec Præſul Sacerdotem ſuum, quoniam prima Sedes non iudicabitur à quoquam.] Veriſſimū eſt, ſæpiùs dixiſſe illos Epiſcopos, [Iudica cauſam tuam, noſtro iudicio non condemnaberis. Sed quomodo hæc verba debeant intelligi, lectoris iudicio committitur: factū ipſum repugnare verbis videtur.Pontifex negat, Concilium teſtes audit contra ipſum,in eius damnationem ſubſcribit, quid dicendum eſt?Sed quia res qua de agebatur,ad infidelitatem attinebat, non vident Pariſienſes quomodo iuxta præſentem doctrinam,ad Concilium non ſpectaret:& ſi illud [Prima ſedes à nemine iudicabitur],intelligatur in materia hæreſis, præſenti doctrinæ aduerſatur,ſin intelligatur in aliis cauſis,non conueniet illi Concilio.Magnum aliud dubium ex illis actis oritur.Diocletianus ipſe Marcellinum ad ſacrificandum inducit, ſeptuaginta duo teſtes ad ferendum hac de re teſtimoniū conueniunt, Concilium Sinueſſanum conuocatur, durat per triduum, tandémque dicitur, cùm Diocletianus eſſet in bello Perſico,monitus fuit 300 E-

piſcopos, 30. Preſbyteros, & tres Diaconos ſimul conueniſſe, & in ſubſcribenda ſententia, Marcellinũ primum omnium Anathema ſuũ ſubſcripſiſſe: magna celeritate Diocletianus iuit in Perſiam: & eò magis augetur dubium quòd ex mandato ſpeciali Diocletiani videatur interiiſſe.

Præterea Marcellinus excommunicatus fuit, actis ita referentibus, fuitque ſubſcriptum à ſe anathema, & ab Epiſcopis. A quo fuit excommunicatus? à ſeipſo minimè: Scholaſtici hoc Pontifici non concedunt. A Cõcilio minimè, quod non iudicauit ipſũ, ait Author: à quo igitur? Si quis dicat à iure, quis Canonem conſtituit? Pontifex, an Cõcilium? nemo Canonem conſtituere poteſt, ob cuius tranſgreſſionem ipſemet excommunicetur, nec poteſt inferior aliquis Canonem ſtatuere, qui Superiorem obliget: Marcellinum ſententiam Anathematis ſubire conſtat, id verò non à ſeipſo, quis eam in ipſum tulit, ſi Concilium hac in re ſaltem, Superioris vicem non gerat? contradictionem quæ inter rem ipſam & verba conſpicitur, tollere nequeo. Duo ex illis actis certa eſſe videntur, alterum Epiſcopos dixiſſe Marcellino, ſe ipſum iudicaret: alterum, Marcellino errorẽ ſuum recuſante, ipſos introduxiſſe, vocaſſe, & examinaſſe teſtes, ac deinde Marcellinum excommunicatum fuiſſe: res quas non facilè quis compoſuerit, ſed tamen quæ, cùm non fuerit Concilium generale, vt vt ſe habeant, Pariſienſibus non aduerſantur.

Adfert ſecundo loco Concilium Romanum ſub Syluestro, vbi can. vltimo declaratur primam Sedẽ, quæ eſt Papæ, à nemine iudicari poſſe: huc prædictũ Canonem integrum adferri neceſſum erat, oſtendit enim quomodo intelligatur, primã ſedẽ à nemine

iudicari

iudicari poſſe,ſiquidem ait:[Nemo iudicabit primã ſedem,quoniam omnes ſedes à prima ſede iuſtitiam deſiderant temperari: neque ab Auguſto, neque ab omni clero,neque à Regibus,neque à populo iudex iudicabitur:] in hunc Canonẽ dicunt Theologi Pariſienſes, neminẽ ideò iudicaturum primam ſedem, quia omnes aliæ ſedes ab ipſa iuſtitiam expectãt:ſed omnes ſedes ſimul congregatę,videlicet Concilium generale,non poteſt de iuſtitia diſceptare cũ alia ſede,ergo iuſtitiam à prima nõ expectat:verũ ſedes omnes ab inuicem ſeiunctæ,litẽ inter ſe habere poſſunt,cuius ratione prima ſedes intelligitur eſſe ſuprà omnes alias ſedes particulares,& non ſimul congregatas, iuxta illud,quod Conciliũ Cõſtantienſe præallegatũ dicit articulo 41.cõtra Vuicleſũ: & aiũt Pariſienſes,vbicunque reperitur,[Prima ſedes à nemine iudicatur,]intelligi[à nulla alia ſede particulari.] alij magis pręciſè reſpõdent,Canonẽ illũ nõ intelligi de Sede Romana,ſed de ſedibus omnibus Patriarchalibus,quia Nicolaus primus Pontifex in epiſt.ad Michaelẽ Imperatorẽ,eum citat pro Eccleſia Ieroſolymitana: atque hæc epiſtola multæ fidei debet eſſe apud Authorem, qui citat eã in hoc textu:ideóque non debuerat author cõtra mentem Nicolai primi, nominare primam ſedẽ,ac de ſuo addere verba illa, [quæ eſt Papæ,]Nicolaus enim intelligit eſſe ſedem cuiuſlibet Patriarchæ. Author ipſe non dubitabit quin Patriarchæ à Concilio generali iudicari poſſint, ergo Canon ille non obſtat quominùs Pontifex Concilio ſubiectus eſſe poſſit, vt Gerſon cenſuit. Inſuper alij quoque mirantur, cur in Actis eius Concilij, dicatur illud à Sancto Syluestro conuocatum fuiſſe, Conſtantini conſilio, qui primus

baptizatus fuit,& ſub finem, poſt Canonem præal-legatum,dicatur, hoc contigiſſe tertio ipſius Conſulatu. Tertio igitur conſulatu Cõſtantinus baptizatus fuit:ſed in cap. Conſtantinus 96.diſtinct. baptiſmus Conſtantino adſcribitur quarto eius conſulatu,quæ ſibi contradicere videntur.

Addunt præterea, Illuſtriſſimum Cardinalem Baronium falſitatis conuiciſſe dictum ca. *Conſtantinus*, quo refert celebratum fuiſſe illud Concilium quarto Conſtantini conſulatu cum Gallicano, idque authoritate Ammiani Marcellini, cùm tamen Conſtantinus nunquam conſul fuerit cum homine priuato: quæ ratio facit contra hoc Concilium, quod ſub finem celebratũ eſſe dicitur, Conſtantino Auguſto tertiò, & Priſco Conſule: ergo ex ratione Cardinalis Baronij, Concilium illud Romanũ prò vero habendum non erit, Notant etiam particularia quædã in eo Concilio licet minoris momenti, v.g.quod Cõſtantinus vocetur Dominus vocabulo non niſi poſt aliquot annorum centena vſitato: atque etiam videatur dici quòd[prima ſedes non iudicabitur neque à Regibus,] ac ſi Rex aliquis timẽdus fuiſſet iis temporibus, qui obtinuiſſet Imperiũ in Italia,ſiquidem erant omnes trans Danubium,& Euphratem, & minimè Chriſtiani: prætereà in ſecundo eius Concilij Canone, in præſcriptionibus Eccleſiaſticis, à lectore ad Sacerdotem ſpatium conſtituitur annorum quinquaginta quinque.

Tertio loco profert authoritatem Concilij Calcedonenſis,quod in actione tertia Dioſcorum damnat, quia ſibi arrogauerit vnà cum toto Concilio ſecundo Epheſino,vt Pontificem Romanum iudicaret:inferens, Si primus Patriarcha, poſt Romanum;

num, vnà cum Generali Concilio, Pontificem nequit iudicare, Concilium non eſſe ſupra Pontificem. Ad hoc paucis reſpondent Pariſienſes, ſecundum illud Concilium Epheſinum, quod author noſter Concilium generale vocat, conciliabulum fuiſſe,& voce admodum infami, Prædatorium cognominatum: ideò in tertia illa actione Concilij Calcedonenſis ab authore citata, non modò condemnatur Dioſcorus, quòd Leonem excommunicarit, ſed quòd Eutichen ab Epiſcopo ſuo excommunicatum ad Communionem admiſerit, quòd Flauiano Conſtantinopolitano vim intulerit,& ob multa alia delicta, ſed maximè ob contumaciam quam ea ipſa die aduerſus Concilium patefecit.

Si quis hinc inferret,Concilium igitur non poſſe condemnare Patriarcham Conſtantinopolitanum, minimè ſequeretur: at valet hæc illatio, Ergo nullũ Concilium Prædatorium damnare poteſt Patriarcham Conſtantinopolitanum, quòd veram fidem Catholicam profiteatur: itidem,Ergo nullum Conciliũ poteſt pro hereſi cõtra Pontificem agere, quòd doceat Fidem Catholicã. Alij quidã notant, multas querimonias contra Dioſcorũ.actione illa tertia adductas fuiſſe,tam voce ab his qui aderant quàm ſcripto ab abſentibus,cùm interim Dioſcorus à Concilio quidem, ſed non à ciuitate abeſſet: ideò Concilium ter illum citauit,ipſóque Dioſcoro ſemper renuente,tandem condemnatus fuit. In eo condemnando Epiſcopi 186. ſuffragia ſua tulerunt, quæ omnia formaliter extant in Actis ſcripti illius Concilij. Legati PapęLeonis dixerunt,Dioſcorum, ſibi cõtra regulas primatum arrogando, Eutichem admiſſ-

ſe,nec Leonis epiſtolam voluiſſe prælegi Flauiano, ipſúmque ob hæc errata veniam poſſe conſequi: verùm quòd Leonem magnæ Romæ Archiepiſcopum auſus eſſet excommunicare, quódque accuſationes complures multorum ſcelerum aduerſus eundem in hoc Concilio adductæ eſſent, nec ipſe ter citatus obedire voluiſſet, ideò Papam Leonem ſua ipſorum & Sanctæ Synodi operâ, vnà cum B.Petro Apoſtolo, Dioſcorũ Epiſcopali dignitate abdicare, Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus dixit: Eiuſdem & ego ſum ſententiæ, ac Dioſcori condemnationi ſubſcribo, quia contumax fuit aduerſus citationem, ſed de Leonis excommunicatione nihil dixit. Maximus Antiochenus, Aſſentior, inquit, exaugurationi Dioſcori, cum Leone Romano,& Anatolio Conſtantinopolitano, quòd præter alia citatus non comparuerit. Sequuntur poſteà 184 Epiſcoporum ſententiæ, quorum alij dicunt: Condemno Dioſcorum quia fuit contumax: alij, Condemno Dioſcorum iuxta ſuffragia trium Patriarcharum: alij, Condemno Dioſcorum iuxta ſuffragiũ Anatolij, ex his colligũt Pariſienſes Dioſcorum exauguratum fuiſſe à Concilio, propter commiſſa multa delicta, ob quæ citatus non comparuit. Romanos verò Papæ Leonis excommunicationem inter cauſas attuliſſe, ac ſuffragium illud à nonnullis probatum fuiſſe, non eſt hęc generalis Concilij ſententia,& hoc, vt ipſis videtur, euidentiùs probant: quia denunciatio ſententiæ Dioſcoro facta, non reperitur in actis eius Cõcilij, ſed Euagrius eam refert l.2. cap. 18. vbi condemnationis cauſæ recenſentur, abſque vlla excommunicationis Leonis mentione: verba ſunt Euagrij: [De his per literas à Conci-

Concilio referebatur ad Martianũ,& abdicatio per idem Concilium miſſa fuit Dioſcoro, quæ ita ſe habet:ſcito te, tum quòd diuinos Eccleſiæ Canones contempſeris: tùm quòd Sancto huic & Generali Concilio minimè obtemperaueris: tum propter alia multa crimina prætereca, quæ commiſiſſe deprehenſus es,tùm quòd tertiò vocatus à Sancto hoc & celebri Concilio, vt illis quæ ſunt tibi obiecta, reſponderes, non veneris: ſcito,inquam,te propter iſta omnia à Sancto & Generali Concilio, tertio Idus iſtius menſis Octobris,Epiſcopatu abdicatum eſſe,& ab omni iure Eccleſiaſtico penitus abalienatum. Quibus verbis in commentarios relatis, miſſiſque &c.]Addunt prætereà Pariſienſes,vt probent Concilium Calcedonenſe aliud ſenſiſſe quàm Author ipſi tribuat,in prima actione, congregatis Senatoribus,& Epiſcopis, coram Imperatrice,ſedente Imperatore, & Senatu in medio Eccleſiæ, & à parte ſiniſtra Legatis Pontificis cum Anatolio, & Epiſcopis ſibi ſubiectis:à dextra,Dioſcoro Alexandrino, Iuuenali Ieroſolymitano cum propriis Epiſcopis: Legatos Pontificis in medium Concilij prodiiſſe,dixiſſéque ſe in mandatis habere à Pontifice Ciuitatis Romanæ, quæ eſt omnium Eccleſiarum caput, ne Dioſcorus intereſſet Concilio, petere itaque vel vt Dioſcorus exiret, vel ſe exituros. Iudices & Senatum petiiſſe quid obiiceretur Dioſcoro:reſpondiſſe vnum Legatorum, ipſum conuocaſſe Concilium ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ: aliũ legatũ dixiſſe,ſe mandata Beatiſſimi Papæ tranſgredi nõ poſſe:aliũ itẽ eorũ,ſe tantã iniuriã ferre nõ poſſe, vt ſederet is quem iudicari oportebat.Iuſſiſſe Iudices, vt ſederet Dioſcorus, omnéſque ſua loca

occuparent. In vltima item actione ſedentibus omnibus Patribus ac Iudicibus, referunt Legatos Papæ Leonis à Iudicibus loquendi veniam petiiſſe, qua conceſſa, ſic loquutos eſſe: Heri, poſtquàm exiuiſtis, vóſque ſubſecuti fuimus, quædã in Concilio acta fuêre, quæ putamus eſſe cõtra Canones, diſciplinámque Eccleſiaſticam, vnde petimus hæc denuò legi, vt videant omnes an iuſta ſint: tunc iuſſiſſe Iudices vt legerentur, ac fuiſſe lectum Canonem, vbi habetur, antiquos Patres Sedi Romanæ veteri magna priuilegia conceſſiſſe, ob Ciuitatis illius Imperium: ac ideò etiam ſecundum Concilium Conſtantinopolitanum ſimilia priuilegia conceſſiſſe Sedi Conſtantinopolitanæ, nouæ Romæ, quòd nempe ęquum eſſet Ciuitatem Imperio & Senatu ornatam, iiſdem frui priuilegiis quibus Roma vetus, eandémque in rebus Eccleſiaſticis Maieſtatem obtinere: eſſéque ſecundam ab ea: perlecto verò Canone cum ſubſcriptionibus, dixiſſe vnum Legatorum, Videte qua aſtutia cum Sanctis Epiſcopis actum ſit, vt Canones commemoratos, non exhibitis eorum exemplis, ſubſcribere coacti ſint: tunc Epiſcopos exclamaſſe, neminem fuiſſe coactum, & progreſſa cõtentione, Iudices determinaſſe vt vtraque pars Canones proponeret. Lecto Canone ſexto Concilij Niceni à Conſtãtinopolitanis, lectionem diuerſam fuiſſe, eò quòd in illo quod Romani legerunt, adfuerint initio verba hæc, [quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum,] quæ in aliis exemplis nõ reperiũtur: lecto poſteà Canone Concilij Conſtantinopolitani, Epiſcopos ſermones varios habuiſſe: ac tandem Iudices ſentẽtiam petiiſſe ab Epiſcopis, qui ceu iuſtum, quod determinatum erat, probarũt:

vnum

Google

vnum verò Legatorum Romanorum cum proteſtatione poſtulaſſe, vt vel decretum illud abrogaretur, vel contra hoc ipſius proteſtatio notaretur. Iudicet itaque Lector, quid ſentiret Concilium Calcedonenſe de ſuperioritate Pontificis.

Quod attinet ad Cōciliū Romanū Symmachi,nō negāt Pariſienſes, Romanos Pōtifices exiſtimaſſe ſe à nemine iudicari debere: & Concilia Prouincialia Romæ ab ipſis celebrata, idē cōfirmaſſe: at verò dicunt nullū vnquā Romanū Conciliū, neque hoc V. neque aliud, ſpeciatim pronūciaſſe, Pontificē à Cōcilio generali iudicari nō poſſe: & quū aiūt Pōtificem à nemine iudicari poſſe,ſic intelligere, vt à nemine iudicari poſſit, qui generalem authoritatem in Eccleſia non habeat: cùm enim Pontifex authoritatē generalē obtineat, æquū non eſſe vt ab aliquo priuatę authoritatis iudicetur:qua etiam ratione reſpondent ad hiſtoriā quā author citat de Leone III. Verū hîc addere cogor aliquid de meo:Paulus Æmylius lib.3.ſuæ hiſtoriæ, hoc factum narrat,vbi tamen nō inuenietur eū dicere,[cùm magnū Epiſcoporū Conciliū congregatū eſſet,]quod author ipſi tribuit.Simpliciter ait,primò Carolum miſiſſe Romā Leonē, cum multis Epiſcopis,nobilibúſque ſecularibus, ſe verò alibi commoratū eſſe ob negotia publica: deinde iuiſſe Romam,& illic audiuiſſe accuſationes contra Pontificē, iiſque diligenti examine perpēſis, petiiſſe ſententiā ab Epiſcopis,qui reſpōderunt, æquū eſſe, Pontificē ſemetipsū iudicare, túmque lætatū Carolū quòd ab eo iudicio ferēdo liberatus eſſet. Legat author locū diligētiùs,& videbit nullā Cōcilii [illegible] fieri,ac fuiſſe id potiùs conuocationē [illegible] in qua erāt & ſeculares

& Epiſcopi,ipſóſque Epiſcopos Pontificis cauſę fauiſſe. Meminerit etiã Author, ſe Decreto Conſtantienſi obieciſſe,quòd pręuia diſcuſſio facta non fuerit,nec tanti faciat quod à nonnullis Epiſcopis pro facto quodam peculiari, improuiſo conuocatis, dictum fuit:nam fortè cùm ipſis nota eſſet Pontificis innocentia, hyperbolicè loquuti ſunt, non tamen (inquiet Gerſon)in præiudicium Conciliorũ generaliũ,quæ vniuerſalẽ Eccleſiã referunt,& vniuerſalẽ authoritatem obtinent. Sed videas lector,authoris noſtri artificium, ſic dicentis: Concilium Romanum V.ſub Papa Symmacho, approbauit, ceu proprium Decretum,illam Ennodii ſententiam, [Aliorum hominum cauſas &c.]Nuſquam in eo Concilio reperietur illam ſententiam ſpeciatim probatam, imò nec memoratam fuiſſe: reperietur quidem iuſſiſſe Concilium vt afferretur libellus ab Ennodio ſcriptus contra eos qui aduerſus quartam Romanam Synodum murmurauerant, eóque lecto, Concilium dixiſſe, Habeatur hic liber ab omnibus [integerrimè ſynodaliter,] & reponatur inter actiones noſtrarum Synodorum,quartæ & quintæ,& habeatur vt alia decreta Synodalium actionum, quia ſcriptus eſt & confirmatus authoritate Synodali, Papam verò Symmachum reſpondiſſe, Fiat ſecundum voluntatem veſtram, & numeretur inter Apoſtolica decreta, ac pro tali habeatur. Hîc dicunt Pariſienſes, ſciendum eſſe, per Decreta Synodalia, vel actiones Synodales, vel Decreta Apoſtolica, non intelligi Canonem, qui articulum determinet, tanquam de fide: ſed omnes Pontificis alicuius epiſtolas digeſtas in Cõmentarios, decreta vocari illius Pontificis, & in Conciliorum libro, vni-

vnicuique Pontifici inſcribi, *Decreta PP. N.* deinde referri electionem eius, vitam, & Epiſtolas, ſi quæ fuerint: imò & in ipſis Conciliis, eorum actiones multa colloquia etiam improuiſa continere, & interdum epiſtolas diuerſorum, quæ omnia non ſunt de fide, nec ab vllo talia habentur. Nullus eſt qui Pontificum epiſtolas dicat eſſe de fide, præſertim ante Siricium, nec id omne quod continetur in tot narrationibus actorum Epheſini Concilij Calcedonenſis, aliorúmque ſequentium. Recipiuntur Conciliorum determinationes, quæ in antiquis, ſunt ad ſummum vna aut altera, cùm actiones ipſæ quadraginta, vel quinquaginta folia contineant. Quod ſpectat ad Pontificia Decretalia, res tantùm continent, vt plurimùm, ad fidem non attinentes: interdum in magna epiſtola vnicus erit articulus, vt in celebratiſſima & ſanctiſſima epiſtola Diui Leonis ad Flauianum. Quocircà magnum eſt diſcrimen dicere approbatam fuiſſe aliquam Ennodij propoſitionem, quòd ſignificaret eam approbatam fuiſſe vt articulum fidei: & approbatum fuiſſe librum Ennodij, quod nil aliud ſignificat, quàm bonum eſſe librum, & in bonum finem conſcriptum, non autem quicquid in eo continetur eſſe de fide: & ad huius reſponſi confirmationem obiici poſſet authori, hunc librum conſtare multis foliis impreſſis & vltra ducentas propoſitiones continere, inter quas ea eſt quam author adfert: petitur itaq; an velit vt omnes ſint de fide, & aliqua oſtendetur ei minimè talis: quòd ſi nõ omnes admittat tanquam de fide, cur vult hanc eſſe de fide, non

autem alias? credidit ſe vitare obiectionem, dicendo vnicam Ennodij ſententiam approbatam fuiſſe: loquamur ingenuè, approbatus fuit libellus, in quo reperitur inter multas hæc ſententia, ideóque non magis aliis approbata, non igitur magis hæc erit de fide quàm totus liber.

Notant quidam, Concilium illud quartum, Palmare dictum, conuocatum fuiſſe vt finis imponeretur accuſationibus contra Papam Symmachum, quæ non erant de rebus ad ipſius dominium attinentibus, ſed de rebus propriis perſonalibus, de adulteriis Ec. vt rectè deducit Dom. Cardinalis Baronius, vnde Ennodius intellexit eiuſmodi delicta iudicio Diuino committi debere, quod etiam admittit Gerſon, & quiſquis ipſius opinionem ſequitur: hoc autem eſſe verum, inde conſtat quòd in iis ipſis Actis Concilij V. vbi liber Ennodij fuit approbatus, Papa Symmachus, poſt gratias actas Patribus pro ſuſcepta ſui defenſione, ſequitur ipſum præcipere vt in poſterum eiuſmodi res obſeruentur, non ſolùm in Præſule Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam in omnibus Epiſcopis Chriſtianis: qua de re conſtituenda non ſunt noua Decreta cùm extent antiqua, ne ſcilicet oues Paſtorem ſuum poſſint arguere, niſi in Fide errare deprehendatur, nec eum vllius rei quàm iniuſtitiæ accuſare. Ennodij ſententia nimis latè patet, ex ea namq. Pontifex videretur humano iudicio minimè ſubiectus, etiam propter hæreſim, cùm abſolutè dicat, eum in omnibus cauſis ad Dei iudicium reſeruari. Ideóque prudenter Papa Symmachus, poſtquàm dixiſſet ſe idem Epiſcopis tribuere, iuxta Canones antiquos, hæreſis & iniuſtitiæ caſus excepit: & ne pluribus agamus, Ennodij liber in-

ber inter ApoſtolicaDecreta relatus,ita inſcribitur, [In Nomine Patris,& Filij,& Spiritus S. præfatio Ennodij &c.] *& infrà*, [Compoſitus eſt autem aduerſus eos qui contra Synodos ſcribere præſumpſerant,vt nec de Apoſtolicæ ſedis præſule,aut quouis alio Epiſcopo,talia à quoquam præſumantur, qualia de Papa Symmacho præſumpta fuerunt.]

Hac de cauſa Pariſienſes dicunt, hunc locum facere ad probandum Gerſonis doctrinam, nec vllo modo ei aduerſari. Credendum omnino eſt Authorem ceu doctiſſimum, argumenti debilitatem agnouiſſe,nam aut hiſtoriæ, aut Synodi Palmaris, aut approbationis totius libri Ennodij, aut extenſionis cauſæ Symmachi ad omnes Epiſcopos planè non meminit,imò nec vllam concluſionem è citato loco deducere voluit.Quod ad Octauum Concilium,expediret Authorem ad hæc verba, (legimus in actione ſeptima) addidiſſe cuius fuerint verba illa quæ legit : etenim verba ſunt Adriani Papæ Romani,in Romana Synodo prolata, & vnà cum aliis multis prælecta, ſuper quæ tamen Concilium nihil determinat:ſed in Canonibus eiuſdem Concilij 8.à dicto Papa determinatis, legimus hæc verba:[porrò ſi Synodus vniuerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Eccleſia quædam ambiguitas,& controuerſia, oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de propoſita quæſtione ſciſcitari,& ſolutionem accipere,aut proficere,& profectum facere, non tamē audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.]

Sequitur aliud argumentum ex Concilio Lateranenſi,ſub Alexandro tertio deſumptum, cap.

[licet de electione,] vbi cùm Decretum ferendum eſſet de modo eligendi ſummum Pontificem habetur, in hac electione peculiari quadam diligentia eſſe opus: nam ſi erretur, non poſſe deinde recurſum haberi ad vllum Superiorem, quòd nullus ſit in terris Papa Superior. Addidit author de ſuo hæc verba,[quòd nullus ſit in terris Papâ Superior,]quæ ſunt nimis ſignificantia: dicit tantùm caput Concilij non poſſe haberi recurſum ad Superiorem: nuda Concilij verba referre ſufficiebat, nihílque addere de ſuo, cùm illud ipſum dicat Concilium quod eſt in controuerſia. Sed hic locus facit contra authorem noſtrum, ſuperiùs enim toties dixit, Papam dubium Concilio ſubiectum eſſe, multóque magis ſubiectus erit Papa intruſus: quum itaque dicitur, ſi erretur in electione, nullum eſſe Superiorem ad quem recurratur, non intelligitur, Concilium non eſſe ſuperius, imò tum ex ipſius authoris, tum ex communi ſententia, quoties in electione adeſt difficultas, iudicium eſt penes Concilium: hoc igitur innuit dictũ cap. licet, non eſſe aliquem Superiorem actu & reipſa, quia nempe Concilium non ſemper eſt congregatum: ex hoc videre eſt, authorem contra mentem propriam addidiſſe,[quòd nullus ſit in terris Papâ Superior:] nam quando erratum eſt, vel periculum eſt ne erretúr in electione, ipſemet affirmat eſſe aliquem in terris Papâ Superiorem, hoc eſt Concilium.

Ad Lateranenſe Concilium Dominus Cardinalis Bellarminus lib.2. de author. Concil. cap. 13. dicit, illud hanc controuerſiam diſertiſſimè diffiniuiſſe

niuiſſe:at quia nonnulli dubitant an fuerit generale, ideò manere adhuc quæſtionem inter Catholicos:& cap. 17. (ignoratur. an vt ſibi contradicat, vel vt idem confirmet)ait,dubium eſſe, an prædictum Concilium rem hanc diffinierit, ceu decretum de Fide Catholica. Propterea ſuperfluum videtur, authoritatem adferre contra Gerſonem, quæ tot ambiguitates (ex ipſamet illius doctrina qui hanc citat)patiatur, cúmque de authoritate illius Concilij atque etiam de diffinitione dubitetur. Sed Dominicus Sotus perſpicuè loquitur,ſiquidem l. 6.de iuſt. & iur.q.1.a.6. diſputat contra Montes Pietatis,quos in eo Concilio approbari conſtat, his verbis, [Sacro approbante Concilio declaramus,& diffinimus, Montes Pietatis, &c.]iubétque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ne quis verbis, ſcriptíſve contra eos diſputare audeat: videns autem prædictus Sotus quantùm hoc aduerſaretur ſuæ opinioni eos damnanti, reſpondet, non omnia eius Concilij acta vel admitti vel in vſu eſſe. Sed præterea dicunt Pariſienſes, ei Concilio nunquam interfuiſſe 100 Epiſcopos, ſpeciatim verò in 2. illa ſeſſ.quam author hîc citat, comprehenſis Aulicis, & aliis titulum habentibus ſine diœceſi adfuiſſe 64. Epiſcopos, omnes ferè è locis Romæ circumiacentibus. Addunt inſuper non poſſe Concilij cuiuſpiam determinationem appellari, quicquid incidenter in aliquo decreto dicitur extra rem præcipuam diffiniendam. Verùm Bulla,de qua ſermo eſt,vult ſolùm pragmaticam abrogare, & hæc eſt Decreti ſumma:quòd autem in ea abroganda, reſpondeatur iis

qui hanc tuebantur [1] ope Concilij Baſilienſis, dicatúrque Concilium illud ab Eugenio tranſlatum fuiſſe, ideóque nullius eſſe momenti, quòd Pontifex transferre poſſit Concilia, vt qui in hac authoritatem habeat, hoc ad illius Bullæ eſſentiam non attinet, ſed eſt rationis contrariæ ſolutio, ac propterea diffinitio non eſt: vnde rectè Dom. Cardinalis Bellarminus, in ſecundo loco allegato, id reuocauit quod in primo dixerat, nempe Concilium illud diſertiſſimè diffiniiſſe, dixítque dubium eſſe an ſit illa diffinitio. Communis eſt omnium Theologorum ſententia, rationes ipſas quæ in aliqua diffinitione adducuntur, non intelligi diffinitas eſſe. Et mirum hoc eſſet, ſi in decreto conſtituendo de re particulari, cuiuſmodi eſt pragmaticæ reuocatio, quæ non eſt res de fide, incidenter diffiniretur articulus fidei, adeò vt præcipuus articulus non eſſet de fide, acceſſorius verò neceſſariò eſſet de fide.

Addunt prætereà Pariſienſes eo loco ad probandum Pontificem Romanum authoritatem habere ſupra Concilia, pluſquàm 15. hiſtorias, ac tandem Aimari librum de Synodis, ideóque dicendum omnes illas hiſtorias eſſe de fide: cùm apertè oſtendant Pariſienſes, nonnullas ex illis hiſtoriis bona fide relatas, contrarium aſſerere: ſed prolixum nimis eſſet tot particularia huc adferre. Nonnulli etiam reſpondent, Bullam non dicere Pontificem habere authoritatē ſupra Concilia, ſed conſtare ex diuinis literis, & ex dictis Patrū, Pontificū Romanorum, Canonum & Conciliorū, Pontificem Romanū authoritatem habere ſupra Concilia generalia: vnde non præſumitur hoc eſſe verum, niſi quatenus inde

inde conſtat: quare neceſſe eſt priùs vt id conſtet, ſacrarum literarum, dictorúmque Patrum ſenſum videre: cùm id non afferat Concilium ex ſe ipſo, ſed quatenus conſtat ex ſacris literis, & aliis allegatis.

Alius quidam Doctor dubium mouet multò maius, haberi ſcilicet initio illius Bullæ Concilij, quòd Chriſtus [Petrum eiúſque ſucceſſores Vicarios ſuos inſtituit, quibus ex libri Regum teſtimonio, ita obedire neceſſe eſt, vt qui non obedierit, morte moriatur:] quod ſi ſit articulus fidei, valdè ſe uerum eſt omnem ad mandata Pontificis inobediẽtiam morte puniri: ac ſanè Mundus articulum hunc non admiſit, nec fortè admittet vnquam. Subdit poſteà idem Doctor, ſe non poſſe capere quomodo tot annis antequàm eſſet Papa, de ipſo in libris Regum fiat mentio, addens ſe totos quatuor libros Regum perlegiſſe, nec tale quid vnquam inueniſſe. At mittamus authoritatem huius Concilij, ſiquidem doctores qui Gerſonem ſequuntur: eam non admittunt: & octo reſponſionum allatarum vnaquæque ex ſe ipſa ſoluit argumentum.

Poſtremò author adfert, Achillis loco, rationem in verbo Dei fundatam, dicens:

Sed videamus an ipſa ratio in verbo Dei fundata, hanc eandem veritatem confirmet. Eccleſia ſancta, non eſt Reipub. Venetæ, Genuenſi, aut ciuitati cuipiam ſimilis, quæ Duci ſuo Imperium quod placet, indulget, vnde naſcitur vt Reſpublica Principe ſuperior ſit. Nec ſimilis eſt Regno terreno, in quo populus authoritatem transfert in Monarchas, vt tamen à dominio Regio quibuſdam in caſibus liberari queat, & redire ad regimen Conſulare, Romanorum exemplo, qui à dominio Regio ad regi-

men Conſulare deuenerunt. Eſt enim Eccleſia Chriſti, Regnum perfectiſſimum, Monarchia abſoluta, & à populo nec dependens, nec originem trahens, ſoli voluntati & imperio diuino ſubiecta. Ego autem, ait Chriſtus Pſalmo 2. conſtitutus ſum Rex ſuper Sion montem ſanctum eius. Et Angelus ſanctus, ait ad Beatam virginem Lucæ 1. Dabit ei Dominus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis. Et ſexcentis aliis in locis habetur idipſum. Hoc regnum independens eſſe ab hominibus, oſtendit Chriſtus, quum ait: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, Ioh. 15. Et hoc ipſum nos aliquando profitebimur, dicentes, Feciſti nos Deo noſtro Regnum, Apocal. 5. Et hæc eſt cauſa, quòd hoc regnum in ſcripturis familiæ aſſimiletur: Quis eſt ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, Matth. 24. Paterfamilias enim non dependet à familia, neque ab ipſa authoritatem acquirit. Cùm igitur hæc veriſſima ſint, neceſſaria conſequentia concluditur, Vicarium generalem Chriſti, non dependere ab Eccleſia, ſed à ſolo Chriſto, à quo omnis eius authoritas deriuatur: quomodo videmus in terrenis regnis Proregem non habere poteſtatem à regno, ſed à Rege, nec iudicari aut puniri poſſe à populo, ſed ſolùm à Domino. Vides igitur quantopere deceptus ſit Gerſon, & qui eũ ſequitur, ſe ipſum decipit, & ſacris literis, Conciliis, nec non manifeſtis rationibus aduerſatur.

Videbis hîc, Lector, mirabile artificium, quo author te à Chriſto Summo Pontifice æterno, deducere vult ad Summum Pontificem temporalem, & vbi relationem ſtabilierit, S. Eccleſiæ ad Diuinam

Maieſta-

Maieſtatem,concludet poſteà de relatione ad Papam.Reſpondent Pariſienſes,hanc eſſe Catholicorum doctrinam,Deum nempe vocaſſe ad fidem & cultum ſuum Eccleſiam,eique Chriſtum,caput perpetuum præpoſuiſſe,qui primò mortalis, in terris eam regeret præſentia corporali,ſed in Cœlum euectus eam regeret interiore quodam influxu &inuiſibili præſentia ad finem vſque Mundi: hoc ſignificat,[ego autem conſtitutus ſum rex ab eo:] hoc item[Dabit ei dominus ſedem &c. & regnabit in æternum:]& illud,[nō vos me elegiſtis,ſed ego elegi vos.]Hoc regnum eſt Apocalypſ. [& feciſti nos Deo noſtro regnum ,] is Chriſtus eſt Paterfamilias,qui dominus eſt familiæ,ipſa verò illius filia & famula,quam,quia ex hominibus viſibilibus componitur, voluit ipſe Pater ab homine quoque viſibili regi,cuius authoritatem limitauit,& vnum etiam conſtituit antequàm Eccleſia fundata eſſet: ſed reliquo tēpore poſt eam fundatā , reliquit in terris poteſtatē eligendi ſucceſſorem.Nunc autem ex hac doctrina,quā author,ſcio,admittet, imò ſine hac neminē eſſe Catholicum dicet,reſpondetur ad eā rationem , quòd ſcilicet Eccleſia non ſit vt Reſpub. Veneta,aut Genuenſis, quæ duci ſuo authoritatem quā vult,indulget:neq; Regnū,quod regiminis formā immutare poſſit,aut inuiſibiliter aut viſibiliter, Chriſtus.n.formā præſcripſit:neq; etiā Galliæ Regno ſit ſimilis in quo Reges ob regiū ſanguinem hæreditario iure ſuccedunt , nec, vt alia quædam Regna , quæ transferuntur teſtamento : ſed quod ad regimen interius ac merè ſpirituale, nulli eſt ſimilis, habet enim Regem perpetuum, & immortalem:in regimine viſibili, miniſtrū habet quo ad

authoritatem,à Chriſto inſtitutum,& independentem ab Eccleſia,quo ad applicationem authoritatis ad peſonam,electiuum, & ab Eccleſia dependentem:quum igitur citat[Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo:dauit ei Dominus:non vos me elegiſtis: feciſti nos Deo noſtro regnum:] hæc omnia loca, & eiuſmodi alia de Regno intelliguntur inuiſibili, ſpirituali &interiore,vbi Papa nullũ obtinet imperium,ſed Saluator ſolus,qui corda nouit, & in ea poteſt infundere,eiſque concedere dona, ob quæ homines cœleſtis Ieroſolymæ ciues fiunt. Chriſtus etiam eſt ille Paterfamilias, qui ab ea nõ dependet: Summus Pontifex eſt ſeruus familiæ, præpoſitus à Patre quo ad authoritatem, ſed quem familia ſibimet præpoſuit quo ad electionem perſonæ: & authoritas quidem eſt à Chriſto, applicatio verò ab Eccleſia.Sed author Eccleſiam facit familiam à Patre dependentem,quem fatetur eſſe Chriſtum, & poſtquam hoc poſuit,concludit Patrem non pendere à familia, nec ab ipſa propriam authoritatem habere,igitur(inquit) Papa ſubiectus eſſe non poteſt Eccleſiæ:& à Patrefamilias,qui Chriſtus eſt, trãſit ad diſpenſatorem electum ab ipſa familia, qui Papa eſt. Maneat in ſimilitudine, nunquam enim reperiet in Euangelio, Patremfamilias alium dici, quàm Deum Patrem,aut Chriſtũm naturalẽ ipſius filium.Miniſter eſt ſeruus,quod Deo proprium aliis non eſt tribuendum,propterea exemplum magnopere Gerſoni inſeruit,vt etiam valdè eidem fauet Proregis exemplum,quod ab authore adfertur: Si quis Galliæ Rex,vt puta S.Ludouicus Nonus,iret ad Terram Sanctam conquirendum, & Regno diceret,Linquo vobis cognatum meum, Proregem

cum

cum authoritate iuſtitiam adminiſtrandi, non autem leges condendi, aut Comitia conuocandi &c. & quum is officio deerit, alium eligit cum eadem authoritate: tunc authoritas electi, eſſet à Rege & Domino, perſona quam Regnum eligeret, Regno ſubiecta eſſet. Hoc ipſum eſt, quod Gerſon in omnibus ſuis operibus docet, vbi ſanè apparet rationis vim pro ipſo concludere.

Ex prædictis, nolo concludere Gerſonis opinionem hoc in articulo de ſuprema poteſtate Eccleſiaſtica, veram eſſe aut falſam: ſed tantùm Authoris concluſionem, quòd Gerſon ſit deceptus, & qui eũ ſequitur, decipiatur, & ſacris literis, ſacris Conciliis, & manifeſtæ rationi aduerſetur, aliis probationibus, quàm ſupradictis indigere. Pergit Author:

Et ſi quiſpiam obiiceret, quod ipſe Gerſon quoque ſolebat, ſcriptum eſſe Matth. 18. Dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus: Reſponderem, in eo loco nomine Eccleſiæ intelligi Prælatum, qui caput eſt Eccleſiæ, quem in modum exponit hunc locum S. Ioh. Chryſoſtomus, homil. 61. in Matth. & Papa Innocent. III. capit. Nouit. de Iudiciis, & hoc docet vniuerſalis Eccleſiæ totius Mundi praxis, omnium ætatum & temporum cõſenſus, qui enim ad Eccleſiam vult peccatorem deferre, & obſeruare hoc præceptum, non conuocat Concilium, ſed ad Epiſcopum, aut eius Vicarium recurrit.

Authori non ſufficit contra Gerſonem diſputaſſe, ſed etiam rationes ipſius ſoluit: verùm pro multis quas Gerſon adfert ac deducit, authori vnicam proponere, eamque ſoluere ſatis eſt: atque hæc efficitur ex authoritate D. Matthæi, [Dic Eccleſiæ,] ad

quam reſpondet, [Eccleſiæ, id eſt Prælato,] & huius expoſitionis authorem facit Chryſoſtomum, quamuis dicant Pariſienſes, Chryſoſtomum hoc non dicere:ſed in more eſt,vt quum quid citari ſolet,id vnuſquiſque inconſulto etiam authore citet. Chryſoſtomus exponit,[Dic Eccleſiæ, præſulibus ſcilicet,ac præſidentibus:]& hoc ait Gerſon his verbis,[Eccleſiæ, repræſentatiuè:]quia cùm non poſſit tota congregari, à præſulum & præſidentum congregatione repræſentatur,ideóque addunt non poſſe nomine Eccleſiæ perſonam aliquam intelligi, nam inane eſſet ſubdere:[Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram,de omni re quamcunque petierint,fiet illis à Patre meo,qui in cœlis eſt. vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.] Ad huius expoſitionis confirmationem aiũt D.Paulum,vbi accuſationem contra inceſtuoſum recepiſſet, [Omnino auditur inter vos fornicatio &c.]ſubdere : [Ego quidẽ abſens corpore,præſens autem Spiritu , iam iudicaui vt præſens,eum qui ſic operatus eſt,in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti,congregatis vobis,& meo Spiritu cum virtute Domini Ieſu,tradere huiuſmodi hominem Satanæ:]Vbi notant D. Paulum , qui tunc erat Philippis,non ſcripſiſſe alicuius monitorij formâ,Ego hunc excommunico, verùm ad Eccleſiam ſcripſiſſe,vt eum ipſius Spiritu congregata id faceret:propterea contra Chryſoſtomum non facit vt hæ voces,[Præſulibus & præſidentibus ,] intelligantur etiam de Concilio generali. Superiùs propoſitum etiam fuit dubium,an, [Dic Eccleſiæ,] ſignificaret,[Dic tibi ipſi.] Quod ad vſum ſpectat, qui oſtendit illud [Dic Eccleſiæ]intelligi [Prælato,]quia

to,]quia recurritur ad Epiſcopum,vel ad eius Vicarium:de vſu veteri iam dixi ex authoritate D.Pauli, de hodierno autem, verum eſt Epiſcopum & Vicarium, hoc tempore excommunicationem ferre, nemine in conſilium aſſumpto, non rarò etiam ipſum Notarium duntaxat, & quod maius eſt, authoritate conceſſa clericus inſularum minorum, in particulari quapiam cauſa valdè leui iudex datus, Sacerdotem excommunicat:quinetiam Leo X. in Lateranenſi Concilio ſeſſ.11.decreto quodam perpetuo poteſtatem dedit ſeculari, excommunicandi etiam Epiſcopos,& quod magis intereſt, Nauarrus cap.27.num.11.ait, quòd ſi quis impetrata in quempiam excommunicatione ab aliquo Præſule, non tamen velit illum excommunicari,non excommunicabitur:Præterea idem author cap.23. numer. 104.dicit:excommunicationem latam ipſo iure, in eum qui penſionem non ſoluit,verbi gratia ad Natalis vigiliam, non valere aduerſus eum qui hanc non ſoluit, etiam poſt multos menſes, & annos, ſi eius creditor excommunicationem illam valere nolit:quòd ſi poſt multos menſes, vel annos,creditor velit excõmunicationem habuiſſe locum,ea valida reputetur à die debiti, nempe à Natalis vigilia, & hæc eſt Curiæ formula; hic eſt vſus qui inualuit, de quo aliud non dico, niſi eum ab Interpretatione oriri quam author approbat.

Nona conſideratio eſt, non incurri contemptũ clauium,quando Papa enormiſſimè & ſcandaloſiſſimè abutitur ſua poteſtate.

Hæc conſideratio in ſe eſt vera, ſed iniurioſiſſima Sanctiſſimo Domin.N. & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ,ac ſi hoc modo clauibus regni cœlorum abuti

ſoleat. Simili aſtu & fraude hæretici noſtri temporis, vt omnibus exoſam reddant Pontificiam poteſtatem, infamia in eam conuicia ſpargunt, quæ caput eorum Satanas ſuggeſſit:& ipſi Veneti defenſores eiuſmodi abhorrere, & punire deberent.

Hîc facillimum eſt Gerſonem defendere, nam qui rem proponit poſſibilem, & quæ etiam contigit,bonis iniuriam non facit,ſed eos notat qui malè faciunt: quapropter hæc conſideratio iniurioſa non eſt Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, quæ nunquam malè facit, licèt quis in ea conſtitutus, humana fragilitate peccatum aliquod commiſerit. Qui ſcribunt vitas Pontificum, (ſpeciatim verò Platina)tot recenſent, vt incipiendo ab anno 820. difficile ſit dictu, vter maior ſit numerus,bonorum ne Pontificum an malorum.Secundum dici poſſet,perſonæ Papæ Gregorij II. & Sedi Apoſtolicæ valdè iniurioſum eſſe Bonifacij Martyris can.*Si Papa*,vbi dicit,Si Papa negligens fuerit fraternæ ſalutis, inutilis, & remiſſus in ſuis operibus, ad bonum taciturnus,& innumeros populos cateruatim in Inferos ducat, nemo eum reprehendat: quaſi Bonifacius ideò dicat ſolere Sedem Apoſtolicam eiuſmodi peccata committere: quod non ſequitur. Nec etiam verum eſt ſolos hæreticos actiones prauas arguere, ſed multò magis hoc præſtant Scriptores Eccleſiaſtici, & Hiſtorici & Catholici: Omitto Platinam qui in eo totus eſt: verùm omnes hiſtorici Germani, Reginus, Luithprandus, Sigebertus Ottho: è Gallis, Aymonius, Addus, atque etiam Itali omnium temporum, & ne antiquos quæramus, Franciſcus Guicciardinus omnium manibus teritur, &

quamuis multa ab eo dempta ſint, videre licet vt loquatur. Alia eſt hæreticorum dicendi ratio, quàm Gerſonis: ipſi doctrinam carpunt, Gerſon abuſus notat: qui D. Bernardum legerit de Conſideratione ad Eugenium, ne vel minimum quid in Gerſone reprehendet, maximè cùm eius conſiderationes ſint in cauſa neceſſaria: liceat vnicuique tantam contradictionem mirari, Gerſonis videlicet conſiderationem in ſe veram eſſe, ſed iniurioſiſſimam Sedi Apoſtolicæ, quaſi Sedes Apoſtolica lædatur à veritate: is tantùm à veritate lædi poteſt, qui falſitate nititur. Itidem, in ſe veram eſſe, at ſimilem artibus hæreticorum noſtri temporis: ac ſi Gerſon iam ante annos centum & quinquaginta diſcere quid potuerit ab hæreticis noſtri temporis: hoc idem eſt ac Sacrarum literarum vſum prohibere, quia his vtuntur hæretici: eſſe veram in ſe conſiderationem, & Venetos debere eam abhorrere: non videtur ſatis bona doctrina, quæ docet abhorrere veritatem: & quidem veritatem neceſſariam ad conſeruationem libertatis, ac poteſtatis ipſis à Deo conceſſæ. Demum vltima pars, in qua dicit author, Venetos punire debere eiuſmodi defenſores, obſcurior videtur: Ego iam defendo Gerſonis innocentiam, ſed quum author ſcriberet, neſcio qui nam eſſent eius defenſores: prætereà defenſores veritatis, opportunè & in cauſa neceſſaria expoſitæ, puniri non ſolent à iuſto & pio vllo Principe, ſpeciatim verò à Republica, quæ ſemper Catholicam veritatem profeſſa eſt. Dici equidem poteſt cui veritas neceſſaria diſplicet, Qui malè facit, odit lucem, Et non hallucinaretur, qui dice-

ret Authoris doctrinam iniurioſiſſimam eſſe toti Clero, ac toti Eccleſiæ, cùm nolit eum reprehendi [qui vellet Eccleſiarum theſauros diripere, aut hæreditates vſurpare, aut in ſeruitutem abiectam Clerum cum ſuis bonis redigere, & iuribus ſuis ſpoliare ſine cauſa:] hæc enim ſunt Gerſonis verba, quæ authorem huc retuliſſe præſtitiſſet.

Decima conſideratio eſt, non incurrere eos contemptum clauium, qui per poteſtatem ſæcularem, aduerſus tales prætenſas ſententias tueri ſe procurant; lex enim naturalis dictat vim vi repelli poſſe.

Hæc doctrina pernicioſa eſt, à qua infinita ſcandala oriri poſſunt. Licèt enim ſententia hæc veriſſima ſit, vim vi repelli poſſe: nihilominùs limitationes multas admittit: vt nimirum vis ſit iniuſta, nullum præter vim extet remedium, vt continuò reſiſtentia fiat, & alias quas Sylueſter verbo Bellum 2. aliiſque Doctores qui agunt de hac materia, declarant: propterea niſi magna cautela hæc ſententia in particularibus caſibus adhibeatur; grauiſſimarum perturbationum cauſa eſt. Dum apparitores captum vinciunt, certum eſt capto violentiam inferri, nec tamen licita eſt in lictores violentia, ea de cauſa, quòd vis vi repelli poſſit. Qui per vim ad ſcamna triremium alligatur, loris & verberibus ad remigandum compellitur, violentiam proculdubio ſuſtinet, nec tamen vllus qui iudicio præditus ſit, affirmabit præfecto triremium ſub eodem prætextu, quempiam violenter obſiſtere poſſe. Similiter cogitur quiſpiam à Superiori ſeu Eccleſiaſtico, ſeu ciuili, reſtituere rem alienam aut famam, ſeruare fidem & promiſſum, dici tamen nequit, eum

eum qui hoc modo cogatur, violenter reſiſtere poſſe, aut inſurgere aduerſus ſuum Superiorem. Et vt ſexcenta alia exempla relinquamus: quum interdum Magiſtratus aut Principes, plebi grauiſſimas exactiones & onera imponunt, ac eam ad ſoluendum impellunt cogúntque, non credo vllum eſſe cui placeat is qui motus & ſeditiones in plebe excitaret, eò quòd liceat vim vi repellere. Et quænam confuſio in priuatis ædibus, vrbibus, & Regnis foret, ſi omni vi vis opponi poſſet, ea de cauſa tantùm, quòd lumen naturale vim vi repellendam dictet? Verùm ſi de vi ſermo ſit, qua Præſules vtuntur, dum cenſuris Eccleſiaſticis ſubditos ad obediendum cogunt, certum eſt eis non licere vi reſiſtere: ſi enim qui non audit Eccleſiam, iuxta Dei præceptum, pro Ethnico & Publicano habendus eſt, ſanè deterior cenſendus qui violenter Eccleſiæ reſiſtit. Quantum verò ad recurſum attinet ad Principes ſæculares in materia Excommunicationis, à Sacro Concilio Tridentino ſufficienter proſpectum eſt, dum ſeſſ 25. & 13. Principibus ſæcularibus prohibet, ne Præſules ab excommunicatione impediant, neque iubeant vt iam latæ excommunicationes reuocentur, cùm hoc ad officium eorum non ſpectet. Si demum ad negotium, de quo nunc inſtituta eſt quæſtio, accedamus, principium quod adducit, vim vi repellere licet, ad rem nil facit: vis enim quam Dominus noſter infert Reipublicæ Venetæ, vis eſt paterna, iuſta, & ſacris literis, ſacríſque Canonibus conſona, & omni tempore Sanctæ Eccleſiæ Præſulibus vſitata: adeſt in & promptu remedium, abſque vi vlla, & Principum auxilio, obedientia nempe & humilitas, ſine quibus

alia omnia remedia vana ſunt.

Circa decimam conſiderationem, ſi is qui dicit vim prætenſarum ſententiarum poſſe iuxta legem naturalem, vi repelli, pernicioſam doctrinam tradit, ergo Cardinalis Bellarminus pernicioſam doctrinam tradidit in ſuo libro de Romano Pontifice, à nobis præcitato, vbi diſertiſſimis verbis hanc eandem ſententiam confirmat, eiuſdémque pernicici authores ſunt Cardinales Turrecremata, & Caietanus, ab ipſo citati, & Dominicus Sotus, Franciſcus Victoria, aliíque recentiores innumeri, qui vnanimi conſenſu hanc ſententiam confirmant: nec verum eſt tot ſcandala ex hac doctrina oriri poſſe: quin potiùs dicendum contrariam opinionem ſcandala hæc allaturam, etenim tyrannis in Eccleſiam introduceretur, quæ ceu publicum delictum perniciem adfert longè maiorem: quemadmodum nec etiam verum eſt, ob hanc doctrinam fore confuſiones in priuatis ædibus, & Ciuitatibus, quia poſſet vnuſquiſque reſiſtere lictoribus, præfecto triremium, & Principi qui tributa exigit. Enimuero duo inter ſe diſceptantes, nequeunt ambo iuſtitiam ſimul tueri, ſed neceſſe eſt vt ſi qui alterum cogit, legitimè id faciat, alterius defenſio ſit illegitima, & contrà ſi defenſio eſt legitima, vis illata erit illegitima. Author non ignorat, quamuis hoc loco diſſimulet, legem, quum ait licere vim vi repellere, vim iniuſtè illatam intelligere, propterea non vera eſt vniuerſalis propoſitio, quam elicit, dicens, Si ad omnem vim poſſet vis opponi: cùm neque lex: neque Gerſon, nec alius quiſpiam dixerit, Omnem vim vi repellere licet, vnde non valet

conſe-

conſequentia de lictoribus, de triremium Præfecto, de Principe qui iuſta tributa exigit, ac de Magiſtratu, qui cogit rem alienam aut famam reſtituere, vel ſeruare fidem & promiſſum, hæc enim omnia pendent à vi legitima: ad rem quidem facit conſequentia quam deducit de vi, qua vtitur Eccleſiaſticus, dum cogere vult quempiam ad reſtituendum rem alienam aut famam, & fidem ſeruandum, quæ omnia ſunt ſæcularia, quibus ſe immiſcere non debet Eccleſiaſticus niſi in foro pœnitentiali. Sed quando author dicit, ſi de vi ſermo ſit, qua Præſules vtuntur, quum ſubditos cenſuris cogunt ad obediendum, certum eſſe, non licere vi reſiſtere, quia ſi qui non audit Eccleſiam, pro ethnico & publicano habendus eſt, deterior cenſendus qui violenter Eccleſiæ reſiſtit. Hic vel in genere de omnibus cenſuris, comprehendendo etiam inualidas, vel de validis tantùm ſermo eſt: ſi de omnibus loquatur author, ac velit eum qui cenſuris nullis reſiſtit, ethnico peiorem eſſe, doctrina eſt abſurda, falſa, erronea, & legi naturali, ac prædictorum Cardinalium, ipſiúſque Bellarmini doctrinæ contraria: verùm ſi validas tantùm intelligat optima eſt doctrina, & Gerſoni minimè contraria, imò ab ipſomet confirmata, nam Gerſon in ſua conſideratione de cenſuris prætenſis loquitur, quæ non ſunt iuridicæ, at violentæ, & ſi quæ congregatio cenſuras eiuſmodi adhibet, Chriſti nomine non eſt conuocata, neque Chriſtus præſens adeſt, & qui hanc non audit, bonus eſt Chriſtianus, & Canones, quos Gratianus citat 11. quæſt. 3. hoc ipſum docent. De Eccleſia Dei, quæ errare non poteſt, ſemper verum manet eum

qui hanc non audit, pro ethnico habendum eſſe, & qui reſiſtet ei, peiorem fore, nam reſiſtentia aduerſus tam iuſtum præceptum, iniuſta erit, cùm prædicta Eccleſia nihil vnquam præcipiat, quàm quòd ipſe Chriſtus: verùm ſi Eccleſiæ nomine, poteſtas erroribus obnoxia intelligatur, maximè quæ non modò ratione talis appareat, ſed etiam in qua quotidiani errores conſpiciantur: quum illa in ferendis præceptis errabit, quiſquis ei reſiſtet, vt vtetur legitimè, nec Deũ offendet, quia nõ obſiſtet Eccleſiæ, ſed errori humano, qui abducit à doctrina Eccleſiæ. Author verò enunciata propoſitione, vera in cenſuris validis, eam ſub vniuerſalis nota, ad inualidas retulit: artificium iam notum, & in omnibus hiſce ſermonibus vſitatum. Manet itaque firma propoſitio, quum aggreſſor vim illegitimam adhibet: ipſéque Author id fatetur, in diſtinguenda namque propoſitione tres adfert limitationes: prima eſt, vt vis ſit iniuſta: ſecunda, vt remedium aliud non adſit: tertia, vt ſubito id fiat: circa vltimam dicendum aliquid, ne vocis homonymiâ, pro more, hallucinemur: nam ſubitò, nõ eſt indiuiſibile quid, ſed intelligitur pro ſubiecta materia: ſi enim alicui Principi arx ſi occupata, is eã ſubitò recuperabit, licèt ad parandũ exercitum annus requiratur, imò id exequetur ſubitò quamuis fœdera aliáſq; pactiones facere opus habuerit, vbi plures annos conſumet. Eſt etiam quòd à ſecundæ limitationis homonymia nobis caueamus, nempe, vt non adſit aliud remedium: etenim ſi per aliud remedium intelligit legitimum remedium, conceditur, & ita limitatio hæc in ipſa propoſitione continetur: nam quiſquis ait, [vim repellere licet, ſubdit,] vel ſubintelligit, cum moderami-

deramine inculpatæ tutelæ: at ſi per aliud remedium, author intelligat remedium damnoſum ei qui iniuriam accepit, vis omnis iniuſta aliud habet remedium quàm reſiſtentiam: atque hoc eſt, iniuriam æquo animo ferre: verùm nemo tenetur vti hoc remedij genere, quinimò ſæpiùs in eius vſu peccaretur, quando ſcilicet remedium non modò in proprium, ſed in alienum quoque damnum cederet. Ecce, lector, quomodo artificioſâ homonymiâ abducere te author volebat: primò dicit veram eſſe propoſitionem cum hac limitatione, vt non adſit aliud remedium: poſteà multis prolixíſque verbis interpoſitis, ait Rempublicam Venetam in promptu habere remedium, abſque vi vlla, vel Principum auxilio, & iſtud eſſe, obedientiam. Rectiſſimè. Hoc eſt remedium, ſed non modò huius Reipub. libertati, ſibi à Deo conceſſæ, verùm etiam vitæ, bonis, & famæ ſubditorum ſuorum dãnoſum. Ideóque remedium illud adhibere non tenetur, & ob alienũ præiudicium peccaret, ſi adhiberet. An verò aliud omne remedium vanum ſit, vt author ait, Dei eſt illud determinare & ipſius euentus id comprobare. Rogandus venit author ne præmaturè iudicet, vt ei non dicatur, [mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: an autem vis qua vtitur Pontifex, iuſta ſit & paterna, quod ad primam limitationem attinet, ſtatus eſt controuerſiæ, de quo agendum eſſet, in primis, cùm tamen author per nudam affirmationem eum proponat.

Videre non poſſum cui Scripturæ dicat author hanc vim Pontificis eſſe conſonam: non quidem eſt iuxta cap. 13. ad Rom. neque iuxta capit. 3. epiſt. ad

Timoth. aut cap. 2,primæ D.Petri,aut 22.D. Matt. neque iuxta duodecim Canones qui agunt de hac materia,11. quæſt.31. fuiſſe autem in vſu omni tempore in Eccleſia,id non videmus ante annum ſalutis noſtræ milleſimum:à quo tempore verum eſt Pontifices Romanos ea vi nonnunquam vſos eſſe, at ſemper eis reſtitum eſt, vt par erat, quum legitima poteſtate abuſi ſunt. Conſiderari non debet quæ fuerit poſterorum opinio de actionibus illorum temporum, ea namque ex affectu Scriptorum ſæpe oritur,ac Deus occultiſſimis ſuis iudiciis interdum permittit, vt iuſta cauſa in animis hominum inferior maneat.Porrò factum, quo Philippus Pulcher Bonifacio octauo reſtitit, & Ludouicus duodecimus Iulio ſecundo,ſimile reſiſtentiæ qua Reſpublica nunc vtitur, laudatur à Richelomo Ieſuitarum Prouinciali, in ſuo Apologetico,cap.25. & ceu exemplum dignum imitatione proponitur: quinetiã cap.24. declaratur, quum aliquis Romanus Pontifex Galliarum Regem læderet, vt Reges illi à dictis Pontificibus læſi fuerant, Ieſuitas eo caſu, id facturos, quod illis temporibus Galli fecerunt,qui ſe cum Rege ſuo ad Maieſtatem ſuam defendendum coniunxerunt. Neſcio qua loquendi formula reſpondeam vltimæ particulæ,in qua dicit,Rempublicam aliud habere remedium, quàm reſiſtentiam: iis enim verbis ſpem magnam mihi fecerat, tantum tumultum ilicò ſedatum iri: ſed vbi ad illorum verborum explicationem venit, non potui non mirari, ſiquidem hoc etiam eſt remedium pro eo,cui vellet aliquis armorum vi,propria bona eripere,vt nempe cedat,& aggreſſori det quicquid voluerit. Obedientia eſt ex iis vocibus,

quas

quas ambiguas diximus, atque hîc ſui ſpecie & condecentia fallax eſt. Obedientia res ſancta videtur, & eſt, quum præcepto iuſto honeſtóque præſtatur, ſed quando refertur ad præceptum tyrannicum aut abuſiuum, non bona eſt, verùm naturalis defenſio tunc ei ſuccedit. Deus libertatem conceſſit Reipub. Venetæ, eidémque iniunxit vt eam cuſtodiat, proprióſque ſubditos protegat, nec eos ab aliis lædi patiatur: ſi quis iuberet eam reuocare leges ad hæc munia neceſſarias, eámque non tueri vitam, bona, famámque ſuorum ſubditorum, niſi aduerſus eos quos ille vellet, & Reſpublica cederet, obedientia quidem eſſet nomine tenus, ſed re ipſa, extrema erga Deum inobedientia. Reſpublica ſemper in rebus iuſtis Eccleſiaſticę poteſtati obediit, eam ſemper reuerita eſt, iuuit, & auxit, ſperamúſque in Deo, fore vt in eiſdem, diuina iuuante gratia, perſeueret indeſinenter, ipſúmque Deum omnipotenti ſua virtute effecturum vt præſens hic turbo in ſerenitatem euadat, cum ampla Sanctę ſedis Apoſtolicæ, ipſiúſque Reipublicæ ſatisfactione. Cęterùm prætereunda non eſt Interpretatio decreti ſancti conſilij ſeſſ. 25. cap. 3. à vero ſenſu valde aliena. Concilium præcipit, vt ſeculares Magiſtratus non prohibeant Eccleſiaſtico vllius excommunicationem nec eum latam excommunicationem reuocare cogant, ſub prætextu quòd omnia in eo decreto contenta, non ſeruentur: author verò dicit, à Sacro concilio Tridentino proſpectum eſſe, dum Principibus ſæcularibus expreſſè prohibet, ne Pręſules ab excommunicatione impediant, neque iubeant vt

iam latæ excõmunicationes reuocentur: at hîc nõ eſt concilij ſenſus: primò quia reticetur ſequens conditio, nempe, ſub prætextu quòd præſens decretum non obſeruetur, quod, vt ſuperiùs probatum eſt, non prohibet quin aliam ob cauſam fiat: deinde quia concilium dicit, cuilibet [Magiſtratui ſeculari,] quod Author noſter mutat, dicẽs, [Principibus ſecularibus:] ſed quilibet Iuriſcõſultus dicet, in exoſa materia Principem ſub nomine Magiſtratus non comprehendi: tertiò quia concilium loquitur de prohibitione & præcepto iudiciali, & author noſter id applicat naturali defenſioni quam ipſemet loco cit. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29. negauit eſſe opus iuriſdictionis: hunc itaque concilij locum huc adferre, eſt ei tres falſos ſenſus tribuere.

11. Vndecima conſideratio eſt, Iuriſtarum aut Theologorum aliquẽ nõ incurrere contemptum clauium Eccleſię, dũ in præmiſſis caſibus iuxta cõſcientiã ſuam dicit, quòd huiuſmodi ſententię non ſint timendæ vel tenendę, & hoc præſertim, ſi obſeruetur informatio ſeu cautela debita, ne ſequatur ſcãdalum puſillorũ, qui æſtimant Papam eſſe Deũ aliquem, qui habet poteſtatẽ omnem in cœlo & in terra, &c. Hæc conſideratio, vt loquar de ea modeſtè, parùm conſiderata eſt, ſuffeciſſet enim Gerſonẽ dixiſſe, indoctum in re dubia poſſe ſe iudicio Theologi aut iuriſconſulti cuiuſpiam doctrina & bonitate clari cõmittere. Vt autem Theologus aut Iuriſconſultus quilibet, in materia præſertim obedientiæ ſummo Pontifici debitæ, conſulatur, ſumma eſt temeritas: neq; enim dubium, ſed certiſſimum

mum

mum eſt, in rebus dubiis ſuperiori obediendum eſſe, quando dilucidum & manifeſtum eſt Superiorem res diuinis legibus oppoſitas præcipere: deinde quot Theologos ac Iuriſconſultos reperire eſt, qui aut ex ignorantia, aut malitia decipi poſſunt? Et ſi hic te iſto, alius autem alio modo inſtruat, quem ſequeris? Principes profectò ſæculares nunquam permittent, vt reus lata ſemel ſententia reclamet, ac dicat ad obedientiam ſe non teneri, ea de cauſa, quòd Theologorum aut Iuriſperitorum aliquis in conſcientia ſua cum docuerit, ſententiam obſeruandam non eſſe: quanto minus ferendum hoc eſt, vbi agitur de obedientia Vicario Chriſti debita, cui Chriſtiani omnes iure diuino tenentur obedire?

In vndecima hac conſideratione Author modeſtè in Gerſonem inuehitur, cupiens vt ſaltem dixiſſet, indoctum in re dubia, poſſe ſe iudicio Theologi aut Iuriſconſulti cuiuſpiam, doctrina & bonitate clari committere: quaſi quis vnquam alium de re certa conſulat: nullus enim quãtumuis imperitus, de re certa & indubitata conſilium quæret. Author poſteà non manens intra modeſtiæ terminos, quam erat initio pollicitus, ait ſummam temeritatem aſſerere, iudicio Theologi aut Iuriſconſulti cuiuſlibet ſtari poſſe: ac ſi in interpretatione: vel in ipſo Gerſonis textu, dicatur, [cuiuſlibet,] cùm vtrobique habeatur, [aliquis:] illa vox, [quilibet,] ſignificare videtur, qualiſcunque fuerit, doctus, vel indoctus, bonæ fidei, vel malæ: quod non ita eſt accipiendum, qui enim aliquem mittit ad quærendum conſilium, cum ſemper eligit qui rem de qua

agitur, probe calleat: & hoc Gerſon diſerte ſignificat, his verbis, [aliquis Iuriſconſultus aut Theologus iuxta conſcientiam ſuam:] conſciẽtia (maximè apud Gerſonem) peritiam & bonitatem cóplectitur, & eiuſdem hac de re tractatus videri poteſt. Eapropter, quum Gerſon ait, indoctum committere ſe debere conſcientiæ Iuriſconſulti alicuius aut Theologi, eum intelligit qui vir probus ac prudens habeatur: neque hoc authori diſplicere debet; cùm recentiores etiam doctiſſimi idem ſentiant: atque hîc Nauarrum citare ſufficiet, qui in cap. cum contingat, de reſcript. Rom. 2. num. 30. formaliter ait, [Nono infertur Canonicos Eccleſiæ B. ſecuriſſimè potuiſſe ac debuiſſe communicare præfato E. in diuinis, ea ratione quo qui vnius doctoris eruditione, ac animi pietate celebris, authoritate ductus fecerit aliquid, excuſatur, etiam ſi forte id non eſſet iuſtum, & alij contrarium tenerent. Citat hîc multos doctores, & ſubdit: Quod etiam ad excuſationem à violatione cenſurarum procedere ſpeciatim, ſatis fatẽtur.] & in hoc alios multos citat. Hîc addere non omittam, ea verba, [quum aliquis Theologus aut Iuriſconſultus, &c.] accipi debere vel ſingulariter, vel collectiuè pro materiæ dignitate: adeò vt in caſu quopiam ſufficiat vnius conſilium, in alio, à duobus, tribus, vel quatuor, & in alio fortè à centum viris conſilium quæratur: in præſenti controuerſia (licèt ratione materiæ, ea ſit facilis & perſpicua) Reſpublica multos, & in Italia, & extra Italiam conſuluit: vnde in ea voce, aliquis hærendum non eſt. Sed Auctor vult probare, conſilium quærendum non eſſe, vbi agitur

tur de obedientia debita Pontifici, eò quòd in rebus dubiis, Superiori ſit obediendum: quæ ratio probat nunquam in illo caſu quærendū eſſe conſilium, dum in caſu dubio tuta pars eligenda eſt, & qui hanc elegerit, non errabit, ergo nunquam conſilium quærendum eſt. Hîc cauendum ne homonymia huius vocis, dubium, decipiamur: ſiquidem, vt iam oſtendimus, dubium bifariam intelligitur, vel quod ante conſilium, dubium eſt, vel quod poſt diligentem omnem conſultationem, dubium manet. Primo modo, peccatum eſt obedire Superiori, quia periculum adeſt tranſgreſſionis diuinæ legis: at ſecundo modo, concedo in re dubia Superiori eſſe obediendum: quod non tollit conſilium, ſed illud præſupponit. Et ſubſequentes rationes, quibus author idem probat, eodem defectu laborant, cùm dicat: [Quot Iuriſconſulti reperiuntur, qui ex ignorantia, vel malitia poſſunt decipi? Hoc non ſolùm in caſibus obedientiæ ſummo Pontifici debitæ, ſed in dubiis omnibus occurrit, ita vt conſilium quærendum nunquam foret. Subdit, [Et ſi hic te iſto, alius autem alio modo inſtruat, quem ſequeris?] In materiis omnibus contingere poteſt, vt diuerſa ſint conſilia, cui tunc adherendum? quæcunque rationes plus concludunt, quàm quod proponitur, ſunt fallaces. Theologi reſpondent, ſe bona fide ſcribere: quod ſi quis poſt omnem quam potuerit, diligentiam adhibitam, errauerit, excuſabitur, manente inſuperabili ipſius ignorantia, fieri poteſt vt Iuriſconſultus, aut Theologus aliquis quem conſulam, ex ignorantia vel malitia

me decipiat; ſi probaliter eum reputauero probum virum ac peritum, venia dignus ero. Si quis conſilium alteri conſilio contrarium mihi dederit, vel authorem, illum ſequar quem maioribus animi dotibus præditum iudicauero, vel conſilium quærere pergam, donec ipſe probè extricatus, & apud me certior factus fuerim.

Videre non poſſum vt valeat authoris ratio, quum ait, Principes ſæculares nunquam permiſſuros, vt reus lata ſemel ſententia reclamet, ac dicat ſe ad obedientiam non teneri, eò quòd Iuriſperitus vel Theologus aliquis, ipſum iuxta ſuam conſcientiam docuerit, ſententiam eam obſeruandam non eſſe: quanto minùs, inquit, ferendum hoc eſt, vbi agitur de obedientia Vicario Chriſti debita?

Hîc ante omnia notandum eſt, Gerſonem non dicere in genere, Chriſtianum contemptum clauium non incurrere, quoties Theologus aliquis aut Iuriſperitus iuxta conſcientiam ſuam dixerit ſententiam obſeruandam non eſſe: ſed Gerſon hoc tantùm intelligit quum caſus eſt dubius, atque ita dubius vt quis ſe ipſum extricare nequeat: propterea ſi quod iubet Præſul de his fuerit quæ perſpicua ſunt, vel citra magnum laborē dilucidari poſſunt, non opus erit conſilio, vt ſi præſul iubeat, fugiēdam eſſe blaſphemiam, vel adulteriū, dubitādū non eſt quin obedientia debeatur: quemadmodùm etiam quum Ditio quæpiam eſt Interdicta ob cauſam manifeſtò iniuſtam (vt hîc præſupponimus, & alibi probauimus, eam eſſe ob quam nunc vult Pontifex vt Ditiò Veneta ſit Interdicta) conſilio

conſilio minimè opus eſt, ſed conſtat neminem ad obedientiam teneri. Sed ſi de caſibus tantùm dubiis loquamur, authoris argumentum à ſententiis Principum ſecularium ad ſententias Præſulis Eccleſiaſtici, non procedit à pari, nec à minori: nā diuina ſcriptura quæ de vtraque illa poteſtate locuta eſt, idem de vtraque non dixit, verùm de obedientia Præſulibus Eccleſiaſticis debita, dixit ad Hebr. Obedite præpoſitis veſtris, ipſi enim peruigilant, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri: ſed de obedientia debita Principibus, dixit ad Rom. Neceſſe eſt ſubiectos eſſe, non ſolùm propter iram, ſed propter conſcientiam. Nullum aliud Præſul meus imperium in me habet quàm eorum quæ ad animæ meæ ſalutem attinent: ideò namq; peruigilat: ſed licèt aliquis pro anima mea vigilet, non tamen obdormire debeo, ſed vigilare quantū in me eſt, Chriſto id iubente, mihíque videndum incumbit, ne Pręſul alteri rei quàm animæ meæ inuigilet, vel ne dormiat, aut vigilare ſe putans ſomniet: & ſi vigiliæ meæ non ſufficiant, rogabo proximum, quem pro ſomnolento non habeo, vt me iuuet, ac mecum ſimul vigilet, & ſi interdum dubitauero an Præſul meus vigilet, aut dormiat, conſilium quęram. Sed Princeps vigilat, vt ceu Dei miniſter, iuſtitiam exerceat: nec ea quę ad animam attinent, ſed tēporalia tractat: quapropter non inuigilabo, neque ad hęc attendam, ſed obediam ei, primò propter iram, deinde propter conſcientiam: verumtamen ſi Princeps, ordine inuerſo, aliquid eorum quæ ad animę ſalutem attinent, imperare mihi vellet, vt verbi gratia, arti-

culum aliquem crederem, aut non crederem, hoc iuxta legem Dei perpenderem, & ſi dubitarem eſſe hoc damnoſum animę meę, Theologos conſulerem, idque Princeps mihi concedere deberet: ſin minùs, dicam, obedire oportet Deo magis quàm hominibus: atſi iubeat vt certum aliquod mercium genus in vrbem adducam, vel non educam: vt tributum aliquod ſoluam, aut vectigal: vt vrbis mœnia cuſtodiam: denique ſi iubeant aliquid pro pace ac tranquillitate Reipub. conſeruanda, & ad arcendos tumultus, aliáſque nouitates, quæ ſcandalum aut perturbationem adferre poſſunt, (quę omnia ſpectant ad curam publicam, & in quibus non debet priuatus aliquis ſuum interponere iudicium, ſed ſui Principis iudicium ſequi) cùm hæc non ſint de rebus ad animam attinentibus, ſed temporalia, iis à me non perpenſis ac ſine mora obediam, & propter iram, & propter conſcientiam.

Cura publicæ tranquillitatis tota pertinet ad Principem, priuatus autem non niſi de obedientia & executione cogitare debet. Cura ſalutis animæ vniuſcuiuſque ad ſolum Pręſulem non attinet, verùm ſubdito potiſſimùm incumbit, ideoque de ea ſollicitus in primis eſſe debet. Atque hinc manifeſtum euadit diſcrimen inter præcepta Præſulum & Principum: his enim obediendum eſt, quamuis de cauſa non conſtet, in illis, animaduerſione opus eſt: quum Princeps imperat, id præcipit quod ſuarum eſt partium, quódque habet ſolus à Deo, ad me autem hoc nihil attinet, niſi paſſiuè: quum Pręſul imperat, de re agit quæ mea potius eſt quàm ſua, ideóque de ea magis

Digitized by Google

gis eſſe debeo ſollicitus quàm ipſe Præſul: Principi autem obedire teneor abſolutè, quum agit de rebus temporalibus, non conſiderando an illæ ſint contra proprium commodum meum temporale: publicum enim bonum priuato anteponere neceſſe eſt: ſed Præſuli obedire non teneor, ſi quid contra ſalutem animę meæ iubeat, quamuis id in maximam Præſulis mei vtilitatem cederet.

Totus error eſt, velle Præſuli concedere poteſtatem in res temporales, & miniſterium Eccleſiaſticum in Forenſe iudicium mutare: ſeculari enim poteſtati Deus publicæ tranquillitatis curam commiſit, eidémque fecit authoritatem imponendi poenas temporales, quarum metu ſubiectos illi eſſe oportet, quod his verbis deſignatur, [proter iram,] pręter diuinum præceptum quòd huic poteſtati obediendum ſit, eſtque hoc [propter conſcientiam:] at Eccleſiaſtico miniſterio Deus animarum curam cõmiſit, quæ nihil commune habet cum pœnis tẽporalibus directè, ideoque non iuſſit vt obediatur [propter iram.] De poteſtate temporali D. Paulus dicit, [non enim ſine cauſa gladium portat:] ſed de miniſterio Eccleſiaſtico, [exercetur per gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.]

His ità ſe habentibus, Authoris concluſio, ſcilicet omnes Chriſtianos iure diuino teneri ſubiectos eſſe ac obedire Vicario Chriſti, debet intelligi in rebus ſpiritualibus, & ad animarum ſalutem facientibus, & in foro diuino, & quum iuxta legem diuinam imperat: ſed in rebus temporalibus Principes abſoluti, aliis ſubiecti nõ ſunt quàm Deo, à quo immediatè poteſtas ipſorum manat.

Teneant puſilli & ſimplices Papam Deum quendam eſſe, & poteſtatem omnem habere in cœlo & in terris, Deo plus placet eorum infirmitas & ſimplicitas, quàm firmitudo eorum qui prudentes ſibi videri volunt, proindéque authoritatem Vicarij Chriſti, vt omnes ætatis noſtræ hæretici conſueuerunt, deprimere conantur. Exiguum quid eſt, Papam pro Deo in terris haberi, cùm de omnibus Principibus in Pſalm. dicatur: Ego dixi dij eſtis. Nec inconueniens eſt dicere, Papam poteſtatem omnem habere in cœlo, & in terra, cùm Chriſtus ipſe dixerit, Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Quod tamen à veris & doctis Catholicis ſanè & rectè intelligitur. Et, vt rem paucis complectar, credo dici poſſe & rectè, tam eximiam eſſe ſummi Pontificis dignitatem & poteſtatem, vt pauci ſublimitatem eius ac ſplendorem capiant & aſſequantur: poteſt enim omne illud facere quod ad deducendas in Paradyſum animas neceſſarium eſt, remouere omnia obſtacula, quæ Mundus & Dæmon doloſè ac fraudulenter apponunt. Hinc D. Cyrillus, à D. Thoma in opuſculo de primatu Petri citatus, aſſerit, quemadmodum Chriſtus à Patre pleniſſimam habuit authoritatem, ita Chriſtum quoque D. Petro, eiúſque ſucceſſoribus, ampliſſimam in vniuerſam Eccleſiam conceſſiſſe.

Quia Gerſon dicit, edocendos eſſe conſcientiâ debiles, & ſcrupuloſos, qui putant Papam Deum eſſe, omnémque in cælo & in terris poteſtatem habere: reſpondet author, Deo magis placere hanc eorum infirmitatem, quàm hæreticorum firmitudinem, qui ſibi ſapere videntur, Vica-

rij Chriſti authoritatem contemnendo : non ſecus ac ſi cui auaritiam damnanti contradicere vellemus, dicentes, Deo magis placere auaritiam, quàm bonorum profuſionem: quaſi non adſit verum medium, nempe liberalitas : verus loquendi modus hic eſſet, minus Deo diſplicet auaritia, quàm bonorum profuſio in luxus, ſed vtrumque diſplicet. Grauiſſimè peccat qui veram negat authoritatem, à Chriſto datam ſuo Vicario, ſed non eſt laudanda eius ignorantia qui plus ęquo ipſi tribuit: Deo grata eſt veritas : ignorantiam, quando eſt inſuperabilis, non probat, ſed excuſat: magnoperè ſibi contradicit, qui aſſerit Deo falſum quid placere. Author qui aptè loqui conſueuit, ſic dicere poterat, minùs Deo diſplicet hęc eorum infirmitas, quàm hæreticorum firmitudo, & probaretur: hac enim ratione verum explicaret, neutrum ſcilicet prædictorum exteriorem placere: nec author abſurdum putet, ſi quis dicat, vtile eſſe ſimplices & imperitos monere, ne Pontifici authoritatem legitima & vera maiorem tribuant: nam id ipſum dicit D. Gregorius 2. quęſt. 7. eiúſq; cauſam reddit: Admonendi ſunt ſubditi ne pluſquàm expedit ſint ſubiecti, ne cùm ſtudēt pluſquàm neceſſe eſt hominibus ſubiici, cõpellantur etiam vitia eorũ venerari. Poterátne hic Sãctus diſertè magis confirmare Gerſonis doctrinã? Ipſe ait, ſcrupuloſas cõſcientias, quę credũt Papã eſſe Deũ, à ſimplicitate ſua liberãdas eſſe: D. Gregorius ait, admonẽdos eſſe ſubditos, ne pluſ quã expedit, ſint ſubiecti: ſed, quod maius eſt, cauſã huius reddit; quia cõpelluntur etiã eorũ vitia venerari, quibus plus æquo ſubiecti ſunt: Non errabis deinde, ſi addas ſolere homines res veneratas imitari, & concludas admodum expedire, falſas has

tollere ſuggeſtiones: Quod ſubdit Author, non magnum eſſe quid, Papam pro Deo habere, cùm omnes Principes, dij vocentur: id, inquam, nullum abſurdum continet, modò homonymiâ non decipiamur: ſed dum ex hac propoſitione, quæ bonum ſenſum recipit, elicere has voluerimus, Papa & Deus conſtituunt idem Tribunal: Papæ, & Dei idem Conſiſtorium: eam diuinitatis ſpeciem Papæ tribuemus, quam Gerſon improbat. Non abſurdũ ducit author aſſerere, Papam omnem habere poteſtatem in cœlo & in terris, quia dictum ſit, [Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, ex quo loco videretur alicui eiuſmodi concluſio non benè deduci, propterea quòd poteſtas ad virtutem actiuam, [quodcunque] ad materiam referatur. Si dicam, Parochus omnia matrimonia côiungit, non ſequitur eum omnem habere poteſtatem in matrimonia: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, Ergo quocunque modo ligaueris: non ſequitur, & hoc ipſum eſt quòd Gerſon improbat. atque ita credo velle etiam authorem intelligere, quum ait, hoc à veris & doctis Catholicis ſanè & rectè declarari ac intelligi. Hęc enim propoſitio, Papa omnem habet poteſtatem in cœlo & in terris, abſolutè falſa eſt, eâ nque ad verum ſenſum contrahendo, plures ſunt poteſtates, quas Papa non habet in cœlo & in terris, quàm eæ quas habet: ideóque propoſitio, quæ ob vnicam inſtantiam falſa eſſet, plures habens inſtãtias, quàm terminorum probationes, (vt aiunt Logici) eſt falſiſſima. Author ait exiſtimare ſe, quòd veriſſimè dici queat, tantam eſſe poteſtatem ſummi Pontificis, vt pauci eam cape-

re ca-

re capiant: quod & ipſe credo, ſiquidem verum vnum eſt, falſum autem infinitum: multi minùs ei tribuunt quàm par ſit, multi plus, vnde ſuperſunt pauci qui quod æquum eſt, ipſi tribuant. Amplum inſtituit ſermonem Dom. Cardinalis Bellarminus in ſuis operibus de Romano Pontifice, limitando ſummi Pontificis authoritatem, multáque proponendo quę non ſunt penes Pontificem, ac totus hic eius ſermo verus eſſet, niſi poteſtatis exceſſum includeret. Quod autem dicit, poſſe Pontificem omne id facere, quod neceſſarium eſt ad animas deducendas in Paradyſum, & remouere omnia obſtacula, quæ Mundus ac Dæmon dolosè & fraudulenter opponunt: ſpecioſa quidem eſt propoſitio, ſed falſa: Ad ducendam in Paradyſum animam fœtûs in vtero materno degentis, qui viuus edi non poſſit, neceſſarius eſſet modus aliquis gratiam ei concedendi, ergo-ne Pontifex id facere poteſt? minimè: Sacramentum enim inſtituere nō poteſt in hunc finem, nec ventris grauidæ ad apertionem iniungere: ergo Papa rem facere non poteſt neceſſariam ad animam in Paradyſum deducendam: Si quis poſt mortale peccatum actuale amens factus ſit, ſaluari nequit, niſi ad bonam mentem redeat, & pœnitentiam agat: an igitur Papa ſanam illi mentem reſtituere poteſt? non credo, attamen hoc ad illius ſalutem neceſſarium eſt. Nihil magis eſt ad ſalutem neceſſarium quàm ſint interni motus animi, in quos poteſtatem vllam habere Pontificem, negat D. Thomas. Innumera poſſem oſtendere ad animas in Paradyſum ducendas neceſſaria, quæ non ſunt ſub poteſtate Pon-

tificis, atque vtinam is (vt ait Author) remouere poſſet obſtacula omnia, quę Mundus ac Dęmon doloſè ac fraudulenter opponunt, Turcis enim & Hęreticis careremus: infinita ſunt obſtacula quę Regni Chriſti hoſtes quotidie opponunt, aduerſus quę ſatis ſit Pontifici nil aliud poſſe quàm illud precari, [& ne nos inducas in tentationem, &c.] Non modò Deus authoritatem non conceſſit, obſtacula omnia remouendi, quę Mundus & Satan opponunt, verùm etiam vtile iudicauit Eccleſię, eorum multa concedere. Facile eſt lectori videre quanta cum ratione Gerſon moneat, vt rudes doceantur, cùm hîc vno halitu quatuor propoſitiones manifeſtò falſę afferantur à viro doctiſſimo ad poteſtatem Pontifici à Deo datam extendendam vltra limites à diuina Maieſtate conſtitutos.

Duodecimam conſiderationem paucis expediemus, cùm & breuis ſit obiectio: Author ait:

12. Duodecima conſideratio eſt, Contemptum clauium magis foueri, quàm tolli, dum ij qui abuſui clauium reſiſtere debent, diuiduntur inter ſe, & impediunt ſe mutuò. Veritas eſt, quòd omnis via fauorabilis & humilis tentanda ſit cum ſummo Pontifice, dùm malè informatus, fert iniuſtas ſententias, ſed ſi nihil prodeſt humilis ſedulitas, arripienda eſt virilis & animoſa libertas. Hęc conſideratio multùm faciebat ad rem, Gerſonis ætate, cùm enim tunc trium Pontificum ſchiſma eſſet, & horum quiſque excommunicationes fulminaret aduerſus ſequaces alterius, expediebat vt

id tem-

id temporis fideles inter ſe vnanimes ſchiſma tollere conarentur, & eas excommunicationes parui facerent, cùm quis eorum Chriſti Vicarius eſſet, ignoraretur, atque vt iis non obſtantibus ad negotium vnionis Eccleſiæ attenderent. Iam autem cùm diuino beneficio vnus ſolùm Papa indubitatus ac certus ſit, nihil ad rem facit hæc cõſideratio, niſi ad nouum ſchiſma membrorum aduerſus caput excitandum.

Si Author exiſtimet Gerſonem doctrinam eiuſmodi ſcripſiſſe ſchiſmatis tempore, Conſiderationem octauam legendo denuò, manifeſtè videbit, ſcriptum eſſe hunc tractatum poſt Conſtantienſe Concilium & quo tempore vnicus erat & indubitatus Pontifex: verum an Author alium habeat ſenſum magis artificioſum, coniici non poteſt, quamuis tamen aliqua ſit eius ſuſpicio: non enim veriſimile eſt ipſum tempus ignoraſſe quo hic tractatus conſcriptus eſt. At verò quomodo hæc conſideratio à Gerſone ſcripta fuerit, vt ad præcedens aliquod tempus referatur, videre nõ licet. Conſtat etiam referri non poſſe ad ſchiſma, quod fortè Gerſon futurum ſuſpicaretur, non enim de vnione Eccleſię, ſed tantùm de tollendis abuſibus fit ſermo: præterea quando Pontifex non eſt certus & indubitatus, huic non debetur ea reuerentia quam ſuadet Gerſon viæ fauorabilis & humilis titulo, ſed hæc ſummo Pontifici indubitato competit: & abſque prolixiori diſceptatione, Lector Gerſonem legens vnà cum authoris obiectione & conſiderans an extra Schiſmatis tempus contingere poſſit abuſus clauium, atque

vt ij qui reſiſtere deberent, diuidantur inter ſe, ac mutuò ſeſe impediant, vel ob imprudentiam, vel ob ignauiam, & quidam abuſibus faueant, quos alij tollere volunt. videbit quâ de re præcisè ac verè agatur, & an obiectio valeat.

Verùm quod adfert ſub finem, hanc nempe conſiderationem ad aliud non facere, quàm ad nouum ſchiſma excitandum afferi non poteſt, quin ſimul dicatur D. Gregorij doctrinam in cap. [Admonendi,] ſuprà citato, falſam eſſe, & ad excitandum ſchiſma facere, quum ait, admonendos eſſe ſubditos, ne pluſquam expedit, ſubiecti ſint, ne cùm ſtudent pluſquam neceſſe eſt hominibus ſubiici, compellantur etiam vitia eorum venerari: Sed hæc duodecima conſideratio facit ad abuſus ab Eccleſia Dei remouendos, quod iam à tot ſæculis optant auidè fideles, facit ad Sanctæ Eccleſiæ quietem & pacem conſeruandam, quinimo facit ad impediendum diuiſiones & ſchiſmata, multæ namque Prouinciæ & Regna prægreſſis ſæculis, non ob aliam cauſam ab Eccleſia Romana deſciuerunt, quàm quia Romani Pontifices rebus eorum temporalibus ſeſe immiſcere voluerunt. Pro certo habere debemus Sanctitati Pauli v. optimum eſſe animum medendi abuſibus ad hæc vſque tempora introductis, licèt eorum vis tanta ſit, vt mirum videri non debeat, ſi qui rectæ ſunt mentis, ab eiuſmodi abuſibus, contra propriam inclinationem ad illud ipſum rapiantur, quod vitare ſibi proponunt.

RE-

RESPONSIO AD ALTERVM GERSONIS OPVSculorum, cuius titulus eſt:

DISCVSSIO ILLIVS Aſſertionis, Sententia Paſtoris, etiam iniuſta, timenda eſt.

VENETIIS.

Apud Robertum Meietum.

M. D. CVI.

Cum licentia Superiorum.

Google

Digitized by Google

RESPONSIO AD ALTERVM GERSONIS Opuſculum, cuius titulus eſt: DISCVSSIO ILLIVS ASSERTIONIS, Sententia Paſtoris, etiam iniuſta, timēda eſt.

IN ſecundo opuſculo idē Ioh. Gerſon refert, commiſſarium quendam Apoſtolicum in proceſſu quodam publico poſuiſſe aſſertionem quę ſequitur, Sententiæ noſtræ, etiamſi eſſent iniuſtæ, ſunt tenendæ & timendę. Supra hanc aſſertionem, cenſuram profert in plures propoſitiones diuiſam, & ſunt ſequentes:

Prima, hæc aſſertio falſa eſt. Secunda, hæc aſſertio eſt impoſſibilis. Tertia, hæc aſſertio eſt erronea, cōtra bonos mores. Quarta, hæc aſſertio reddit authorē ſuū ſuſpectū in fide, & ita conſequenter ad iudicium fidei euocandū, & compellēdum, vt vel ſe exponat, vel ſententiam ſuam reuocet, vel ſi pertinax fuerit, iuſtitiæ ſeculari committatur.

Hæc eſt ſumma iudicij Gerſonis, quod quàm rigidum ſit, ex ſequenti ſermone patebit. Commiſſarius ille ſeu verus ſit ſeu fictitius, non contentus fuit dicere, ſententias ſuas, etiam iniuſtas, timendas, iuxta S. Gregorij dictum, ſed etiam adiunxit obſeruandas eſſe: & quamuis potuiſſet hæc verba non addere, nihilominus cenſuram adeò rigidam, qualis eſt ea Gerſonis, non demeruit, qui in ma-

lum ſenſum verba, quæ in bono accipi poterant, traxit. Duo Gerſon in Commiſſario reprehendit, ac de vtroque paucis agemus. Primò reprehendit quòd ſine diſtinctione dixerit, ſententias ſuas etiam iniuſtas timendas eſſe, videtur enim voluiſſe dicere ſententias omnes iniuſtas timendas eſſe, cùm tamen conſtet, nõ omnes iniuſtas, ſed ſolùm illas, quæ iniuſtæ quidem, at validæ ſunt, timendas eſſe, vt ex Gratiano colligitur 11. q. 3. per totum. Ad hoc reſpõdetur, Commiſſarium locutum eſſe eo ſenſu, quo D. Gregorius, & ſacri Canones. Et quemadmodũ D. Gregorius quum dicit, Sententiam Paſtoris, ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam, timendam eſſe, etiamſi indiſtinctè loquatur, non tamen cenſendus eſt dicere omnem Paſtoris ſententiam timendam eſſe, ſed eam tantùm quæ non eſt nulla, licèt iniuſta ſit. Ita nec ex commiſſarij verbis deducendum eſt, omnes ſententias timendas eſſe, ſed tantùm manifeſtè non inualidas, licet iniuſtas. Dicam paucis, calumnia quæ commiſſarij verbis impingitur, D. etiã Gregorij verbis affingi poſſet.

In reſponſione ad ſecundũ Gerſonis opuſculũ, in quo multa ſunt, quæ iuſtitiam cauſæ Reip. Venetæ, ac cenſurarũ aduerſus ipſam promulgatarũ nullitatem patefaciũt, Author iis omnib. diſſimulatis, diſputationẽ inſtituit contra ipſum Gerſonẽ, ac probare aggreditur aſſertionẽ à quodam Papæ cõmiſſario pronuntiatã, his verbis, [Sentẽtiæ noſtræ, etiãſi iniuſtæ eſſent, ſunt tenendæ ac timẽdæ, in bono ſenſu poſſe accipi: ideóq; Gerſonẽ rigidũ nimis cẽſorem fuiſſe, qui in malũ ſenſum traxerit quod in bono accipi poterat: immemor ipſe author ſe repõſione ſua ad primũ Opuſculũ, nõ mo-

dò ſemper in peiore ſenſu Gerſonis verba accepiſſe:verũ etiã, quũ idẽ Gerſon ſe ipſum expoſuiſſet, (diſſimulata expoſitione) eidẽ ſeſe oppoſuiſſe in prauo ſenſu,iã à Gerſone diſtincto & remoto. Vbi autẽ coactus fuit ipſe author fateri Gerſonis doctrinã abſolute verã eſſe,excogitauit iniurioſam eſſe alicui,vt in conſideratione nona videre eſt: aut etiam per temporis tranſpoſitionem ſimulauit credere Gerſonis opuſculum ante concilium Cõſtantienſe ſcriptũ eſſe,quod tamen poſt illud ſcriptum eſt,vt & hoc ſecundum,cùm in eo prædicti etiam concilij mentio fiat,quinimò Regẽtem appellat Caroli Sexti filium, qui titulum illum ante annum 1418. non aſſumpſit:quod obiter monere volui,vt oſtenderem vtrumq; hoc opuſculum cõpoſitum fuiſſe ſub Pontificatu Martini quinti,vnici & indubitati Pontificis: quapropter effugium quo author vtitur, dum vult Gerſonis doctrinam ad ſchiſmatis tempora referri, eum à vi argumẽtorum minimẽ liberabit. Gerſon haud negat aſſertionem commiſſarij bonũ aliquem ſenſum admittere,cùm dicat cogendum eſſe commiſſariũ vt ſententiam ſuam vel exponat,vel reuocet: at Gerſon negat aſſertionẽ in eo ſenſu formali quo proponitur,verã eſſe. Ac certũ eſt eum qui aſſertionẽ aliquam examinat,quũ Theſis eſt, nempe vniuerſalis ad particularem caſum non relata, examinare illã in formali verborũ ſenſu:at vbi ad hypotheſin accedit, eandẽ examinare iuxta ſenſum,quẽ habet à caſu particulari:ideóq; rectè author noſter aſſertionẽ eã vtroq; modo examinat:& primo quidem ſumpta ea pro Theſi,inquit:ex ea nõ ſequi, ſentẽtias oẽs iniuſtas timẽdas eſſe, vt Gerſon affirmat,

Sed concludendum eſſe hoc de illis tantùm, quæ licèt iniuſtæ ſint, non tamen ſunt nullæ: ſiquidem poſſet idem colligi ex diui Gregorij aſſertione, ſententiam ſcilicet Paſtoris, iuſtam, iniuſtámve timendam eſſe, cùm indiſtinctè proferatur, & nihilominùs de iniuſta ſed valida intelligatur ab omnibus: ac tandem concludit calumniam quę commiſſarij verbis affingitur verbis etiam diui Gregorij adſcribi poſſe: ſufficiebat interpretationem dicere, nam hac voce calumniæ vti cum D. Gregorio, videtur parùm conueniēs. Porrò Author, quum ait D. Gregorij dictum eidem interpretationi obnoxium eſſe, hoc intelligit, prout legitur vel apud ipſum D. Gregorium, vel apud Gratianum, vel vt ita abſolutè & ſeorſim enunciatur à quolibet abuti volente hoc dicto. Si vt legitur apud D. Gregorium, dictum illud eum ſenſum non admittit, nam eo loci loquitur de ſententia Paſtoris iniuſta quovis modo, vel cum validitate, aut citra hanc, vel cum nullitate, aut citra hanc: ſed vox, [timento,] eadem eſt, ac non per contemptum ſpernenda, & quilibet affirmat, omnem ſententiam etiam iniuſtam, etiam nullam, vt eſt ſententia paſtoris, non eſſe contemnendam. Verba D. Gregorij ſunt, [Is autem qui ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat, vel iniuſtè, nec Paſtoris ſui iudicium temerè reprehendat, ne ſi iniuſtè ligatus eſt, ex ipſa tumida reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat.] Et ſubdit: [ſed quia hæc breuiter per exceſſum diximus, ad diſpoſitionem ordinis redeamus. Timere] igitur diuus Gregorius opponit his vocibus, temerè, tumidè, & ſuperbè reprehendere] iuxta quem modum, omnis

mnis ſententia etiam iniuſta & nulla, timenda. Sed iuxta hunc ſenſum pro timere, dici non poterat, obſeruare, vt Commiſſarius dixit, ſiquidem ſētentia ſuperioris peccatum præcipiens, iuxta modum à D. Gregorio dictum timenda eſt, at nequaquam obſeruanda, atque hanc expoſitionem author apud Gerſonem videre poterat, vbi inferiùs dicit, Gregorij dictum admittere poſſe bonum ſenſum, non qualem ei tribuit Commiſſarius qui addidit, & obſeruanda. Quòd ſi Author de hoc dicto loquatur, vt extat in Decretis, audiat, ſi lubet, quomodo loquatur Compilator poſt cap. [ſi Epiſcopus. §. præmiſsis authoritatibus, Gregorius non dicit ſententiam iniuſtè latam eſſe ſeruandam, ſed timendam, ſicùt & Vrbanus, timenda eſt ergo, id eſt non ex ſuperbia contemnenda.] Si Gratianus Monarchus hodie viueret, & Gerſonem defendēdum ſuſciperet, non poſſet aptiùs loqui quàm vt ante quadringentos annos loquutus eſt. Verùm ſi author, D. Gregorij aſſertionem ſeorſim & abſolutè ſumat, eam cum aſſertione Commiſſarij conferre nō poteſt, verbum enim, timere, ſenſum habet quem verbum, obſeruare, non admittit: præterea nullus vir doctus citat aliquid quin illud in proprio fonte viderit, ac verum eius ſenſum habeat: & nullus qui ſyncerè ſcribat, illud extra proprium ſenſum adducit. Quapropter quantum diſcrepet ſanctus & modeſtus loquendi modus D. Gregorij, à tyrannica & abſurda Commiſſarij locutione, conſtat. Transeamus itaque ad ſecundam partem.

Secundò reprehēdit Gerſon Cōmiſſariū, quòd

dixerit ſententias, quamuis iniuſtas, timendas eſſe & obſeruandas. Alia enim inquit res eſt obſeruare, alia timere. Iniquitas tyranni timenda, neutiquam tamen obſeruanda eſt, & qui dicit eam obſeruandam eſſe, falſum adſtruit, & in errore verſatur. Ad hoc reſpondetur: Commiſſarium, quantum quidem credi poteſt, non locutum eſſe de obſeruatione rei iniuſtę, ſed de ſententia excommunicationis, quatenus pœna quędam eſt, ac priuat hominem participatione Sacramentorum, & conuerſatione fidelium: & in hoc ſenſu rectè dicitur ſententiam excommunicationis timendam & obſeruandam eſſe: non ſunt enim res diuerſę, timere excommunicationem, & eandem obſeruare: nam qui hanc timet, ab vſu Sacramentorum, & à commercio fidelium abſtinet, & ita eam obſeruat: qui verò ſic non obſeruat, ſed cum fidelibus communicat & Sacramentis vtitur, eam nequaquam timet. Atque Gerſon æquiuocat in ſententia quæ aliquid præcipit, & ſententia quæ re quapiam priuat, cúmque ſuper his æquiuocis totum ſuum ſermonem fundauerit, mirum non eſt quòd cum in aëre ſtruxerit.

Author vt Commiſſarij aſſertionem defendat, in hypotheſi ad caſum relatam, ait primò, commiſſarium, quantum quidem credi poteſt, non locutum eſſe de obſeruatione rei iniuſtæ, ſed de ſententia excommunicationis, quatenus pœnaquędam eſt: ac declarato diſcrimine, concludit Gerſonem ęquiuocaſſe in ſententia quæ aliquid pręcipit, & ſententia quæ re quapiam priuat, cúmque ſuper his totum ſuum ſermonem fundauerit,

rit, mirum non eſſe, quòd eum in aëre ſtruxerit. Ecce, lector, vt author noſter, ignorans qua de ſententia locutus ſit commiſſarius, coniiciat, dicens, quantum credi poteſt, non locutum eum eſſe de obſeruatione rei iniuſtæ, ſed de ſententia excommunicationis, quatenus pœna eſt, deinde affirmatè concludat Gerſonem Iuſiſſe homonymia. Hoc tamen Gerſon non ferat, ſed è materia ſubiecta, vt oſtendam, ſciuit agi de obſeruatione rei iniuſtæ, eámque hoc in libello etiam expreſſit. Verùm Author ex ſe ipſo in aëre ſtruxit, qui præſuppoſita re incerta, his verbis, quantum credi poteſt, Gerſonem homonymia vti abſolutè affirmat: ac ſi verba illa quantum credi poteſt his æquipolleant, reuera ita eſt: Author tamen erroris partem agnoſcens, eum corrigit his verbis.

Verùm ponamus ita ſe rem habere, locutus ſit commiſſarius, de ſententia quę aliqua re priuat ſub pœna excommunicationis, neque hoc modo malè locutus eſt: vel enim ea ſententia præcipit rem manifeſtè bonam, vt eſt alienæ rei reſtitutio: aut rem manifeſtè malam, vt ſunt furari, blaſphemare: aut rem dubiam an mala ſit, nec-ne, vt eſt, ad bellum proficiſci, de quo iuſtum ne an iniuſtum ſit, dubitatur. Si rem manifeſtè bonam præcipit, obſeruanda & timenda eſt, obſeruanda eſt ſcilicet, id faciēdo quod præcipitur, ne incurratur excommunicatio, & fieri poteſt eiuſmodi ſententiam iniuſtā eſſe, quū nempe tres admonitiones nō præceſſerint, & tamē validā ob rem bonā quę præcipitur, ob authoritatē pręcipiētis, & ob præuiā vnam ſaltē admonitionē. Si ſentētia dubia eſt, malâne an nō mala res pręcipiatur, obſeruāda & timēda eſt: in

caſu namque dubio, ſubditi eſt iudicio ſtare ſuperioris, nō proprio inniti, vt ſuprà dictum, & communis ſanctorum Patrum eſt ſententia. Quòd ſi ſententia rem præcipit quæ manifeſtè peccatum eſt, tunc neque timenda, neque obſeruanda eſt, & qui obſeruandam eſſe diceret, erraret: atque de aſſertione huiuſmodi verę ſunt quinque propoſitiones à Gerſone poſitæ: nam ſine dubio falſum eſt ſententiam, quæ ad peccatum obligat, obſeruandam eſſe, & fieri non poteſt vt ſententia peccatum pręcipiens, ad obſeruantiam obliget, ſed & erronea eſt quod ad mores attinet, quia docet malum facere, & contra fidem, dicens enim licere malè operari, hæreticus eſt, & impœnitens tradendus eſt iuſtitiæ ſeculari, vt pęnas luat pro meritis: & eiuſmodi ſententia non modò non obſeruari, ſed nec timeri debet: ait enim ſaluator, Noli timere eos qui occidunt corpus: & pręſtaret mortem ſubire quempiam, quàm eiuſcemodi legem obſeruare. Vnde quartum illud membrum à Gerſone poſitum non inuenitur, aliquam nimirum ſententiam debere aut poſſe timeri, ſed non obſeruari, loquendo de timere qui obſeruantiam inducit: licet naturali quodam timore Tyrannus malum præcipiens, timeri poſſit. Nec etiam in hoc commiſſarius deliquit, ſemper enim locutus fuit de ſententia iniuſta, ſed valida, qualis non eſt illa quæ peccatum præcipit, ac euidenter nulla eſt.

Vides igitur totam Gerſonis machinam in aëre fabricatam eſſe, & quiſquis eam tranſtulit & in lucem miſit, vt Venetos inducat ad contemnen-

dum iuſtam validámque ſummi Pontificis ſententiam,oſtendit ſe plus habere malitię quàm iudicij.

Ad ſententiæ Gerſonis & veritatis explicationem, prętcr iam dicta, nimirum omnino dari ſententiam timendam, ſed non obſeruandam, neceſſe eſt eadem, qua author, vti diſtinctione, vt dicamus ſententiam aut rem præcipere manifeſtè bonam, aut manifeſtè malam, aut dubiam: & quod ad primum membrum, quando res quæ præcipitur manifeſtè iuſta eſt, cùm authore conuenimus obediendum eſſe: circa tertium, quum res eſt dubia, magnoperè metuentes nobis ab authoris æquiuocationibus, ipſum dubium, vt ſuperiùs à nobis factum eſt, diſtinguemus in illud quod debitum conſilium pręcedit, & illud quod hoc ſequitur: primũ nõ obligat ad obſeruationem, ſed ad conſultationem, quando res dubia poſt conſultationem manet inſuperabilis, cum ipſo cõuenimus, teneri ſubditum ſuperioris iudicium, nõ verò proprium, ſequi: ignoſcat mihi, lector, quòd ſæpiùs hãc doctrinam repetem, ſiquidẽ author toties homonymiam in medium attulit, vt nẽpe Chriſtiani cæcorum inſtar, prauos aliorum affectus ſequantur. Quod ſpectat ad ſecundum membrum, quando malum quid pręcipitur ſub pœna excommunicationis, certo huius ferendæ tempore præſcripto, quo elapſo prolata habeatur: eiuſcemodi ſententia duas habet partes, alteram quæ iniungit vt præcepto obediatur intra certum terminum, alteram quæ abſtineri vult à communione, niſi poſt illum terminum obediatur. Quod ad primam partem, peccatum eſt eam timere iuxta Authorem, & qui hanc ita timeret,

peccaret:atque hinc patet veritas eius quod citat, [Nolite timere eos qui occidunt corpus :] verùm ad ſecundam partem,abſtinere ſcilicet à Communione,ſubditus non eſt obligatus,quòd ſi hoc obſeruare voluerit, modò alteri cuipiam præcepto non aduerſetur, non peccabit : hoc Gerſon dicit his verbis, quæ veriſimile eſt authorem legiſſe, Quia timeri poſſunt à timidis conſcientiis in caſu quopiam,licèt ideò non debeant obſeruari : magnum quippe diſcrimen eſt dicere: ſententias obſeruandas eſſe,& eas timendas : obſeruari ſententiam excommunicationis intelligit Gerſon,quum quis præceptum exequitur ne in eam incidat, vel vt ab ea iam lata liberetur: timeri excommunicationem Gerſon intelligit cùm quis abſtinet à cõmunione. Excõmunicationẽ cũ præcepto rei iniuſtę iunctã,qui obſeruarit,peccabit;qui timuerit,nõ peccabit,quãuis eã timere non teneatur. Multùm igitur differt,ſi ita dicamus,ſententiæ noſtræ,etiãſi iniuſtæ,timeri debent: hoc enim ſignificat abſtinere à Communione,ob earum reuerentiam : & ſic loquens Commiſſarius,non erraſſet niſi dicẽs, debent,pro,poſſunt: at quando dixit eas obſeruari debere,grauiùs errauit, quia non modò non debent,ſed etiam non poſſunt obſeruari citra peccatum,quæ tamẽ timeri poſſunt,licèt nemo ad hoc teneatur:atque hoc eſt quartum membrum diſertè à Gerſone declaratum,quod author ait non reperiri,cùm interim & apud D.Gregorium, & apud Gratianum reperiatur ab eo qui res conſiderat ſine contradicendi ſtudio. Quamuis autem ſuperiùs author certò non ſciret quã de re Commiſſarius loqueretur, hîc tamen quaſi certus eſ-

ſet;

ſet,ait,neque in hoc erraſſe Commiſſarium, eò quòd ſemper de iniuſta ſententia,ſed valida locutus ſit,quę peccatum non iubet: atque hoc me cogit vti digreſſiuncula vt rem declarem, quæ eſt huius opuſculi materia.

Ante Concilium Conſtantienſe, anno circiter 1399. Carolus VI. Galliarum Rex Concilium Præſulum ac Vniuerſitatum ſui Regni conuocauit, in quo prçter alia, determinatum fuit, admittendas non eſſe Bullas Romanæ Curiæ de reſeruationibus,& beneficiis expectatiuis ſed vt electiua beneficia conferrentur electione, & aliorum collationes fierent ab Ordinariis: quod decretum vt obſeruaretur,viginti annis ſequentibus ſępiùs renouatum fuit,tum per alia decreta Regni Præſulum, tum per Arreſta ſupremæ Curiæ iterata vel renouata,quamuis Romana Curia ſæpius eorum obſeruationem cum ſcriptis executoriis & Commiſſariis impedire conaretur.

Gerſonem de Commiſſario loqui ob aliquam eiuſmodi cauſam,in Galliam miſſo,liquidò apparet in ſecunda propoſitione: ipſum verò tempore Pontificatus Martini V. ſcripſiſſe,conſtat ex eadem propoſitione, vbi dicit Regem viginti ab hinc annis, Concilium Præſulum conuocaſſe: quod Concilium,vt Guagninus refert,primò congregatum fuit anno prædicto 1399. In tertia verò propoſitione quando Gerſon loquitur de Regis Caroli VI. filio, his verbis vtitur, [Legitimo ſuo filio, nunc Regenti,] quem titulum aſſumpſit anno 1418. vt teſtatur Franciſcus Bellaforeſtius: vnde ex prædictis omnibus colligitur,hoc Gerſonis opuſculum ſcriptum eſſe poſt annum

illum 1418.& ante 1422. quum Carolus VI. obiit. Quamobrem ſi Martinus V. electus fuit anno 1417. ſuprà dictum librum ſub ipſius Pontificatu ſcriptũ eſſe conſtat, prætereà Gerſon ipſe in quarta propoſitione Concilij Conſtantienſis, ceu anterioris, meminit: igitur neceſſe eſt vt Papæ Commiſſarius expectatiui alicuius beneficij executionem iuſſerit, contra prædictarum congregationum determinationes; quod erat iuxta Gerſonem, iubere rem iniuſtam, ac proinde error intolerabilis committebatur contra ius publicum, & qui in illegitimam vſurpationem tenderet, ex ipſius opinione: hæc ſi author noſter animaduertiſſet, non dixiſſet Commiſſarium loqui de iniuſta ſed valida ſententia, cùm ſit manifeſtum in quarta propoſitione, huius Commiſſarij ſententiam eſſe aſſertionẽ aduerſus decreta & arreſta prædicta, quam ob cauſam Gerſon eam pro valida non habuit.

Commiſſarius, ſi religioſus erat, ſententias ſuas pro iniuſtis habere non poterat: ſed velut is, qui obedientiam quouis modo volebat, vt laborem probandi æquitatem ſui ipſius præcepti vitaret, ſcripſit in cauſa publica, ſententias ſuas ſiue iuſtas, ſiue iniuſtas, obſeruandas eſſe: ſi iniuſta ſententia in validam & non validam diſtincta fuiſſet, manebat difficultas, agendum fuiſſe de validitate: proptereà Commiſſarius vniuerſalem aſſertionem introducere tentauit, eſſe nempe neceſſarium ſuas omnes ſententias obſeruare, ſic enim obtinebat illius obſeruationẽ quũ volebat: non aliter ac nonnulli in præſenti controuerſia (exiſtimantes ſe iuſtitiam præceptorum quæ Pontifex dat Reipub. oſtendere non poſſe) dicunt, Pontifici, etiam iniuſta præcipienti, obediendum eſſe. Sanè obſtupeo,

cũ de quæſito agatur quod facto innititur, Authorem contra hiſtoriam ita ſermonem ſuum cõcludere. Vides igitur totam Gerſonis machinam in aëre fabricatam eſſe. poſteà, quaſi Gerſon ſequentibus octo propoſitionibus alia de re loqueretur, vagareturque, dicit author.

Huic conſiderationi adiungit Gerſon propoſitiones aliquot ad docendum Regem Chriſtianiſſimum, quid poſsit ac debeat facere pro Eccleſiæ Gallicanæ libertate, de quibus propoſitionibus non eſt opus vt agamus hoc loco. Primò, quia nituntur omnes hoc principio, Concilij poteſtatem eſſe ſupra Papam, nec enim aliam ob cauſam Gerſon autumat, Papam immutare non poſſe antiquos Canones, in quibus tunc Eccleſiæ Gallicanę libertas fundabatur, quàm quòd à Concilio decreti fuerint, ideóque arbitrio & poteſtati Pontificiæ ampliùs ſubiecti non ſint. Modò autem docuimus hoc principium falſum eſſe, neque hoc à Venetis pro vero adſtrui nobis perſuademus. Secundò, quia poſt Gerſonis tempora, in Concilio Lateranenſi, à Leone x. derogatum fuit pragmaticis, quibus Eccleſia Gallicana defendebatur, & Concordata inter Leonem Pontificem & Regẽ Chriſtianiſsimum pacta fuerunt: atque ita libertas Gallicana contra ſummum Pontificem non ampliùs nominatur, quinimò Rex Chriſtianiſsimus, & omnes Galliarum Epiſcopi, cum Matre ſua, quæ eſt Eccleſia Romana, & Patre qui Papa eſt, Chriſti Vicarius, at ſucceſſor D. Petri, pacem & concordiam colunt. Tertiò, quia libertas Gallicana, de qua Gerſon, commune nihil habet cum libertate, quam modò Reſpublica Veneta præten-

dit,illa enim antiquis decretis & Canonibus fulciebatur, hæc autem & antiquis & modernis aduerſatur.

Cùm Gerſonis ſcopus eſſet octo propoſitionibus oſtendere quid Rex Chriſtianiſſimus facere deberet pro Eccleſiæ Gallicanæ libertate, in occaſionibus ſimilibus illi à Commiſſario datæ: Eccleſiam defendendo à reſeruationibus, beneficiis expectatiuis,aliiſque illorum temporum Curiæ Romanę abuſibus, ideò octo propoſitiones adfert: quas author ſubtiliter iudicauit ſatius eſſe diſſimulare,quàm attingere, apertè cognoſcens earum confutationem aggredi,eſſe eas confirmare, ac illud ſtabilire quod ſuperiùs oppugnauit, Principes nimirùm poſſe ac debere Pręſulum pręceptis enormibus & abuſiuis ſeſe opponere. Tres cauſas excuſationis loco adfert, ob quas de octo his propoſitionibus non agit:prima eſt, quia nituntur hoc principio,Concilij poteſtatem eſſe ſupra Papam:atque hoc principium ait ſe ſuperiùs declaraſſe falſum eſſe:addere tamen poterat, non obſtante ſua declaratione, hoc defendi ac pro vero haberi ab Vniuerſitatibus Gallię, & pro teſtibus citari Nauarrum,& alios. Secunda cauſa eſt, quia in concilio Lateranenſi ſub Leone, derogatum fuit pragmaticis, vt ita non ampliùs libertas Gallicana contra ſummum Pontificem nominetur.Hîc author nos adeò rudes & hiſtoriæ imperitos putat, vt neſciamus aliud eſſe libertatem Eccleſię Gallicanę, de qua Gerſon, & aliud pragmaticam:illa eſt ante Gerſonem, ſed pragmatica à Rege Carolo ſeptimo circa annum 1440. conſtituta fuit,multò poſt conſcriptum hoc opuſculum, in

quo

quo Carolus ſextus eius pater, adhuc viuus nominatur. Sed cur nō dicere vniuerſitatē Pariſienſem ad futurū conciliū appellaſſe, quòd Leo pragmaticā abrogauiſſet? Putat etiā nos ignorare quid ſit pragmatica, & quid concordatū, & an hoc illā tollat vel omnino, vel aliqua tantū ex parte. Sed hoc omnem ſuperat animoſitatem dum nos incarceratos eſſe putat, qui neſciamus etiam quid fiat hoc tempore, & an in Gallia quotidie appelletur ad ſupremas Curias ab Eccleſiaſticorū ſententiis, tanquam ab abuſu, & an de his Curia iudiciū ferat: tales ſanè vellet nos eſſe author noſter, atque vt de mundanis nihil ſciremus, niſi quod Eccleſiaſticis conducit, vtque in ſupina ignorantia degentes, ipſos ceu numina & oracula admiraremur. Tertia cauſa ob quam author octo Gerſonis propoſitiones prætерit, eſt, quia Gallicana libertas, de qua Gerſon, antiquis Canonibus fulciebatur, Veneta autem antiquis & modernis aduerſatur. De veritate vltimi huius dicti nolo verba facere. Gallia nō eſt Iapponū regnū, vt anniuerſoria nūtia ſint expectanda, quò aliquid de illius Regni adminiſtratione audiatur. Libertatem illus Eccleſiæ Galli omnes ſcriptores meminerunt, omnéſque ſimul collectæ habentur in libro quodam Pariſiis edito anno 1594. ex quo nonnullas huc referam, liberum Lectori iudicium relinquens. Ita formaliter habetur in prædicto libro, præter alia multa particularia.

Pontifices non poſſunt imperare, aut præſcribere, nec in genere, nec in ſpecie, quicquam eorum quæ res temporales attinent in Prouinciis ac ditionibus obedientiæ & ſuperioritatis Regis

Chriſtianiſſimi:& ſi iubeant, vel ſtatuant aliquid, Regis ſubditi quamuis clerici fuerint, ei non tenentur obedire hac in parte.

Quamuis Pontifex ſupremus habeatur in rebus ſpiritualibus: in Gallia tamen poteſtas abſoluta & infinita nullatenus locum habet, ſed reſtricta eſt & limitata à Canonibus & regulis Antiquorum Conciliorum Eccleſiæ, in hocce Regno receptorum: Et in hoc maximè conſiſtit libertas Eccleſiæ Gallicanæ.

Reges Chriſtianiſſimi pro temporum occaſione & Prouinciarum ſuarum neceſſitate, ſemper conuocarunt, aut conuocari iuſſerunt Synodos aut concilia Prouincialia, & Nationalia, in quibus, præter alia ad Regni ſtatus conſeruationem facientia, de rebus etiam ad ordinem diſciplinámq; Eccleſiaſticam earundem Prouinciarum attinentibus, actum eſt, & in hiſce Conciliis Reges ipſi Regulas, Capita, Leges, Ordinationes, & ſanctiones pragmaticas, ſtatui curarunt ſub ſuo nomine & authoritate, multáque horum etiam hoc tempore loquūtur in collectionibus Decretorum ab Eccleſia Catholica receptorum & quorundam à Conciliis generalibus approbatorum.

Pontifex nullo modo in Galliam mittit legatos à latere, cum facultate reformandi, & diſpenſandi, conferendi, & ſimilium quæ in Bullis facultatis ipſorum deſignari ſolent, niſi hæc petente vel his aſſenſum præbente Rege Chriſtianiſſimo: ipſéque legatus facultatibus ſuis non vtitur, niſi poſtquàm ſcripto promiſerit Regi ſupra pectus ſuum, per ſacros ſuos Ordines, quòd facultatibus illis in Regno, Prouinciis, ac Ditionibus ipſi ſub-

ſubiectis non vtetur, niſi quamdiu Regi placuerit, quódque vbi primùm legatus ipſe contrariam eſſe Regis voluntatem reſcierit, deſiſtet ac ceſſabit: itidem quòd iis tantùm facultatibus vtetur, quibus Rex voluerit ipſum vti, nihil moliendo, nec faciendo quicquam in præiudiciũ ſanctorum Decretorum, conciliorum generalium, Immunitatum, libertatum, & Priuilegiorum Eccleſiæ Gallicanæ, ac Vniuerſitatum & Academiarum huius Regni.

Et in hunc finem offeruntur Legatorum facultates ſupremæ Curiæ, vbi videntur, examinantur, approbantur, promulgantur, & in tabulas referuntur, cum limitationibus, quas Curia Regno conducere iudicauerit: atque etiam iuxta has limitationes, & non aliter, iudicátur lites omnes & & cõtrouerſiæ, quę ob legati actiones oboriũtur.

Præſules Eccleſiæ Gallicanæ, licèt à Pontifice qualibet de cauſa citentur, è Regno tamen ſine iuſſu aut venia Regis exire nequeunt.

Clauſulæ quę inſertæ ſunt Bullæ in Cœna Domini, ſpeciatimverò quæ tempore Iulij Papæ II. & aliorum poſt ipſum appoſitæ fuerunt, in Gallia locum non habent, quantum ad libertates, & priuilegia Eccleſiæ Gallicanæ, ac Regis aut Regni rationes.

Non poteſt Pontifex iudicare aut delegare cognitionem eorum quæ ad rationes, præeminentias, & priuilegia Coronæ Regni Galliarum, eiúſque appendicum ſpectant, nec vnquam Rex de ſuis rationibus ac prætentionibus agit, niſi coram propria Curia.

Eccleſia Gallicana ſemper credidit, quòd quãuis

ex regula Eccleſiaſtica, vel (vt ait D. Cyrillus, ſcribens ad Papam Celeſtinum) ex antiquo omnium Eccleſiarum more, Concilia Genaralia conuocari & celebrari non debeant abſq; Papa, Claue non errante, agnito pro capite, ac totius Eccleſiæ militantis principe, & patre communi omnium Chriſtianorũ: nihilq; concludi aut determinari debeat, ſine ipſo eiuſdémq; authoritate: nihilominus tamen nunquam iudicatum ſit aut creditum, Pontificem eſſe ſupra concilium vniuerſale, ſed potiùs decretis ac determinationibus vniuerſalis ipſius concilij ſubiectum eſſe, tanquam Eccleſiæ præceptis, Domini noſtri Ieſu Chriſti ſponſæ, quam in primis eiuſmodi concilium repræſentat.

Bullæ, aut literæ Apoſtolicæ, citationum literæ item executoriales, fulminatoriæ aliæve, effectum ſuum in Gallia non ſortiuntur, abſque Pareatis Regis, vel ipſius Miniſtrorũ, & executio quæ poſt permiſſionem fieri poteſt, fit ab ordinario Iudice Regis, & Regis authoritate, non verò Apoſtolica, vt iuriſdictionis confuſio permixtióque vitetur.

Non poteſt Pontifex penſiones imponere Sacerdotiis huius Regni animarum curam habentibus, nec aliis etiam, niſi fortè hoc fieret beneficiis conſentientibus, & iuxta ſancta decreta conciliorum & conſtitutionum Canonicarum, vel in vtilitatem reſignantium, qui expreſſa hac conditione reſignauerint, vel ad pacificandum partes quæ de litigioſis beneficiis contendunt.

Libertates Eccleſiæ Gallicanæ conſeruatæ ſunt, diligenter obſeruando vt omnes Bullæ, & expeditiones, à Romana Curia prodeuntes viderentur

tur & examinarentur, an ſcilicet aliquid continerent, rationibus & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, & Regis authoritati vllo modo damnoſum: cuius rei reperitur etiam expreſſa conſtitutio à Rege Ludouico I X. facta, quam imitati ſunt Imperatoris Caroli V. anteceſſores, tunc Regni Galliarum Coronæ clientes, quámque ipſemet in quodam ſuo Edicto confirmauit Madriaci facto, anno 1543. eámque in Hiſpania, & aliis Regionibus ſibi ſubiectis vſurpauit, ſeueriùs ac minùs reuerenter, quàm in hoc Regno.

Et propter appellationes interiectas ad futurum concilium, quarum multa exempla, etiam vltimis temporibus, reperiuntur, vt appellationum interiectarum pro Vniuerſitate Pariſienſi à Pontificibus Bonifacio octauo, Benedicto vndecimo, Pio ſecundo, Leone decimo, & aliis.

Niſi legitima huius Apologiæ breuitas prohiberet, huc adferrem, etiam arreſta Curiarum in materia iudiciorum criminalium, vbi determinatur, in Gallia clericos cuiuſlibet Ordinis, non ſolùm poſſe capi à Magiſtratibus, & Eccleſiaſtico iudicio tradi ob delicta communia, ſed à laico iudicari poſſe ob delicta enormia, vel priuilegiaria: & quum quis etiam ob delictum commune, Eccleſiaſtico bis traditus fuerit eum tertiò ceu incorrigibilem à ſeculari iudicari. Arreſta videre eſt in Gallis omnibus Iuriſconſultis, ſpeciatim in collectionibus Ioh. Papon. l. 1. t. 5. art. 4. 9. 30. 31. 33. 34. 35. 44. 45. 46. 47.

Ex his quilibet videre poteſt, veriſſimum eſſe quod ait Author, nempe libertatem Gallicarum in antiquis Canonibus fundatam eſſe, quam

nis non verum ſit, eam his tantùm niti, verùm etiam lege naturali, & omni æquitate ac ratione: conſtare etiam poteſt, non eſſe quod ait Author, nempe hoc tempore non ampliùs de Gallicanæ Eccleſiæ libertatibus, in Gallia ſermonem fieri: quin potiùs floridiſſimum illud ac potentiſſimum Regnum, ſicut eas hactenus conſeruauit, ita nunc eas omni ſtudio conſeruat. Has autem conferendo cum libertate quam Reſpublica Deo fert acceptam, ac totis ſuis viribus conſeruare nititur; apparebit, eam non differre ab illis, niſi quantùm poſtulat regionum diuerſitas: imò etiam conſtabit, Rempub. multis naturalibus ſuis libertatibus non vti, quibus poſſet, vt maiorem erga ſanctam ſedem reuerentiam præbeat: ideóq; vnuſquiſq; deteget immediatè, quàm ſit vltima authoris noſtri concluſio à vero aliena, libertatem ſcilicet quam vult Reſpublica, antiquis & nouis Canonibus aduerſari.

Epheſ. 3. Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus ſecundùm virtutem quę operatur in nobis, ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Ieſu, in omnes generationes ſæculi ſæculorum.

Amen.

EXEM-

EXEMPLAR EPISTOLÆ SCRIPTÆ AD DOminum noſtrum Papam Paulum V.

A Zefirielo Thoma Bouio Veronenſi.

PATER SANCTE: Finis præceptorum eſt Charitas ex puro corde & conſcientia bona, & fide non ſimulata. Hac charitate ductus ſcripſi multoties Ducibus, Regibus, Imperatoribus, Epiſcopis, Cardinalibus, Pontificibus. Ago enim octogeſimum ſextum ætatis annum. Eiuſdem charitatis impulſu has nunc ſcribo ad Sanctitatem veſtram. Magnates iſti quum mea conſilia executioni mandarunt, honorem inde ac laudem reportarunt, quum ea ſpreuerunt, non niſi damnum & dedecus in hoc Mundo ſubierunt, in altero à Iudice ſupremo pro meritis excepti, quemadmodum Achab ſpreto Micheæ conſilio: contrà Dauid recepto Nathanis conſilio ſalutem conſecutus eſt. Clemens VIII. gratæ memoriæ, conſilium meum de abſoluendo Galliarum Rege, executioni mandauit, ac voluit me Epiſcopatu inſignire, ego verò nolui, multáq;

alia quæ mihi obtulit, recuſaui, memor eius quod ſcribit Petrus de Natalibus Monachus Dominicanus, & Epiſcopus Equilinus in ſuo Sanctorum Catalogo, quum nempe Leo 11. Pontifex cœpiſſet ſingulis diebus Miſſam celebrare, ac D. Petrum rogare vt pro ipſo vellet intercedere, & à Domino Deo peccatorum ſuorum veniam impetrare, contigiſſe vt ille Sanctus die quadrageſima viſibiliter ipſi apparuerit, dicens: Officium feci, & diuina Maieſtas tibi veniam concedit: at ſibi reſeruat vt in morte tua rationem illi reddas adminiſtratę impoſitionis manuum: ego igitur hac de cauſa quæcunque à Pontifice oblata recuſaui. Quamobrem Sanctitas veſtra attentè perpendat quid agendum, & has meas literas ſemel atque iterum legat, poſtea faciat quod illi Spiritus ſanctus dictabit, vt ego feci priuſquam ſcribere has cœperim. Baſis & fundamentum Catholicæ noſtræ Religionis iis nititur ſcriptis quæ nobis reliquerunt ſacri Euangeliſtæ ac D. Paulus, præco, Apoſtolus, & doctor gentium, pręſcripto Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, filij Dei, & Marię Virginis, qui conceptus fuit de Spiritu ſancto, & regnabit in ęternum ſuper domum Iſrael, & Regni eius non erit finis, vt ſcribit Lucas, & Matthæus ſubiungit, Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Neque hîc diſputandum eius Regnum fuiſſe temporale & ſpirituale, quòd eſſet filius Dei Creatoris & Moderatoris rerum omnium: is enim qui eſt ipſiſſima veritas dixit ore proprio, Regnum meum non eſt de hoc mundo: & de ſuo regno loquens

dixit

dixit Apoſtolis ſuis, vos qui in tentationibus meis manſiſtis mecum, & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Regnum meum Pater meus, vt edatis & bibatis ſuper Menſam meam, in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et apud Lucam petenti cuidam vt præciperet fratri ſuo vt hereditatem ſecum diuideret, reſpondit, Quis me conſtituit Iudicem ſuper vos? Et apud D. Iohannem, Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam, non enim miſit Filium ſuum in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſeruetur Mundus per ipſum. Similiter apud D. Iohannem, Si quis verba mea audierit, & non crediderit, ego non iudico eum, non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſeruem mundum. Et cùm vellent Iacobus & Iohannes ignem è cœlo impetrare, vt quondam Elias, ſupra ciuitatem Samarię quę cibum illis denegauerat, dixit eis Dominus noſter, Filius hominis non venit ad perdendas animas hominum, ſed ad ſaluandas. Et apud D. Marcum dixit, Filius hominis non venit vt ſibi miniſtretur, ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam pro multis: Et apud eundem dixit Petro qui de his temporalibus & mundanis agere volebat, Abi poſt me Satan, quia ſapis ea quę ſunt hominum, non quæ ſunt Dei. Et apud D. Iohannem quum populum illum pauiſſet quinque panibus ac duobus piſcibus, videréteque ſe Regem ab eis conſtitui, Seceſſit in montem ſolus, Chriſtus itaque non fuit Rex in

hoc mundo: & ne Regibus eſſet inobediens, ſiuit ſe crucifigi falſa accuſatione quòd Regis titulum vſurpaſſet, & ideò Pilatus vt Sacerdotibus illis gratum faceret, eum condemnauit vt crucifigeretur, atque vt ſententiam ſuam fuco tegeret, inſcriptionem addidit, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum: qua de re poſteà iuſſu Cæſaris pœnas dedit. Chriſtus itaque non fuit Rex: nec legitur enim vnquam Reges de Regni ipſorum adminiſtratione reprehendiſſe, imò rogatus an tributum Cæſari Ethnico eſſet perſoluendum, reſpondit, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo: cùm omnis poteſtas à Deo ſit: quocirca ipſemet didramma perſoluit. Cùm igitur ipſe non fuerit Rex, nec mundanis hiſce rebus ſe immiſcuerit, & Apoſtolis ſuis dixerit, Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſunt deorſum: Petro autem ter dixerit, Paſce agnos meos, Paſce oues meas, non ei dedit authoritatem illam quam ipſemet negauit habere, & quam nullo vnquam tempore exercuit: imò in Euangelio ſancti Iohannis, dixit, Non eſt ſeruus maior domino ſuo, nec legatus maior eo qui legauit eum: dixit etiam, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: Itidem nobis dixit, Quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Quòd ſi dixit Apoſtolis ſuis & Petro, Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlis, dixit etiam per Apoſtolum, Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: item, ſi frater tuus peccauerit in te, vade & corripe

ripe

ripe eum, quòd ſi correctiones non admiſerit, inquit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Et D. Paulus ad Titum dicit, Hæreticum hominem poſt vnam aut alteram admonitionem deuita. Quapropter nec Dominus noſter Chriſtus, nec Paulus vas electionis, dicunt opus eſſe excommunicare, recidere, diſperdere. Sed quorſum nos etiam ſubditos velle diſperdere qui nulla in re ſanctam Eccleſiam offendimus, Bonus ille Paſtor Euangelicus tantoperè lætatur ob inuentam ouiculam priùs amiſſam? & veſtra Sanctitas vult perdere tot populos innocentes, quòd ſeruiant illis Principibus quos Deus eis Dominos conſtituit? cùm in lib. ſapientię ſcriptum ſit, data eſt à Domino poteſtas vobis: & apud D. Paulum, omnis anima poteſtatibus præcellentibus ſubdita ſit. Dicit Ieremias cap. 23. Veh Paſtoribus, qui perdunt, diſperdunt pecudes paſcuæ meæ, dicit Dominus. Ideò ſic dicit Dominus Deus Iſrael ad Paſtores qui paſcunt populum meum, vos diſperdiſtis pecudes meas, & eieciſtis eas, non viſitaſtis eas: Ecce viſito ſuper vos malitiam operum veſtrorum, dicit Dominus. Pater ſancte, inuitus dico, imò non ego, ſed Dominus noſter Ieſus Chriſtus dicit, D.Matth. id referente, me autem ſpiritu bono idem ſcribente, Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Veh mundo à ſcandalis, neceſſe eſt vt veniant ſcandala, veruntamen veh illi per quem ſcandalum venerit. Actio hęc ſanctitatis

veſtrę contra Venetos, & contra tot eorum ſubditos, non eſt contra vnum de puſillis iſtis, ſed eſt contra omnes Chriſtianos, & forſan etiam contra mundum vniuerſum. Poſſem non ſine cauſa prolixior eſſe, multóque plura in medium afferre, ſed quia probè intelligenti verba facio, hîc ſtylum abrumpo. Et Sanctitati veſtrę omni cum reuerentia deoſculor Sanctos pedes.

***

Veni Sancte Spiritus.

CAN-

Digitized by Google

CANZON.

Se Papa Paolo Quinto è intra inſto ballo
De voler moleſtar queſta Città,
Per odio natural, o per humor,
No ghe xè pena vgual à ſi gran fallo:
La xè vna crudeltà,
No atto de paſtor,
Voler ſcommunegar Venetiani,
Cò ſe fuſſe Caluini, o Luterani.

II. *Ve par a vu d'hauer diſcretion,*
Ello bel tiro, ello giuſto vadagno,
Volere in cao de mille anni, e doſcento,
Con berta d'hauer bona intention,
De ſpogiar el compagno
Co ſi fatto ſpauento.
Se no ve dona tutto quel ch'i ha in cà
In venti zorni i xè ſcomunegà.

III. *Quando me penſo s'è vegnù da vu*
Cuſsi ſtranio penſier che vu hauè in cao.
Che mai Papa niſsun ſe l'ha pensà
M'imagino cho ſiè ſta meſſo ſu.
Conſegiè da recao
Con chi no è intereſsà.
Perche per Dio cò xè moſſo l'humor
L'è facil coſa che 'l'offenda 'l cor.

IV. *Ma, ſe ve conſegiè, toiè ſuggetti,*
Che no ve grata, ne habbia timor,
Che no habbia intereſſe con niſſun,
Che no ghe manca al mondo homeni ſchietti,
De dottrina, e d'honor:
E laſsè che ciaſcun
Ve poſſa dir a vu lilleramente
Quanto che Dio gl'inſpira, o quel che ſente.

V. *Da chi haueù tiolto queſta lettion.*

Chi v'ha dà ſto Latin per i paßiui?
Della mia robba in caſa mi no poßo
Par quel che vogio mi, che ſon Paron?
S'i homèni è cattiui,
S'el diauol ghè adoſſo,
Dell' anima vu sè fatto paron,
Ma della robba nò: qualche minchion.

VI. *Se al mondo vu tegni el luogo de Chriſto,*
Come ſeua San Piero, è tanti altri
Papi ſanti, ch'è ſtà dopo de loro,
Pen sè che niſſum d'eßi ha fatto acquiſto
Delle poſſeßion d'altri,
Ne de quantità d'oro.
Iha haundo va ſol fin, con la bontà
De dar eſempio alla Chriſtianità.

VII. *Lechiaui vu hauè in cuſtodia dal Signor,*
Per auerzer le porte in paradiſo,
E vu in cambio d'auerzer, le ſerrè:
No podè zà ſcuſar vn tal error.
Mi ve dago vn auuiſo,
Fè quel che vu douè:
Che ſe guaſtaßi l'opere, ho paura
Che no auerzißi mai piu ſta ferraura.

VIII. *Ma per veder ſta voſtra naueſella*
Ch'è in mezo al mar ſenz' alcun ſoſpetto
Aſſaltà (o cuſsí non vogia Dio)
Da Corſari, da mar, è da procella
Tornar al ſo deſpetto
Subitamente indrio.
Et alla fin, ſe ben sè tanto accorto,
No habbiè muodo de condur la in porto.

IX. *Non è dubbio che sè noſtro Paſtor*
Ma paſtor d'otto di, paſtor che non ha

Mai

Mai viſto grege,& in cuſsi puochi dì
Al grege vu metti tanto terror.
Saueù quel che ſarà?
V'e'l vogio dir,aldi,
Se sbandarà le piegore da vu
Doue che i loui le chiapperà ſu.
X.*N'è ſtà ditto che sè tanto Dottor,*
Filoſofo,Teologo,mi'l credo;
Cuſsi credo che no hauè mai piu
Gouernà ſtado,ne sè ſtà Pastor.
Che ſia'l vero,me credo
Che n'è ſauio colu
Che no diga,La xè malignità
Che'l Papa vogia far quel che no'l sà.
X I.*Se ſaueſſè cò ſe gouerna el stado*
Certo no moueſſè sti tanti humori,
Mi ve vedo imparar a vostro costo,
V'e'l digo,Vu ve trouarè intrigado.
Tremo che sti romori,
Sti conti ſenza l'hoſto,
Metta la ſedia ſu vna punta d'ago
E che de Papa vu deuentè Zago.
X II.*Haueù mai letto quel che gl'intrauenne*
Ad Aleſſandro Papa con Ferigo
Che haueua la barba roſſa quel tremendo,
Che ghe bogiua el ſangue in te le vene,
Quel sò mortal nemigo,
Che feſe cuſsi horrendo
Proclama,che chi al Papa haueſſe dao
Agiuto,el gh' hauerane rotto el cao.
XIII.*V'è ſtato mai ditto che Doze Ziani*
Trouè che'el Papa faua la coſina
De' noſtri fradi della Caritae

E che con tanto ſangue,e noſtri damni
In Iſtria vna mattina
Combattè le dò armae,
Doue alla fin fu preſo,e rotto Otton,
E tutto ſangue fu fatto preſon?
XIV.*Chi meſſe il Papa in ſedia con sò honor*
Chi in cao ghe meſſe il Regne? dixel vu,
Et adeſſo ne paghe de ſta monea
Deſmentigà vn ſi fatto ſauor?
Che ne hauè fatto a nu
Quel che niſſun credea.
Si è pure inſula voſtra, ſtè ſul duro,
Che Zuro a Dio,ve petteremo ac muro.
XV.*Faremmo vn' altro Papa,cò ſu fatto*
Papa Guido da Crema là in Borgogna,
Chiamaremo Concilie in qualche liogo,
Et a dirla,vu ſarè tegnù da matto.
Perche ſaria vergogna
S'hauè impizzà ſtò fuogo,
No veder de bruſar la voſtra cà.
Credelo pur la ve intrauegnerà.
XVI.*L'è paſſà el tempo da vender fenochi*
V'el digo chiaro,tegniuelo a mente
Ognun ſa con che v'hauè moſſo,
Sappiè che i gatteſin ha auerti i occhi.
Ne cuſſi facilmente
S'hà da roſegar ſt'oſſo.
Che ſe ghe mette'l i oltrumontani,
Saria megir eſſer morſegà da cani.

FINE

ANT 131768